Bound by P. LOW,
Corner of Water and
Devonshire Sts. Boston.

GAUDEO

John Carter Brown.

B
Cor
Dev

W.

W. P. Jorissen

TITI LIVII PATAVINI DECADVM EPITOMAE.

LVCIVS FLORVS.

AL DVS.

JOHN CARTER BROWN

Cr[illegible]
De[illegible]

T. LIVII PATAVINI HISTORIARVM AB VRBE CONDITA LIBRI PRIMI EPITOME.

ADVENTVS AENEAE in Italiam, & res ab eo geſtæ, Aſcanij regnum Albæ, & Syluij Aeneæ, ac deinceps Syluorum regum primo libro cõtinentur. Numitoris filia à Marte compreſſa. nati Romulus & Remus. Amulius obtruncatus. Vrbs à Romulo condita. Senatus lectus. Cum Sabinis bellatum. Opima ſpolia Ioui Feretrio lata. In centurias populus diuiſus. Fidenates, & Veientes uicti. Romulus conſecratus. Numa Põpilius ritus ſacrorũ tradidit: Iano templum conſtituit: eiuſq; portam, pacatis omnibus circa populis, primus clauſit: cum dea Aegeria ſibi congreſſus nocturnos eſſe ſimulans, feroces populi animos ad religionem perpulit. Tullius Hoſtilius Albanos bello petijt. Poſt hæc trigeminorum pugna. Horatius abſolutus. Metij Suffetij ſupplicium. Alba diruta. Albani in ciuitatem recepti. Sabinis bellum indictum. Ad poſtremum fulmine abſumptus eſt. Ancus Martius cærimonias à Numa inſtitutas renouauit: Latinis uictis, & ad ciuitatem aſcitis montem Auentinum aſſignauit: Politorium urbem Latinorum bello repetitam, quam priſci Latini occupauerant: diruit: pontem Sublicium in Tyberim fecit: Ianiculum collem Vrbi addi

dit: fines imperij protulit: Oſtiam cōdidit. Tarquinius Priſcus in Anci amicitiam receptus. Centum additis patrum numerum auxit: Latinos ſubegit: circum deſignauit: ludos edidit: Sabinorum bello potitus, equitum centurias ampliauit. Tentandæ ſcientiæ cauſa Accij Nauij auguris, conſuluiſſe fertur: an id, de quo cogitaret: effici poſſet: quod cum ille fieri poſſe reſpondiſſet: iuſſiſſe eum nouacula cotem præcidere: idq; protinus factum. Sabinos præterea acie uicit: Vrbem muro circundedit: Cloacas fecit. Seruius Tullius natus ex captiua corniculana, cui puero in cunis poſito caput arſiſſe traditū eſt: Veientes, atq; Hetruſcos prælio fudit: cenſum primus omnium egit: luſtrum condidit: claſſes, centuriaſq; deſcripſit: Pomœrium protulit: colles urbi, Quirinalem, Viminalem, Eſquilinumq; adiecit: templum Dianæ cum Latinis in Auentino fecit. Lucius Tarquinius Superbus, occiſo Seruio eius ſocero, inuaſit regnum. quo die ſcelerata Tullia per patris iacentis corpus carpentum egit. Armatos circa ſe ad cuſtodiam corporis ſui habuit: Turnum Herdonium fraude interemit: Bellum cum Volſcis geſſit: & ex eorum præda templum Ioui in Capitolio fecit. Terminus, & Iuuentas non addixere: quorum aræ moueri nō potuerūt. Filius Sextus Tarquinius dolo Gabios in poteſtatem ſuā redegit. Huius filijs Delphos profectis, & conſulentibus, quis eorum regnaturus eſſet Romæ: dictum eſt: eum regnaturum: qui primus matrem oſculatus eſſet. quod reſponſum cum ipſi aliter interpretarentur: Iunius Brutus, qui cum ijs profectus erat: prolapſum ſe ſimulauit: & terram oſcu=

latus eſt. idq; factum eius euentus rei comprobauit. nam cum impotenter ſe gerendo Tarquinius Superbus omnes in odium ſuum adduxiſſet: ad ultimum propter expugnatam nocturna ui à Sex. filio eius Lucretiæ pudicitiam, quæ uocato patre ad ſe Tricipitino, & uiro Collatino obteſtata ne inulta mors eius eſſet, cultro ſe interemit: Bruti opera maxime expulſus eſt: cum regnaſſet annos uiginti quinq;. Tũc conſules primũ creati ſunt L. Iunius Brutus, & L. Tarquinius Collatinus.

LIBRI II.

b Rutus iureiurando populum aſtrinxit: neminem regnare Romæ paſſurum: Tarquinium Collatinum collegam ſuũ propter affinitatem Tarquiniorum ſuſpectum, coëgit conſulatu ſe abdicare, & ciuitate cedere: bona Regum diripi iuſſit: agrum Marti conſecrauit: qui Campus Martius nominatus eſt. adoleſcentes nobiles, in quibus ſuos quoq;, & fratris filios, quia coniurauerant de recipiendis Regibus: ſecuri percuſſit: ſeruo indici, cui Vindicius nomẽ fuit: libertatem dedit: ex cuius nomine uindicta eſt appellata. Cum aduerſus Reges, qui contractis Veiẽtium, & Tarquiniorum copijs bellum intulerant: exercitum duxiſſet: in acie cum Arunte filio Superbi commortuus eſt: eumq; matronæ annum luxerunt. L. Valerius conſul legem de prouocatione ad populum tulit. Capitolium dedicatum eſt. Porſena Rex Cluſinorũ, bello pro Tarquinijs ſuſcepto, cum ad Ianiculum ueniſſet: ne Tyberim trãſiret, uirtute Coclitis Horatij prohibitus

eſt. qui, dum alij pontem Sublicium reſcindunt: ſolus Hetruſcos ſuſtinuit: & ponte rupto armatus ſe in flumen miſit: & ad ſuos tranauit. Alterum acceſſit uirtutis exemplum à Mutio. qui, cum ad feriendum Porſenam caſtra hoſtium intraſſet: occaſo ſcriba, quem regem eſſe putabat: comprehenſus, impoſitam altaribus manum, in quibus ſacrificatum erat: exuri paſſus eſt: dixitq́; tales trecentos eſſe coniuratos in mortem ipſius Regis. quorum admiratione coactus Porſena pacis conditiones ferre, bellum omiſit, acceptis obſidibus. ex quibus uirgo una Chlœlia deceptis cuſtodibus per Tyberim ad ſuos tranauit: & cum reddita eſſet: à Porſena honorifice remiſſa, equeſtriq́; ſtatua donata eſt. Appius Claudius ex Sabinis Romam transfugit: ob hoc Claudia tribus adiecta eſt. Numerus tribuum ampliatus eſt: ut eſſent triginta una. Aduerſus Tarquinium Superbum cum Latinorum exercitu bellum inferentem Aulus Poſthumus dictator proſpere pugnauit apud lacum Regillum. Plebs, cum propter nexos ob æs alienum Sacrum in montem ſeceſſiſſet: conſilio Menenij Agrippæ à ſeditione reuocata eſt. Idem Agrippa cum deceſſiſſet: propter paupertatem publico impendio elatus. Tribuni plebis quinq; creati ſunt. Oppidum Volſcorum Corioli captum eſt uirtute, & opera Cn. Martij: qui ob hoc Coriolanus uocatus eſt. Titus Latinus uir de plebe, cum in uiſu admonitus eſſet: ut de quibuſdam religionibus ad ſenatum perferret: & neglexiſſet: amiſſo filio, debilis factus, poſtea quam delatus ad ſenatum lectica eadem illa indicauerat: uſu pedũ recepto, domum reuerſus eſt. Cũ Cn.

Martius Coriolanus, qui in exilium pulſus, dux Volſcorum factus exercitum hoſtium urbi primo admouiſſet: & miſſi ad eum primum legati, poſtea ſacerdotes fruſtra deprecati eſſent, ne bellum patriæ inferret: Veturia mater, & Volũnia uxor impetrauerunt ab eo: ut recederet. Lex agraria primũ lata eſt. Sp. Caſſius conſularis regni crimine damnatus eſt: necatusq;. Oppia uirgo ueſtalis ob inceſtum uiua defoſſa eſt. Cũ uicini hoſtes Veientes incommodi magis, quàm graues eſſent: familia Fabiorum id bellum gerendum depopoſcit: miſitq; in id trecentos ſex armatos: qui ad Cremerã ad unum ab hoſtibus cæſi ſunt, uno impubere domi relicto. Res præterea aduerſum Volſcos, & Aequos, & Veientes, & ſeditiones inter patres plebemq; cõtinet. Appius Claudius conſul, cum aduerſus Volſcos contumacia exercitus male pugnatum eſſet: decimum quenq; militum fuſte percuſſit.

LIBRI III.

Editiones de agrarijs legibus factæ. Captolium ab exulibus, & ſeruis occupatũ, cæſis ijs receptum eſt. Cenſus bis actus eſt. priore luſtro cenſa ſunt ciuiũ capita centum, quatuor & uiginti millia, CCXIIII, præter orbos, orbasq;: ſequenti, CXXXII millia, CCCCXIX. Cũ aduerſus Aequos res male geſta eſſet: L. Quintius Cincinnatus dictator factus, cum rure intentus ruſtico operi eſſet: ad bellũ gerendũ accerſus eſt. Is uictos hoſtes ſub iugũ miſit. Tribunorum pl. numerus ampliatus eſt: ut eſſent decem: XXXVI anno à

primis tribunis plebis. Petitis p legatos, et allatis atticis legibus, ad conſtituendas eas, proponendasq; decemui ri pro conſulibus ſine ullis aliis magiſtratibus creati, altero et trecenteſimo anno, quàm Roma condita erat: & ut à regibus ad conſules, ita à conſulibus ad decẽ uiros translatum imperiũ. Ii decẽ tabulis legum poſitis, cum modeſte ſe in honore geſſiſſent: & ob id in alterum quoq; annum eundem eſſe magiſtratum placuiſſet: cum complura impotenter feciſſent: magiſtratum noluerunt deponere: & in tertium annum detinuerunt: donec inuiсto eorum imperio finem attulit libido Appij Claudij. qui cum in amorem uirginis incidiſſet: ſummiſſo, qui eam in ſeruitutem peteret: neceſſitatem patri eius Virginio impoſuit, rapto ex taberna proxima cultro: ut filiam interimeret: cum aliter eam tueri non poſſet: ne in poteſtatem ſtuprum illaturi ueniret. hoc tam magnæ luxuriæ exemplo plebs incitata montem Auentinum ocupauit: coëgitq; decemuiros abdicare ſe magiſtratu. ex quibus Appius, & unus collegarum, qui præcipue pœnam meruerant: in carcerem coniecti: cæteri in exilium acti. Res præterea contra Sabinos, et Volſcos, et Aequos proſpere geſtas continet: & parum honeſtum populi Ro. iudiciũ. qui iudex inter Ardeates, et Aricinos ſumptum agrũ, de quo ambigebatur: ſibi adiudicauit.

LIBRI IIII.

Ex de connubio patrum, et plebis conten tione magna, patribus repugnantibus, perlata eſt à tri. pl. Aliquot annis res populi romani domi militiæq; per hoc ge-

nus magiſtratus adminiſtratæ ſunt. Item cenſores tunc primum creati ſunt. Ager Ardeatinis romani populi iudicio ablatus, miſſis in eum colonis, reſtitutus eſt. Cum fame populus romanus laboraret: Sp. Melius eques romanus frumentum populo ſua impenſa largitus eſt: & ob id factum conciliata ſibi plebe, regnum affectans à Caio Seruilio Hala magiſtro equitum iuſſu Quintij Cicinnati dictatoris occiſus eſt. L. Minutius index boue aurata donatus eſt. Legatis Romanis à Fidenatibus occiſis, quoniam ob rempublicam occubuerant: ſtatuæ in roſtris poſitæ ſunt. Cornelius Coſſus tribunus militum, occiſo Volumnio Rege Veientium, opima ſpolia ſecũda retulit. Mamercus Aemylius dictator cẽſuræ honore, qui antea per quinquennium gerebatur: anni & ſex menſium ſpacio finito, ob eam rem à cenſoribus notatus eſt. Fidenæ in poteſtatem redactæ: eoq; coloni miſſi ſunt. qbus occiſis Fidenates cum defeciſſent à populo romano: à Mamerco Aemylio dictatore uicti ſunt: et Fidenæ captæ. Coniuratio ſeruorũ oppreſſa eſt.

Poſthumus tribunus militum propter crudelitatẽ ab exercitu occiſus eſt. Stipendium ex ærario tum primũ militibus datum eſt. Res præterea geſtas aduerſum Volſcos, & Veientes continet.

LIBRI V.

In obſidione Veiorum tabernacula militibus facta ſunt. ea res cum eſſet noua: indignationem tribunorum plebis mouit, querentium non dari plebi nec per hyemem militiæ requiem. Equites tum primum equis

ſuis merere cœperunt. Cum inundatio in lacu Albano facta eſſet: uates, qui eam rem interpretaretur: ab hoſtibus captus eſt. Furius Camillus dictator decem annos obſeſſos Veios cœpit: ſimulacrum Romam tranſtulit: decimam partem prædæ Delphos Apollini miſit. Idem tribunus militum, cum Faliſcos obſideret: proditos hoſtium filios parentibus remiſit: ſtatimq; deditione facta, Faliſcorum uictoriam iuſtitia conſecutus eſt. Cum alter ex cenſoribus, Iulius deceſſiſſet: i locũ eius M. Cornelius ſuffectus eſt. nec id poſtea factum eſt: quoniam eo luſtro à Gallis Roma capta eſt. Furius Camillus, cum ei dies à L. Apuleio tri. pl. dicta eſſet: in exilium abijt. Cum Senones Galli Cluſinum obſiderent: & legati à ſenatu miſſi ad componendum inter eos, & Cluſinos pacem, pugnãtes contra Gallos in acie Cluſinorum ſtetiſſent: hoc facto eorum concitati Senones urbem infeſto exercitu petierunt: fuſiſq; ad Alliam flumen Romanis, cœpere urbem, præter Capitolium: in quod ſe iuuenes contulerant. maiores natu cum inſignibus honorum, quos quiſq; geſſerat: in ueſtibulis ædium ſedentes occiderunt. & cum per auerſam pertem Capitolij iam in ſummũ euaſiſſent: proditi clãgore anſerum, M. Manlij præcipue opera deiecti ſunt. coactis deinde propter famem Romanis deſpondere, ut mille pondo auri darent: & hoc precio finem obſidionis emerent: Furius Camillus dictator abſens creatus inter pendendum aurum cum exercitu uenit: & Gallos poſt ſextum menſem urbe expulit: cecîditq;. Aedes Ioui Capitolino facta: quo loco ante urbem captam uox audita erat: ad

uentare Gallos. Dictum eſt ad Veios migrãdum eſſe, propter incenſam, & dirutam urbẽ. quod conſilium Camillo authore diſcuſſum eſt. Mouit populum uocis quoq; omen ex centuriõe auditæ. qui, cum in forũ ueniſſet: manipularijs ſuis dixerat. ſta miles: hic optime manebimus.

LIBRI VI.

r

Es aduerſus Aequos, & Volſcos, & Hetruſcos proſpere geſtas continet. Quatuor tribus additæ ſunt: Stellatina, Sabbatina, Promentina, Arnienſis. M. Manlius, qui Capitolium à Gallis defenderat: cum obſtrictos ære alieno liberaret: nexos exolueret: crimine affectati regni damnatus, de ſaxo Tarpeio deiectus eſt. in cuius notam S.C. factum eſt: ne cui de Manlia gente Marco cognomen eſſet. C. Licinius, & L. Seſtius tribuni pl. legem promulgarunt: ut conſules etiam ex plebe fierent: qui ex patribus creabantur. eam legem cum magna contentione repugnantibus patribus, cum ijdem tri. pl. per quinquennium ſoli magiſtratus fuiſſent: pertulerunt. & primus omnium ex plebe conſul L. Sextius creatus eſt. Lata eſt altera lex: ne cuiquam plus quingentis iugeribus agri liceret poſſidere.

LIBRI VII.

d

Vo noui magiſtratus adiecti ſunt: prætura, & ædilitas curulis. Peſtilentia ciuitas laborauit: eamq; inſignem fecit mors Furij Camilli. cuius remediũ, & finis cum per nouas religiones quæreretur: ludi ſce-

nici tunc primum facti ſunt. Cum dies L.Manlio dicta eſſet à M.Pompeio tri.pl.propter delectum acerbe factum, & ob T.Manlium filium relegatum ſine ullo crimine: adoleſcens ipſe, cuius relegatio patri obijciebatur: uenit in cubiculum tribuni: ſtrictoq; gladio coëgit eum in uerba ſua iurare: non perſeueraturum ſe in accuſatione. tunc omnia pernitioſa omiſſa ſunt. In patentem uoraginem urbis Romæ Curtius armatus equo ſe præcipitauit: eaq; expleta eſt. Manlius adoleſcens, qui patrem à tribunitia uexatione liberauerat: contra Gallum prouocantem aliquem ex militibus romanis, in ſingulare certamen deſcendit: eiq; occiſo torquem aureum detraxit: quem ipſe poſtea tulit: & ex eo Torquatus eſt nuncupatus. Duæ tribus additæ: Pontina, & Publitia. Licinius Stolo lege ab ipſo lata damnatus eſt: quod plus quingentorum iugerum agri poſſideret. M.Valerius tribunus militū Gallū, à quo prouocatus erat: inſidente galea coruo, & unguibus roſtroq; infeſtante hoſtem, interemit: & ex eo Coruini nomen accepit: conſulq; proximo anno creatus eſt ob uirtutem: cum XXIII haberet annum. Amicitia cum Carthaginenſibus iuncta. Campani, cum urgerentur à Samnitibus bello: auxilio aduerſus eos à ſenatu petito, cum id non impetrarent: urbem, atq; agros populo romono dederūt. ob quā cauſam ea, quæ populi romani facta eſſent: defendi bello aduerſus Samnites placuit. Cum ab Aulo Cornelio conſule exercitus in iniquum locum deductus in magno diſcrimine eſſet: P.Decij tribuni militum opera ſeruatus eſt. qui occupato colle ſuper id iugum, in quo Samnites ſede-

rant:occaſionem conſuli in æquiorem locum euaden-
di dedit:ipſe ab hoſtibus circumſeſſus erupit. Milites
romanos, qui Capuæ in præſidio erant relicti: cum de
ea occupãda urbe cõſpiraſſent: & detecto conſilio, metu
ſupplicij à populo romano defeciſſent: per M. Valerium
Coruinum dictatorem, qui cõſilio ſuo eos à furore re-
uocauerat: patriæ reſtituti ſunt.

LIBRI VIII.

Latini cum Campanis defecerunt: & miſſis legatis ad ſenatum conditionem tulerunt: ut, ſi pacem habere uellent: alterum ex Latinis conſulẽ facerent. Qua legatione perlata, prætor eorum Annius de Capitolio ita prolapſus eſt: ut exanimaretur. T. Manlius conſul filiũ ſuum, q̃ cõtra edictum pugnauerat aduerſum Latinos: quãuis proſpere pugnaſſet: ſecuri percuſſit. Laborantibus Romanis, P. Decius tunc cum Manlio deuouit ſe pro exercitu: & concitato equo cum in medios hoſtes ſe intuliſſet: interfectus morte ſua Romanis uictoriam reſtituit. Latini in deditionem uenerunt. T. Manlio in urbem reuerſo nemo ex iuuentute obuiam proceſſit. Minutia uirgo ueſtalis inceſti damnata eſt. Auſonibus uictis, in oppidũ Cales colonia deducta eſt. Item Fregellæ colonia deductæ ſunt. Veneficium complurium matronarum comprehenſum. quarum plurimæ ſtatim epotis medicaminibus perierunt. Lex de ueneficio tunc primum conſtituta eſt. Priuernatibus, cum rebellaſſent: uictis ciuitas data eſt. Palæpolitani uicti bello: & obſidione in deditionem uenerunt. Q. Publio, q eos obſederat: primum imperium prolatum: & per cõ-

ſules ei decretus triumphus. Plebs nexu liberata eſt propter Lucij Papyrij creditoris libidinem: qui C. Publio debitori ſuo ſtuprum inferre uoluerat. Cum L. Papyrius dictator reuerſus in urbem ab exercitu eſſet propter auſpicia repetenda: Q. Fabius magiſter equitũ occaſione rei bene gerendæ inuitatus contra edictum eius præliatus eſt: q̃ proſpere aduerſus Samnites pugnauit. ob eã cauſam cum dictator de magiſtro eq̃tum ſuppliciũ ſumpturus uideretur: Fabius Romã profugit: et cũ cauſa parũ proficeret: populi precibus donatus eſt. Res præterea cõtra Sãnites proſpere geſtas cõtinet.

LIBRI IX.

t Itus Veturius, & Sp. Poſthumius apud Caudinas furcas, deducto in locũ iniquum exercitu cum nulla ſpes euadendi eſſet: fœdere cum Samnitibus facto, & ſexcentis eq̃tibus romanis obſidibus datis, ita exercitum abduxerunt: ut omnes ſub iugum mitterentur. iidẽq; authore Spu. Poſthumio conſule, qui in ſenatu ſuaſerat: ut eorum deditione, quorum culpa tam deforme fœdus ictum erat: publica fides liberaretur: cum duobus tri. plebis, & omnibus, qui per fœdus ſpopõderant: dediti Samnitibus non ſunt recepti. nec etiam multo poſtea fuſis à Papyrio Curſore Samnitibus, & ſub iugum miſſis, receptisq; ſexcentis eq̃tibus romanis, qui obſides dati erant: pudor prioris flagitij abolitus. Tribus duæ adiectæ ſunt: Vfentina, & Falerina. Sueſſa, & Pontiæ coloniæ deductæ ſunt. Ap. Claudius cenſor aquam Claudiã perduxit: uiam ſtrauit: quæ Appia uocata eſt: libertinorũ filios in ſenatu legit. ideóq;,

quoniam is ordo uidebatur inquinatus indignis: ſequentis anni conſules in ſenatu legendo obſeruauerunt: quẽadmodũ ante ꝑ proximos cenſores obſeruatum fuerat. Res præterea cõtra Appulos, Hetruſcos, Vmbros, Marſos, Pelignos, Aequos, & Samnites, quibus fœdus erat reſtitutum: proſpere geſtas continet. Flauius Scriba libertino patre natus ædilis curulis fuit, per forenſem factionem creatus. quæ, cũ comitia, & campum turbaret: & in iis propter nimias uires dominaretur: à Q. Fabio cenſore in quatuor tribus redacta eſt: eaq; res Fabio Maximo nomen dedit.

LIBRI X.

Coloniæ deductæ ſunt Sora, & Alba. Carſeoli Marſi in deditionem accepti ſunt. Collegium augurum ampliatum eſt: ut eſſent nouem: cum antea quaterni fuiſſent. Lex de prouocatione ad populum à Valerio conſule tunc primum lata eſt. Duæ tribus adiectæ ſunt: Anienſis, & Terentina. Samnitibus bellum indictum: & aduerſus eos proſpere pugnatum eſt. Cũ aduerſus Hetruſcos, Vmbros, Samnites, Gallos P. Decio, & Q. Fabio ducibus pugnaretur: romanusq; exercitus in maximo eſſet diſcrimine: P. Decius ſecutus exemplum patris deuouit ſe pro exercitu: & morte ſua uictoriã eius pugnæ populo romano dedit. Papyrius curſor Samnitiũ exercitum, qui iureiurando aſtrictus ſuo: quo maiore conſtantia uirtutis in aciem deſcenderet: fudit. Cenſus actus eſt: luſtrum conditum. cenſa ſunt ciuium capita ducenta ſexagintaduo millia, & trecenta uigintiduo. *

e

Vm Fabius Gurges COS male aduerſum Samnites pugnaſſet: et ſenatus de remouẽdo ab eo exercitu ageret: Fabius Maximus pater deprecatus hanc filij ignominiam, eo maxime ſenatum mouit: quod iturum ſe filio legatum pollicitus eſt: idq́; præſtitit. atq; eius conſilijs, & opera filius COS adiutus, cæſis Samnitibus triumphauit: C. Pontium imperatorem Samnitiũ ductum in triumpho ſecuri percuſſit. Cum ciuitas peſtilentia laboraret. miſſis legatis, ut Aeſculapij ſignũ Romam ab Epidauro transferrent: anguem, qui ſe in nauem eorum contulerat: in quo ipſum numen eſſe conſtabat: deportauere: eoq; in inſulam Tyberis egreſſo, eodem loco ſedes Aeſculapij conſtituta eſt. L. Poſthumus conſularis, quoniam, cum exercitui præeſſet, opera militum in agro ſuo uſus eſſet: damnatus eſt. Cum Samnitibus pacem petentibus fœdus quarto renouatum eſt. Curius Dentatus COS Samnitibus cæſis, & Sabinis, qui rebellauerant, uictis, & in deditionem acceptis, bis in eodem magiſtratu triumphauit. Coloniæ deductæ ſunt Caſtrum, Sena, Adria. Triumuiri capitales tunc primũ creati ſunt. Cenſus actus eſt: luſtrum conditum. cenſa ſunt ciuium capita CCLXXIII millia. Plebs propter æs alienum, & graues & longas ſeditiones ad ultimum ſeceſſit in Ianiculum: unde à Q. Hortenſio dictatore deducta eſt: isq́; in ipſo magiſtratu deceſſit. Res præterea contra Volſcinienſes geſtas continet:

ſtas continet: item aduerſus Lucanos: contra quos auxilium Tyrrhenis ferre placuerat.

LIBRI XII.

C Vm legati Romanorum à Gallis Senonibus interfecti eſſent: bello ob id Gallis indicto, L. Cæcilius prætor cum legionibus ab ijs cæſus eſt. Cum à Tarentinis claſſis romana direpta eſſet, duce, qui præerat claſſi, occiſo: legati ad eos à ſenatu, ut de ijs iniurijs quererentur, miſſi, pulſati ſunt. ob id bellū ijs indictum eſt. Samnites defecerunt. Aduerſus eos, & Lucanos, & Brutios, & Hetruſcos aliquot prælijs à compluribus ducibus bene pugnatum eſt. Pyrrhus Epirotarum Rex, ut auxilium ferret Tarentinis: in Italiam uenit. Cum in præſidiū Rheginorum legio Campana cum præfecto Decio Iubelio miſſa eſſet: occiſis Rheginis, Rhegium occupauit.

LIBRI XIII.

U Alerius Leuinus COS parum proſpere aduerſus Pyrrhum pugnauit: elephātorum maxime inuſitata facie territis militibus. Poſt id prælium cum corpora Romanorum, qui in acie ceciderant: Pyrrhus inſpiceret: omnia uerſa in hoſtem inuênit: populabundusq; ad urbem Romam proceſſit. C. Fabricius miſſus ad eum, ut de redimendis captiuis ageret: fruſtra ut patriam deſereret à Rege tentatus eſt. captiui ſine pretio remiſſi ſunt. Cyneas legatus à

Pyrrho ad ſenatum miſſus petiit: ut componendæ pacis cauſa Rex in urbem reciperetur. de qua re cum ad frequentiorem ſenatum referri placuiſſet: Ap. Claudius, q. propter inualitudinem oculorum iandiu à conſilijs publicis abſtinuerat: uenit in curiam: & ſententia ſua tenuit: ut id Pyrrho negaretur. P. Domitius cenſor primus ex plebe luſtrum condidit. cenſa ſunt ciuium capita CCLXXVIII millia, CCXXII. Iterum aduerſus Pyrrhum dubio euentu pugnatum eſt. Cum Carthaginenſibus quarto fœdus renouatum eſt. Cum C. Fabricio conſuli is, qui ad eum à Pyrrho transfugerat: polliceretur ſe Regi uenenum daturum: cum indicio ad Regem remiſſus eſt. Res præterea contra Hetruſcos, Lucanos, & Brutios, & Samnites proſpere geſtas continet.

LIBRI XIIII.

Pyrrhus in Siciliã traiecit. Cum inter alia prodigia fulmine deiectum eſſet in Capitolio Iouis ſignum: caput eius per aruſpices inuentum eſt. Curius Dentatus, cum delectum haberet: eius, qui citatus non reſponderat: bona uendidit. Pyrrũ iterum ex Sicilia in Italiam reuerſum uicit: & Italia expulit. Fabricius cenſor P. Cornelium Rufinum conſularem ſenatu mouit: quod decem argenti pondo facti haberet. Luſtro à cenſoribus condito, cenſa ſunt capita ciuium CCLXXI millia, CCXXIIII. Cum Ptolemæo Aegypti Rege ſocietas iuncta eſt. Sextilia uirgo ueſtalis damnata inceſti uiua defoſſa eſt. Coloniæ deductæ ſunt Poſidonia, & Conſa. Carthaginen

ſtũ claſſis auxilio Mamertinis uenit. quo facto ab iis fœdus uiolatum eſt. Res præterea contra Lucanos, Samnites, et Brutios feliciter geſtas, et Pyrrhi mortem continet.

LIBRI XV.

V Ictis Tarentinis pax & libertas data eſt. Legio Campana, quæ Rhegium occupauerat: obſeſſa, deditione facta, ſecuri percuſſa eſt. Cum legatos Apolloniatum ad ſenatum miſſos quidã iuuenes pulſaſſent: dediti ſunt Apolloniatibus. Picentibus uictis pax data. Coloniæ deductæ: Ariminum in Piceno: Beneuentum in Samnio. Tunc primum populus romanus argento uti cœpit. Vmbri, & Salerni uicti in deditionem accepti ſunt. Quæſtorum numerus ampliatus eſt.

LIBRI XVI.

O Rigo Carthaginenſium, & primordia urbis referuntur: contra quos, & Hieronem Regem Syracuſanorum auxilium Mamertinis ferendum cenſuit ſenatus. Cum de ea re inter ſuadentes, ut id fieret: diſſuadentesq; contentio fuiſſet: tranſgreſſis tum primum mare equitibus romanis aduerſus Hieronem ſæpius bene pugnatũ. Petenti pax data eſt. Luſtrum a cenſoribus conditum. cenſa ſunt ciuium capita CCCLXXII millia, CCXXIIII. D. Iunius Brutus munus gladiatoriũ in honorem defuncti patris edidit primus. Colonia Eſernia deducta eſt. Res

præterea contra Pœnos, & Volſcos proſpere geſtas continet.

LIBRI XVII.

c *N. Cornelius COS à claſſe Punica circunuentus, & per fraudē ueluti in colloquium euocatus captus eſt. Cn. Duilius COS aduerſus claſſem Pœnorum proſpere pugnauit: primusq; omnium romanorum ducum naualis uictoriæ duxit triumphum. ob quam cauſam ei perpetuus honos habitus eſt: ut reuertenti à cœna tibicines canerent: & funale præferretur. L. Cornelius COS in Sardinia contra Sardos, & Corſos, & Hannonem Pœnorum ducem feliciter pugnauit. Attilius Calatinus COS, cum in locum iniquum à Pœnis circunſeſſum temere duxiſſet exercitum: M. Calpurnij tribuni militum uirtute, & opera euaſit. qui cum trecentis militibus eruptione facta hoſtes in ſe conuertit. Annibal dux Pœnorū uicta claſſe, cui præfuerat: à militibus ſuis in crucem ſublatus eſt. Attilius Regulus COS, uictis nauali prælio Pœnis, in Africam traiecit.*

LIBRI XVIII.

a *Ttilius Regulus in Africa ſerpentem portentoſæ magnitudinis cum maxima militum clade occidit. & cum aliquot prælijs aduerſum Carthaginenſes pugnaſſet: ſucceſſorq; à ſenatu proſpere bellum gerenti non mitteretur: idipſum per literas ad ſenatum miſſas conqueſtus eſt. in quibus in-*

ter cauſas petendi ſucceſſoris erat: quod agellus eius à mercenariis deuaſtaretur. Quærente deinde fortuna ut magnum utriusq; caſus exemplum in Regulo proderetur: accerſito à Carthaginenſibus Xantippo Lacedæmoniorũ duce, uictus in prælio, & captus eſt. Res deinde à ducibus romanis omnibus terra mariq; proſpere geſtas deformauere naufragia claſſium. T. Coruncanius primus ex plebe pontifex maximus creatus eſt. M. Sempronius Sophus, Valerius Maximus cenſores cum ſenatum legerent: XIII ſenatu mouerunt. luſtrum condiderunt. quo cenſa ſunt ciuium capita CCCXVII millia, CCXVII. Regulus miſſus à Carthaginenſibus ad ſenatum, ut de pace, & ſi eam minime impetraret: de captiuis commutandis ageret: iureiurãdo aſtrictus eſt rediturum ſe Carthaginem: ſi commutari captiuos non placuiſſet. utrunq; negandi author ſenatui fuit: & cum fide cuſtodita reuerſus eſſet: ſupplicio à Carthaginenſibus de eo ſumpto, periit.

LIBRI XIX.

C Aecilius Metellus, rebus aduerſus Pœnos proſpere geſtis, ſpecioſiſſimum egit triumphum: XIII ducibus hoſtium, & centum uiginti elephantis in eo ductis. Claudius Pulcher COS, qui contra auſpicia profectus iuſſit immergi pullos: qui cibari nolebant: infeliciter aduerſus Carthaginenſes claſſe pugnauit: & reuocatus à ſenatu, iuſſusq; dictatorem dicere, C. Glauciam dixit, ſortis ultimæ hominem: qui coactus abdicare ſe magiſtratu, po-

ſtea ludos prætextatus ſpectauit. Attilius Calatinus primus dictator extra Italiam exercitum duxit. Cũ Pœnis captiuorum commutatio facta eſt. Coloniæ deductæ ſunt, Fregellæ in agro Salentino, Brũduſium. Luſtrum à cenſoribus conditum eſt. cenſa ſunt ciuium capita CCLI millia CCXXII. Claudia ſoror P. Claudij, qui contemptis auſpicijs male pugnauerat: à ludis diuertens, cum turba premeretur: dixit. utinam frater meus uiueret: iterumq; claſſem duceret. ob eam cauſam multata eſt. Duo prætores tum primum creati ſunt. Cæcilius Metellus pontifex maximus A. Poſthumium conſulem, quoniam idem & flamen Martialis erat: cum ille ad bellum gerendum proficiſci uellet: in urbe tenuit: nec paſſus eſt à ſacris recedere. Rebus aduerſus Pœnos pluribus ducibus geſtis, ſummam uictoriæ C. Luctatius COS, uicta ad Aegates inſulas claſſe Pœnorum, finem bello impoſuit. Petentibus Carthaginenſibus pax data eſt. Cum templum Veſtæ arderet: Cæcilius Metellus pontifex maximus ex incendio ſacra rapuit. Duæ tribus adiectæ ſunt: Velina, & Eſquilina. Faliſci, cum rebellaſſent: ſexto die domiti in deditionem uenerunt.

LIBRI XX.

Poletum colonia deducta eſt. Aduerſum Li
s gures tunc primum exercitus promotus eſt.
Sardi & Corſi, cum rebellaſſent: ſubacti ſunt. Tutia uirgo Veſtalis inceſti damnata eſt. Bellum Illyricis propter unum ex legatis, qui ad eos miſ-

ſierant: occiſo indictum eſt: ſubactiq; in deditionem ue nerunt. Prætorum numerus ampliatus eſt: ut eſſent quatuor. Galli tranſalpini, qui in Italiam erupe-rant: cæſi ſunt. Eo bello populus romanus ſociorũ, Latiniq; nominis trecenta millia armatorum habuiſſe dicitur. Exercitibus romanis tum primum trans Padum ductis, Galli Inſubres aliquot prælijs in deditionẽ uenerunt. M. Claudius Marcellus COS, occiſo Inſubriũ Gallorum duce Viridomaro, opima ſpolia retulit. Iſtri ſubacti ſunt. Iterum Illyrici, cum rebellaſſent: domiti in deditionem uenerunt. Luſtrum à cenſoribus conditũ eſt: ex quo cenſa ſunt ciuiũ capita CCLXX millia. Libertini in quatuor tribus redacti ſunt: cum antea diſperſi fuiſſent: Eſquilinam, Palatinam, Suburranam, Collinam. * muniuit: & circum flamminiũ extruxit. Coloniæ deductæ ſunt in agro à Gallis capto, Placentia, & Cremona.

LIBRI XXI.

IN ITALIA BELLI PUnici ſecundi acta narrãtur: & Annibalis Pœnorum ducis contra fœdus per Iberum amnem tranſitus: à quo Saguntus ſociorum populi romani ciuitas octauo menſe capta eſt. de quibus iniuriis miſſi legati ad Carthaginenſes, qui quererentur. & cum ſatisfacere nollent: bellum iis indictum eſt. Annibal ſuperato Pyreneo ſaltu, per Gallias fuſis, qui obſiſtere ei conati erant: ad

Alpes uenit: & laborioſo per eas tranſitu cum montanos quoq; Gallos obuios aliquot prælijs repuliſſet: deſcendit in Italiam: & ad Ticinum amnem Romanos equeſtri prælio fudit: in quo uulneratum P. Cornelium Scipionem protexit filius: qui Africani poſtea nomen accepit. iterumq; exercitu Romano ad flumen Trebiam fuſo, Annibal Appenninum per maximam militum uexationem propter uim tempeſtatum tranſiit. Cn. Cornelius Scipio in Hiſpania contra Pœnos proſpere pugnauit, duce hoſtium Magone capto.

LIBRI XXII.

ANnibal per continuas uigilias in paludibus oculo amiſſo, uenit in Hetruriam: per quas paludes quatriduo, & tribus noctibus ſine ulla requie iter fecit. C. Flamnius COS, homo temerarius contra auſpicia profectus, ſignis militaribus effoſſis, quæ tolli non poterant: & ab equo, quem conſcenderat: per caput deuolutus, inſidiis ab Annibale circumuentus ad Traſimenum lacum cum exercitu cæſus eſt. Sex millia, quæ eruperant: fide ab Maharbale data, perfidia Annibalis uincta ſunt. Cum ad nuntium cladis Romæ luctus eſſet: duæ matres inſperato receptis filiis, gaudio mortuæ ſunt. Ob hanc cladem ex ſibyllinis libris uer ſacrum uotum. Cum deinde Q. Fabius maximus dictator aduerſus Annibalem miſſus nollet acie cum eo confligere: ne contra ferocem tot uictorijs hoſtem territum aduerſis prælijs militem pugnæ committeret: & opponendo ſe tantum.

modo conatus Annibalis impediret: M. Minutius magiſter equitum, ferox & temerarius, criminando dictatorem, tanquam timidum & ſegnem, efficit: ut populi iuſſu ei imperium cum dictatore æquaretur. diuiſóq; exercitu, cum in iniquum locum conflixiſſet: & in maximo diſcrimine legiones eius eſſent: ſuperueniente cum exercitu Fabio Maximo ex diſcrimine liberatus eſt. quo beneficio uictus caſtra cum eo iunxit: & patrem eum ſalutauit: idem'q; milites facere commilitonibus iuſſit. Annibal uaſtata Campania inter Caſilinum oppidum, & Calliculam montem à Fabio clauſus, ſarmentis ad cornua boum alligatis, & incenſis, præſidium Romanorum, quod Calliculam inſidebat: fugauit: & ſic transgreſſus eſt ſaltum. idem'q; Fabij Maximi dictatoris, cum circumpoſita ureret: agro peperat: ut illum tanquam proditorem ſuſpectum faceret. Aemilio deinde Paulo, & Terentio Varrone COSS, & ducibus cum maxima clade aduerſus Annibalem ad Cannas pugnatum eſt: cæſáq; eo prælio Romanorum quadragintaquinq; millia cum Paulo conſule, & ſenatoribus LXXX, conſularibus atque prætorijs aut ædilitijs triginta. Poſt quam cladem cum à nobilibus adoleſcentibus propter deſperationem conſilium de relinquenda Italia iniretur: P. Cornelius Scipio tribunus militum, qui poſtea Africanus nuncupatus eſt: ſtricto ſuper capita deliberantium ferro, iurauit pro hoſte ſe habiturum eum: qui in uerba ſua non iuraſſet: effecit'q;: ut omnes minime relictum iri à ſe Italiam iureiurando aſtringerentur.

Præterea trepidationem urbis, & luctum, & res

in Hiſpania meliore euentu geſtas continet. Opimia, & Floronia ueſtales uirgines inceſti damatæ ſunt. Propter paucitatem uero militum ſeruorum octo millia armata ſunt. captiui, cum poteſtas eſſet redimendi: redempti non ſunt. Varroni obuiam itum eſt: & gratiæ actæ: quod de Rep. non deſperaſſet.

LIBRI XXIII.

CAmpani ad Annibalē defecere. Nuntius cannenſis uictoriæ Mago Carthaginem miſſus annulos aureos à digitis occiſorum Romanorum detractos in ueſtibulo curiæ fudit: quos excessiſſe modij menſuram traditur. poſt quem quidem nuntium Hanno ex pœnis uir nobiliſſimus ſuadebat ſenatui Carthaginenſium: ut pacem à populo romano peterent: nec tenuit, obſtrepente barchina factione. Claudius Marcellus prætor ad Nolā eruptione aduerſus Annibalem ex oppido facta proſpere pugnauit, Exercitus Annibalis per hyberna Capuæ ita luxuriatus eſt: ut corporum uiribus, atq; animorum eneruaretur. Caſilinum à Pœnis obſeſſum ita fame uexatum eſt: ut lora, & pelles ſcutis detractas, item mures eſſent: & nucibus per Vulturnum amnem à Romanis miſſis uixerint. Senatus ex equeſtri ordine hominibus centum nonaginta ſeptem ſuppletus eſt. L. Poſthumus prætor à Gallis cum exercitu cæſus eſt. Cn. & P. Scipiones in Hiſpania Aſdrubalem uicerunt: & Hiſpaniam ſuam fecerunt. Reliquiæ cannenſis exercitus in Siciliam relegatæ ſunt: ne recederent inde, ni-

ſi finito bello. Inter Philippum Macedonum Regem, & Annibalem ſocietas iuncta eſt. Sempronius Grac chus COS. Campanos cecidit. Praeterea in Sardi nia feliciter à T. Manlio praetore aduerſus Poenos, Sar dosq́; res geſtas continet: à quo Aſdrubal dux, & Ma go, & Hanno capti. Claudius Marcellus praetor An nibalis exercitum ad Nolam praelio fudit: & uicit: pri musq́; omnium tot cladibus feſſis Romanis meliorem ſpem belli dedit.

LIBRI XXIIII.

h Ieronymus Syracuſanorum Rex, cuius auus Hiero amicus populo romano fuerat: ad Car thaginenſes defecit: & propter crudelitatem, ſuperbiámq́; à ſuis interfectus eſt. T. Sempronius Grac chus proconſul proſpere aduerſus Poenos, & Hanno nem ducem ad Beneuentum pugnauit, ſeruorum ma xime opera: quos liberos eſſe iuſſit. Claudius Mar cellus COS. in Sicilia, quae prope tota ad Poenos defe cerat: Syracuſas obſedit. Philippo Macedonum Re gi bellum indictum eſt. qui ad Apolloniam noctur no praelio oppreſſus, fugatusq́; , in Macedoniam cum prope inermi exercitu profugit. ad id bellum gerendū Valerius praetor miſſus eſt. Res praeterea in Hiſpa nia à P. & Cn. Scipionibus aduerſus Carthaginenſes geſtas continet. Syphax Rex Numidarum in amici tiam aſcitus contra Maſaniſſam Regem Maſaeſulorum pro Carthaginenſibus pugnans, uictus, in Hiſpaniam * ad Scipionem cum maxima manu tranſiit contra Ga des: ubi anguſto freto Africa, & Hiſpania dirimuntur.

Celtiberi quoq; in amicitiam recepti ſunt: quorum auxilijs accitis, tunc primum mercenarium militem romana caſtra habuerunt.

LIBRI XXV.

P. Cornelius Scipio, poſtea Africanus, ante legitimos annos ædilis factus eſt. Annibal urbem Tarentum præter arcem per tarentinos iuuenes, qui ſe noctu uenatum ire ſimulauerant: cepit. Ludi Apollinares ex Martis carminibus, quibus cannenſis clades prædicta fuerat: inſtituti ſunt. A Q. Fuluio, & Ap. Claudio COSS. aduerſus Hannonem Pœnorum ducem proſpere pugnatum eſt. T. Sempronius Gracchus proconſul ab hoſpite ſuo Lucano in inſidias ductus, à Magone interemptus eſt. Centenius Penula, qui centurio militauerat: cum petiſſet à ſenatu: ut ſibi exercitus daretur: pollicitusq; eſſet, ſi hoc impetraſſet: de Annibale uictoriam: octo millibus acceptis militum dux factus conflixit acie cum Annibale: qui cum exercitu eum cecidit. Cn. Fuluius prætor male aduerſus Annibalem pugnauit: in quo prælio hominum ſexdecim millia ceciderunt: ipſe cum equitibus ducentis effugit. Capua obſeſſa eſt à Q. Fuluio, & ab Ap. Claudio COS. Claudius Marcellus Syracuſas expugnauit anno tertio: & ingentem ſe uirum geſſit. in eo tumultu urbis captæ Archimedes intentus formis, quas in puluere deſcripſerat: interfectus eſt. P. & Cn. Scipiones in Hiſpania tot tantarumq; rerum feliciter geſtarum triſtem exitum tule-

runt, propè cum totis exercitibus cæſi anno octauo, quàm in Hiſpaniam ierant. amiſſáq; eius prouinciæ poſſeſſio foret: niſi L. Marij equitis romani uirtute & induſtria contractis exercituum reliquijs, eiuſdem hortatu bina caſtra hoſtium expugnata eſſent. ad triginta ſeptem millia cæſa: ex mille octingentis: præda ingens capta. dux Martius appellatus eſt. *

LIBRI XXVI.

Nnibal ad tertium ab urbe Roma lapidem a *ſuper Anienem caſtra poſuit. ipſe uero cum duobus millibus equitum uſq; ad portam Capenam, ut urbis ſitum exploraret: obequitauit. & cum per triduum in aciem utrinq; exercitus omnis deſcendiſſet: certamen tempeſtas diremit. nam cum in caſtra rediſſent: ſtatim ſerenitas erat. Capua capta eſt à Q. Fuluio, & Ap. Claudio COSS. principes campani ueneno ſibi conſciuerunt mortem. Cum ſenatus Cápanorum deligatus eſſet ad palos: ut ſecuri feriretur: literas à ſenatu miſſas Q. Fuluius COS, quibus iubebatur parcere: antequam legeret, in ſinu poſuit: & lege agi iuſſit: & ſupplicium peregit. Cum in comitijs apud populum quæreretur: cui mandaretur Hiſpaniarum imperium: nullo id uolente ſuſcipere, P. Scipio P. filius, qui in Hiſpania ceciderat: profeſſus eſt ſe iturum. et ſuffragio populi, conſenſúq; omnium miſſus, Nouam Carthaginem uno die expugnauit: cum ageret uigeſimum quartum annum: uidereturq; diuina ſtirpe creatus: quoniam & ipſe, poſteaquam togam ac-*

cœperat: quotidie in Capitolio erat: & in cubiculo matris eius anguis ſæpenumero uiſus eſt. Res præterea in Sicilia geſtas continet: & amicitiam cum Aetolis iunctam, bellumq́; geſtum aduerſum Acarnânas, & Philippum Macedonum Regem.

LIBRI XXVII.

c N. Fuluius proconſul cum exercitu ab Annibale cæſus eſt. Meliore euentu à Claudio Marcello conſule aduerſus eundem ad Numiſtronem pugnatum eſt. inde Annibal noctu receſſit. Marcellus inſecutus eſt: & ſubinde cedentem preſſit: donec effugeret. priore pugna Annibal ſuperior fuit: Marcellus inſequenti. Fabius Maximus pater COS. Tarentinos per deditionem accepit. In Hiſpania ad Betulam Scipio cum Aſdrubale Amilcaris conflixit: & uicit. inter alia captum puerum regalem eximiæ formæ ad auunculum Maſaniſſam cum donis miſit. Claudius Marcellus, T. Quintius Criſpinus COSS. ſpeculandi cauſa egreſſi à caſtris inſidijs ab Annibale circumuenti ſunt. Marcellus occiſus fuit: Criſpinus fugit. Res præterea à P. Sulpitio prætore aduerſus Philippum, & Acheos geſtas continet. Luſtrum à cenſoribus conditum eſt: cenſa ſunt ciuium capita centum triginta ſeptem millia, centum & octo. ex quo numero apparuit quantum hominum tot præliorum aduerſa fortuna populo romano abſtuliſſet. Aſdrubal, qui cum exercitu nouo tranſcenderat Alpes: ut ſe Annibali coniungeret: cum millibus hominum LVI cæ=

ſus eſt M. Liuij conſulis ductu, non minore opera Clau dij Neronis conſulis. qui cum Annibali oppoſitus eſſet: relictis caſtris, ita ut inimicum falleret: electa manu profectus Aſdrubalem circumuenit.

LIBRI XXVIII.

Res in Hiſpania proſpere geſtæ à Syllano Scipionis legato, & L. Scipione fratre aduerſus Pœnos, à Sulpitio proconſule, & ab Attalo Rege Aſiæ aduerſus Philippum Regem Macedonum pro Aetolis referuntur. Cū M. Liuio, & Claudio Neroni COSS. triumphus decretus eſſet: Liuius, qui in prouincia ſua rem geſſerat: quadrigis inuectus eſt: Nero, qui in collegæ prouinciam, ut uictoriam eius adiuuaret: uenerat: equo eſt ſecutus: & in hoc habitu plus gloriæ, reuerentiæq; habuit. nam & plus in bello, quàm collega fecerat. Ignis in æde Veſtæ negligentia uirginis, quæ non cuſtodierat: extinctus eſt. uirgo cæſa eſt flagro. P. Scipio in Hiſpania cum Pœnis bellauit XIIII anno eius belli, anno quinto, poſteaquam ierat: excluſiſq; in totum poſſeſſione eius hoſtibus, Hiſpniam recepit: & à Tarracone in Africam ad Syphacem Regem Numidarum duobus nauigiis tranſuectus, fœdus iunxit. Aſdrubal Giſgonis ibi cum eo in eodem lecto accubauit. munus gladiatoriū in honorem patris, patruiq; Carthagini Nouæ dedit, non ex gladiatoribus: ſed ex iis: qui aut in honorem ducis, aut ex prouocatione in certamen deſcendebant: in quo reguli fratres de regno ferro contenderunt.

Cum Aſtapa urbs ab Romanis oppugnaretur: oppidani liberos, & coniuges rogo extructo occiderunt: ſe inſuper præcipitauerunt. Ipſe Scipio dum graui morbo implicitus eſſet: ſeditionem in parte exercitus motam confirmatus diſcuſſit: rebellanteſq; Hiſpaniæ populos coegit in deditionem uenire. Et amicitia facta eſt cum Maſaniſſa Rege Numidarum: qui illi quidem auxiliū, ſi in Africam traieciſſet: pollicebatur. cum Gaditanis quoq; poſt diſceſſum inde Magonis. cui ex Carthagine ſcriptum erat: ut in Italiam traijceret. Romam reuerſus, conſulq; creatus. Africam prouinciam petenti, contradicente Q. Fabio Maximo, Sicilia data eſt: permiſſumq;: ut in Africam traijceret: ſi ex Rep. eſſe cenſeret. Mago Amilcaris filius à minore Baleari inſula, ubi hyemarat: in Italiam traiecit.

LIBRI XXIX.

e X Sicilia C. Lælius in Africam à Scipione miſſus ingentē prædam reportauit: & mandata Maſaniſsæ Scipioni expoſuit, conquerentis: quod non exercitum in Africam traieciſſet. Bellum in Hiſpania finitum, uictore Romano: quod Indibilis excitauerat. ipſe in acie occiſus: Mandonius expoſcentibus Romanis à ſuis deditus eſt. Magoni, qui in Galliam, & Liguriam ierat: ex Africa & militum ampla manus miſſa: & pecuniæ: quibus auxilia conduceret: præceptumq;: ut ſe Annibali iungeret. Scipio à Syracuſis in Brutios traiecit: & Locros, pulſo punico præſidio, fugatoq; Annibale, recepit.

Pax cum Philippo facta eſt. Idæa mater deportata eſt Romam à Peſinunte oppido Phrygiæ: carmine in libris ſibyllinis inuento: pelli Italia alienigenam hoſtem poſſe: ſi mater Idæa deportata Romam eſſet. tradita autem eſt Romanis per Attalū Regem Aſiæ. Lapis erat: quem matrem deûm incolæ dicebant. excepit P. Scipio Naſica, Cn. filius, eius, qui in Hiſpania perierat: uir optimus à ſenatu iudicatus, adoleſcens non dum quæſtorius: quoniam ita reſponſum habebatur: ut numen id ab optimo uiro reciperetur: conſecrareturq́;. Locrenſes legatos Romam miſerunt: qui de impudentia Q. Plemnij legati quererentur: quod pecuniam Proſerpinæ abſtulerat: & liberos eorum, & coniuges ſtuprauerat. Plemnius in catenis Romá perductus in carcere mortuus eſt. Cum falſis rumor de P. Scipione proconſule, qui in Sicilia erat: in urbem perlatus eſſet: tanquam luxuriaretur: miſſis ob hoc legatis à ſenatu, qui explorarent: an ea uera eſſent: purgatus infamia Scipio in Africam traiecit ſenatus permiſſu. Syphax accepta filia in matrimonium Aſdrubalis Giſgonis, amicitiæ, quam cum Scipione ipſe iunxerat: renuntiauit. Maſaniſſa Rex Maſæſulorum, dum pro Carthagine in Hiſpania militat: amiſſo patre Gala, de regno exciderat. quo per bellum ſæpe repetito, aliquot prælijs à Syphace Rege Numidarū uictus, in totum priuatus eſt: & cum ducentus equitibus exul Scipioni ſe iunxit: & cum eo primo ſtatim bello Hannonem Amilcaris filium cum ampla manu interemit. Scipio aduentu Aſdrubalis & Syphacis, qui propè cum centum millibus armatorum uene-

rant:ab obſidione Vticæ depulſus hyberna communiuit. Sempronius COS. in agro crotonienſi proſpere aduerſus Annibalem pugnauit. Luſtrum à cenſoribus conditum eſt.cenſa ſunt ciuiũ capita CCXV millia. Inter cenſores M.Liuium, & Claudium Neronem notabilis diſcordia fuit.nam & Claudius Liuio collegæ equum ademit: quod à populo romano damnatus,actusq; in exiliũ fuerat: & Liuius Claudio: quod falſum in ſe teſtimonium dixiſſet: & quod minime bona fide ſecum in gratiam rediſſet.idem omnes tribus, extra unam,ærarias reliquit: & quod innocentem ſe damnaſſent: & poſtea conſulem,cenſoremq; feciſſent.

LIBRI XXX.

IN Africa Scipio Carthaginenſes, & eundem Syphacem Numidarum Regem, Aſdrubalemq; pluribus prælijs uicit,adiuuante Maſaniſſa:binaq; hoſtium caſtra expugnauit: in quibus XL millia hominum ferro igniq; conſumpta ſunt.Syphacem per C.Lælium cepit. Maſaniſſa Sophoniſbam uxorem Syphacis,filiam Aſdrubalis, captam ſtatim adamauit: & nuptiis factis uxorem habuit: caſtigatusq; à Scipione uenenum ei tranſmiſit: quo quidem hauſto illa deceſſit.Effectumq; eſt multis Scipionis uictorijs:ut Carthaginenſes in deſperationem acti in auxilium publicæ ſalutis Annibalem ex Italia reuocarent.isq; anno decimoſexto Italia diſcedens in Africam traiecit:tentauitq; per colloquium pacem cum Scipione componere: & cum de conditionibus pacis non

conueniſſet: acie uictus eſt. Pax Carthaginenſibus data eſt petentibus. Annibal Giſgonem pacem diſſuadentem manu ſua dextraxit: excuſata deinde temeritate facti, ipſe pacem ſuaſit. Mago bello, quo in agro Inſubrium cum Romanis conflixerat: uulneratus, dum in Africam per legatos reuocatus reuerteretur: ex uulnere mortuus eſt. Reuerſus in urbem Scipio ampliſſimum, nobiliſſimumq; egit triumphum: quem Q. Terentius Culleo ſenator pileatus ſecutus eſt. Scipio Africanus, incertum militari prius fauore, an populari aura ita cognominatus ſit: primus certe hic imperator uictæ à ſe nomine gentis nobilitatus eſt.

LIBRI XXXI.

b ELLI aduerſus Philippum Macedoniæ Regem, quod intermiſſum erat: repetiti cauſæ feruntur hæ. Tempore initiorum duo iuuenes Acarnânes, qui non initiati erant: Athenas uenerunt: & in ſacrarium Cereris cum alijs pluribus ſuis intrauerunt. ob hoc, tanquam nefas ſummum commiſiſſent: ab Atheniēſibus cæſi ſunt. Acarnânes mortibus ſuorum commoti ad uindicandum illos auxilium à Philippo petierunt. Paucis menſibus poſt pacem Carthaginenſibus datam, quingenteſimo quadrageſimo anno ab urbe condita, cum Athenienſium, qui obſidebâtur à Philippo: legati auxilium à ſenatu petiſſent: & ſenatus id cenſuiſſet ferendum, plebe, quod tot bellorum continuus labor gra

uis erat:diſſentiente: tenuit authoritas patrum: ut ſociæ ciuitati ferre quoq; opem populus iuberet. Bellum id P. Sulpitio conſuli mandatum eſt: qui exercitu in Macedoniam ducto: equeſtribus prælijs cum Philippo proſpere pugnauit. Abydeni à Philippo obſeſſi ad exemplum Saguntinorum ſuos, ſeq; occiderunt. L. Furius prætor Gallos Inſubres rebellantes, & Amilcarem Pœnum bellũ in ea parte molientem acie uicit. Amilcar eo in bello occiſus eſt: & millia hominum XXXV. Præterea expeditiones Philippi Regis, & Sulpitij conſulis, expugnationesq; urbium ab utroq; factas continet. Sulpitius COS adiuuantibus Rege Attalo, & Rhodijs bellum gerebat. Triumphauit de Gallis L. Furius prætor.

LIBRI XXXII.

Complura prodigia ex diuerſis regionibus nunciata referuntur: inter quæ, in Macedonia in puppi longæ nauis lauream eſſe natam. T. Quintius Flaminius COS aduerſus Philippum feliciter pugnauit in faucibus Epiri: fugatumq; coegit in regnum reuerti. Ipſe Theſſaliam, quæ eſt uicina Macedoniæ: ſocijs Aetolis, & Acarnanibus, uexauit. L. Quintius Flaminius conſulis frater nauali prælio, Attalo Rege, & Rhodijs adiuuantibus, Eubœã, & maritimam oram cepit. Achæi in amicitiam recepti ſunt. Coniuratio ſeruorum facta de ſoluendis Carthaginenſibus obſidibus oppreſſa eſt. Prætorum numerus ampliatus eſt: ut ſeni crearẽtur. Cornelius COS Gallos Inſubres prælio fudit. Cum Lacedæmonijs, et

tyranno eorum Nabide amicitia iuncta eſt. Præterea expugnationes urbium in Macedonia referuntur.

LIBRI XXXIII.

t

Itus Quintius Flamminius proconſul cum Philippo ad Cynocephalas in Theſſalia acie uicto debellauit. L. Quintius Flaminius frater proconſulis, Acarnânes, Leucade urbe, quæ caput eſt Acarnaniæ: expugnata, in deditionem accepit. C. Sempronius Tauditanus prætor à Celtiberis cũ exercitu cæſus eſt. Attalus à Thebis ob ſubitam inualitudinem translatus deceſſit. Pax petenti Philippo, Græciæ libertas data eſt. L. Furius, & Claudius Marcellus conſules Boios, & Inſubres Gallos ſubegerunt. Marcellus triumphauit. Annibal fruſtra in Africa bellum molitus, & ob hoc Romanis per epiſtolas aduerſæ factionis principum delatus, propter metum Romanorum, qui legatos ad Carthaginenſium ſenatum de eo miſerant: profugus ad Antiochum Regem Syriæ ſe contulit, bellum contra Romanos parantem.

LIBRI XXXIIII.

l

Ex Oppia, quam C. Oppius tribunus plebis bello Punico de ſtringendis cultibus matronarum tulerat: cum maxima contentione abrogata eſt: cum Porcius Cato author fuiſſet: ne ea lex aboleretur, Is in Hiſpaniam profectus bello, quod Emporijs orſus eſt: citeriorem Hiſpaniam pacauit. T. Quintius Flamminius bellum aduerſus Lacedæmonios, & tyrannum eorum Nabidem proſpere ge-

ſtum, datæ iis pace, qualem ipſe uoluit: liberatisq; Argis, qui ſub ditione tyrãni erant: finiuit. Senatus tunc primum ſecretus à populo ludos ſpectauit. ut id fieret, Sex. Aelius Pætus, & L. Cornelius Cethegus cenſores interuenerunt cum indignatione plebis. Coloniæ pleræq; deductæ ſunt. M. Porcius Cato de Hiſpania triũphauit. Res præterea aduerſus Boios, & Inſubres Gallos feliciter geſtæ referuntur. T. Quintius Flaminius, qui Philippum Macedonum Regem, & Nabidem Lacedæmoniorum tyrannum uicerat: Græciamq; omnem liberauerat: ob hanc rerum factarum multitudinem triduo triumphauit. Legati Carthaginenſium nunciauerunt: Annibalem, qui ad Antiochum confugerat: bellum cum eo moliri. tentauerat autem per Ariſtonem Tyrium ſine literis Carthaginem miſſum ad rebellandum Pœnos concitare.

LIBRI XXXV.

P. Scipio Africanus legatus miſſus ad Antiochum, Epheſi cum Annibale, qui ſe Antiocho iunxerat: collocutus eſt: ut, ſi fieri poſſet, metum uitæ, quẽ ex populo romano conceperat: eximeret. Inter alia cum quæreret ab Annibalem: quẽ fuiſſe maximum imperatorem Annibal crederet: reſpondit: Alexandrum Macedonũ Regem: quod parua manu innumerabiles exercitus fudiſſet: quodq; ultimas oras, quas uiſere ſupra fidem humanam eſſet: peragraſſet quærenti deinde quem ſecundum poneret: inquit: Pyrrhum: eo quod caſtra metari docuiſſet: ad hæc neminem elegantius loca cepiſſe: præſidia diſpo-

ſuiſſe. exequenti quem tertium diceret: ſemet dixit. ridens Scipio, quidnam tu diceres: ſi me, inquit, uiciſſes? tunc uero, inquit, me & ante Alexandrum, & ante Pyrrhum, & ante alios poſuiſſem. Inter ea prodigia, quæ plurima fuiſſe traduntur: bouem, Cn. Domitio conſule, locutum: Roma caue tibi: refertur. Apparant in Antiochum bellum Romani. Nabis Lacedæmoniorum tyrannus incitatus ab Aetolis, qui & Philippum, & Antiochum ad inferendum bellum populo romano ſolicitabant: à populo romano deſciuit: & bello aduerſus Philopœmenem Achæorum prætorem geſto, ab Aetolis interfectus eſt. Aetoli quoq; ab amicitia populi romani defecerunt. cum quibus ſocietate iuncta Antiochus Syriæ Rex cum bellum Græciæ intuliſſet: complures urbes occupauit: inter quas Chalcidem, & totam Eubœam. Res præterea in Liguribus geſtas, & apparatum belli ab Antiocho continet.

LIBRI XXXVI.

M Arcus Attilius Glabrio COS Antiochum apud Thermopylas, Philippo Rege adiuuãte, uictum Græcia expulit: idemq; Aetolos ſubegit. P. Cornelius Scipio Naſica COS ædem matris deûm, quam ipſe in Palatium intulerat, uir optimus à ſenatu iudicatus: dedicauit: idemq; Boios, & Gallos uictos in deditionem accepit: & de iis triumphauit. Præterea naualia certamina proſpera aduerſus præfectos Antiochi Regis referuntur.

LIBRI XXXVII.

c Ornelius Scipio COS, legato P. Scipione Africano, qui ſe fratris legatum futurum dixerat: ſi ei Græcia, & Aſia prouincia decerneretur: cum C. Lælio, qui multum in ſenatu poterat: ea prouincia dari uideretur: profectus ad bellum aduerſus Antiochum gerendum, in Aſiam primus omnium Romanorum ducum traiecit. Aemylius Regillus aduerſus regiam claſſem Antiochi feliciter pugnauit ad Myonneſum, Rhodijs adiuuantibus. Filius Africani ab Antiocho captus patri remiſſus eſt. M. Attilius Glabrio de Antiocho, quem Græcia expulerat: & de Aetolis triũphauit. Victo deinde Antiocho à L. Cornelio Scipione, adiuuante Eumene Rege, Attali Pergameni filio, pax data, ea conditione: ut omnibus prouincijs citra Taurum mõtem cederet. Eumeni, quo iuuante Antiochus uictus erat: regnum ampliatum. Rhodijs quoq;, qui & ipſi iuuerant: quædam ciuitates conceſſæ. Colonia deducta eſt Bononia. Aemylius Regillus, qui præfectos Antiochi nauali certamine uicerat: naualẽ triumphum duxit. L. Cornelius Scipio, qui cum Antiocho bellauerat: cognomine fratri coæquatus, Aſiaticus appellatus eſt.

LIBRI XXXVIII.

m Arcus Fuluius COS in Epiro Ambracienſes obſeſſos, per deditionem accepit: Cephaleniam ſubegit: Aetolis perdomitis pacem de-

dit. Cn. Manlius COS, collega eius Gallogræcos To
liſtobogios Tectoſages, & Throcmos, qui Brenno duce
in Aſiam tranſierant: cum ſoli citra Thaurum mon-
tem minime parerent: uicit. Eorum origo, & cum co lo
ca, quæ tenent: occupauerantq;: referuntur. Exemplũ
quoq; uirtutis, & pudicitiæ in fœmina traditur. Quæ,
cum Regis Gallogræcorum uxor fuerat: capta centu-
rionem, qui ei uim intulerat: occîdit. Luſtrum à cen
ſoribus conditum eſt. cenſa ſunt ciuiũ capita CCLVIII
millia, et CCCXVIII. Cum Ariarathe Rege Cap
padociæ amicitia iuncta eſt. Cn. Manlius, contradicen
tibus decem legatis, ex quorum conſilio fœdus cum An
tiocho conſcripſerat: de Gallogræcis, acta per ſe cauſa
in ſenatu, triumphauit. Scipio Africanus, die ei dicta,
ut quidam aiunt: à Petilio Actæo trib. plebis, ut qui-
dam: à Næuio, quod præda cum Antiocho capta æra
rium fraudaſſet: poſteaquam is dies uenit: euocatus in
roſtra, hac die inquit, Quirites Carthaginem uici: &
proſequente populo, Capitolium aſcendit: inde, ne ampli
us tribunitijs iniurijs uexaretur: in uoluntarium exi-
lium Liternum conceſſit, incertum ibi, an romæ defun
ctus. nam eius monimentum utrobiq; fuit. L. Scipio
Aſiaticus, frater Africani, eodem peculatus crimine ac
cuſatus, damnatusq;, cum in uincula, & carcerẽ ducere
tur: T. Sempronius Gracchus tribunus plebis, qui antea
Scipionibus inimicus erat: interceſſit: & ob id benefi-
cium Africani filiam duxit. Cum populus quæſtores
in bona eius publicæ poſſidenda miſiſſet: non modo in
ijs nullum ueſtigium pecuniæ regiæ apparuit: ſed ne-
quaquam tantum in ærarium redactum: quantæ ſum

mæ erat damnatus·collatam à cognatis, & amicis innumerabilem pecuniam accipere noluit·quæ neceſſitati ei erat ad cultum: retenta·

LIBRI XXXIX·

Emylius COS *Liguribus ſubactis, uiam*
a *à Placentia uſq; Ariminum perductam Flaminiæ iunxit· Initia luxuriæ introducta ab exercitu Aſiatico referuntur· Ligures, quicunq; circa Apenninum erant: ſubacti ſunt· Bacchanalia ſacrum Græcum, & quidem nocturnum, ſcelerum omnium maximum ſeminarium, cum ad ingentis turbæ coniurationem perueniſſet: à conſule inueſtigatum: & multorum pœna ſublatum eſt· À cenſoribus L· Valerio Flacco, & M·Porcio Catone, uir & belli & pacis artibus maximus motus eſt ſenatu L· Quintius Flaminius·T· Quintij frater: eo quod cum Galliam prouinciam* COS *optinuerat: rogatus à Philippo Pœno, quem amabat: ſcorto nobili, Gallum quendam ſua manu occiderat: ſiue, ut quidam tradiderunt: unum damnatorum ſecuri percuſſerat, rogatus à meretrice Placentina: cuius amore deperibat· Extat in eum M· Catonis oratio· Scipio Literni deceſſit· Et, tanquam iungente fortuna circa id tempus duo funera maximorum uirorum, Annibal à Pruſia Bithyniæ Rege, ad quem uicto Antiocho confugerat: cum dederetur Romanis: qui ad expoſcendum illum T·Quintium Flaminium miſerant: ueneno ſibi mortem conſciuit·Philopœmenes quoq;, dux Achæorum, uir maximus eſt à*

Meſſenijs interemptus ueneno: cum ab ijs bello captus eſſet. Coloniæ Pollentia, & Piſaurum, & Mutina, & Parma, deductæ ſunt. Præterea res aduerſum Celtiberos proſpere geſtas, & initia, cauſasq; belli Macedonici continet. cuius origo inde uenit: quod Philippus ægre ferebat regnum ſuum minui à Romanis: eo quod cogeretur à Thracibus, alijsq; locis præſidia deducere.

LIBRI XL.

Cum Philippus liberos eorum: quos in uinculis nobiliſſimorum quidem hominum habebat: conquiri ad mortem iuſſiſſet: Theoxena pro liberis ſuis, & ſororis uerita admodum pueris regis libidinem, prolatis in medium gladijs, & poculo, in quo erat uenenum: ſuaſit ijs: ut imminens ludibrium morte effugerent: & cum perſuaſiſſet: ipſa etiam ſe interemit. Certamina inter Philippi Macedoniæ Regis liberos Perſeum & Demetrium referuntur: & ut fraude fratris ſui Demetrius confictis criminibus, inter quæ accuſationem parricidij, & affectationem regni, primum ferro petitus, ad ultimum, quoniam populi romani amicus erat: ueneno necatus eſt: regnũq; Macedoniæ mortuo Philippo ad Perſeum deuênit. Item res in Liguribus, et Hiſpania contra Celtiberos à côpluribus feliciter geſtas continet. Libri Numæ Pompilij in agro L. Petilij ſcribæ ſub Ianiculo à cultoribus agri in arca lapidea clauſi et Græci, & latini inuenti ſunt. in qbus plura, quæ diſſoluẽdarũ religionũ erant: prætor ad quẽ delati erãt: cũ legiſſet: iurauit ſenatui cõ

tra rēpub. eſſe, ut legerentur: ſeruarēturq́;: & ex S. C. in comitio exuſti ſunt. Colonia Aquileia deducta eſt. Philippus ægritudine animi confectus, quod Demetriū filium falſis alterius filij in eundem delationibus impulſus ueneno ſuſtuliſſet: & de pœna Perſei cogitauit: uoluitq; Antigonum potius amicum ſuum ſucceſſorem regni ſui relinquere. ſed in hac cogitatione morte raptus eſt. regnum Perſeus accepit.

LIBRI XLI.

i GNIS In æde ueſtæ extinctus eſt. T. Sempronius Gracchus procōſul Celtiberos uictos in deditionē accepit: monimentumq́; operum ſuorum, Gracchorum oppidum in Hiſpania conſtituit. À Poſthumio Albino proconſule Vaccei, ac Luſitani ſubacti ſunt. de utriſq; triumphauit. Antiochus Antiochi filius obſes Romanis à patre datus, mortuo fratre Seleuco, q̄ patri defuncto ſucceſſerat: ī regnū Syriæ ab urbe dimiſſus. Luſtrū à cenſoribus conditū eſt. Cenſa ſunt ciuiū capita CCLXIII millia, CCXCIIII. Q. Volumnius Saxa trib. pl. legem tulit: nequis hæredem mulierem inſtitueret. ſuaſit legem M. Cato. extat oratio eius. Præterea res contra Ligures, Iſtros, Sardos, & Celtiberos à compluribus ducibus geſtas continet. & initia belli Macedonici: quod Perſeus Philippi filius moliebatur. miſerat enim ad Carthaginenſes legationem: & ab ijs nocte audita erat. ſed & alias Græciæ ciuitates ſolica-

tabat·qui præter religionem, quod quam multa templa magnifica multis locis erexit: Athenis Iouis Olympij, & Antiochiæ: uiliſſimum Regem egit.

LIBRI XLII.

f Vluius Flaccus cenſor templum Iunonis Laciniæ tegulis marmoreis ſpoliauit: ut ædem, quam dedicauerat: tegeret·tegulæ ex S·C·reportatæ. Eumenes Aſiæ Rex in ſenatu de Perſeo Macedoniæ Rege queſtus eſt·cuius iniuriæ in populum romanum referuntur·ob quas bello ei indicto, P·Licinius Craſſus COS, cui Macedonia decreta erat: in Macedoniam tranſijt: leuibusq; expeditionibus, equeſtribus prælijs in Theſſalia cum Perſeo felici euentu pugnauit. Inter Maſaniſſam, & Carthaginenſes de agro fuit dies ad diſceptandum à ſenatu datus. Legati miſſi ad ciuitates ſocias, & Reges rogandos: ut in fide permanerent: dubitantibus Rhodijs. Luſtrum à cenſoribus cõditũ eſt·Cenſa ſunt ciuiũ capita CCLVII millia, CCXXXI. Res præterea aduerſus Corſos, & Ligures proſpere geſtas continet.

LIBRI XLIII.

p Rætores nonnulli, eo quod auare & crudeliter prouincias adminiſtraſſent: damnati ſunt. P·Licinius Craſſus proconſul complures in Græcia urbes expugnauit: & crudeliter diripuit·ob id captiui, qui ab eo uenierant: ex S·C·po-

ſtea reſtituti ſunt. A praefectis claſſium Romanorum multa impotenter in ſocios facta. Res praeterea à Perſeo Rege in Thracia proſpere geſtas continet: & uictis Dardanis, & Illyrico: cuius Rex erat Gentius. Motus, qui in Hiſpania ab Olonico factus erat: ipſo interempto conſedit. M. Aemylius Lepidus à cenſoribus princeps in ſenatu lectus.

LIBRI XLIIII.

C. Martius Philippus per ſaltus penetrauit in Macedoniam: cōpluresq; urbes occupauit. Rhodij miſere legatos Romam, minantes: ut Perſeo eſſent auxilio: niſi populus romanus cum eo pacem atq; amicitiam coniungeret. indigne id latum. Cū id bellum L. Aemylio Paulo ſequentis anni conſulī iterum mandatum eſſet: Paulus in cōcione precatus eſt: ut quicquid diri populo romano immineret: ſupra domum ſuam conuerteretur: & in Macedoniam profectus Perſeum uicit: uniuerſamq; Macedoniam in poteſtatem redegit. antequam confligeret: dixit exercitui: ne miraretur, quod luna nocte proxima defectura eſſet. Gentius quoq; Rex Illyricorum, cum rebellaſſet: à Licinio praetore uictus uenit in deditionem: & cum uxore, & liberis, & propinquis Romam miſſus. Ab Alexandria legati à Cleopatra, & Ptolemaeo regibus uenerunt, querentes de Antiocho Rege Syriae: quod is bellum inferret. Perſeus ſolicitatis in auxilium Eumene Rege Pergami, & Gentio Rege Illyricorum, quia ijs pecuniam, quam promiſerat: minime dabat: ab eis relictus eſt.

PErſeus ab Aemylio Paulo in Samothracia captus eſt. Cum Antiochus Syriæ Rex Ptolemæum & Cleopatram, Aegypti Reges obſideret: & miſſis ad eum à ſenatu legatis, qui iuberent: ab obſidione ſocij Regis abſiſteret: editisq́; mandatis conſideraturum ſe ille, quid faciundum eſſet, reſpondiſſet: unus legatorum Popilius uirga regem circũ ſcripſit: iuſſitq́; antequam circulo excederet, reſponſum daret. qua aſperitate effecit ut Antiochus bellum omitteret. Legationes gratulantium populorum, ac regum in ſenatum admiſſæ. Rhodiorum, quia eo bello contra populum romanum fuerant, excluſa. poſtero die cum de eo quæreretur: ut ijs bellum indiceretur: cauſam in ſenatu patriæ ſuæ legati egerunt: nec tanquam hoſtes, nec tanquam ſocij dimiſſi. Macedonia in prouinciæ formam redacta eſt. Aemylius Paulus repugnantibus militibus eius propter minorem prædam, & contradicente Seruio Sulpitio Galba triumphauit: & Perſeum cum tribus filijs ante currum duxit. cuius triũphi lætitia, ne ſolida ei contingeret: duorum filiorum funeribus inſignita eſt. quorum alterius mors patris triumphum præceſſit: alterius ſecuta eſt. Luſtrum conditum eſt à cenſoribus. Cenſa ſunt ciuium capita CCCXII millia, DCCCV. Pruſias Bithyniæ Rex Romam, ut ſenatui gratias ageret ob uictoriam ex Macedonia partam, uenit. & Nicomedem filium ſuũ ſenatui commendauit. Rex plenus adulationis libertum ſe populi romani eſſe dicebat.

Vmenes Rex Romam uenit. qui, quia Macedonico bello ſe medium egerat: ne aut inimicus iudicatus uideretur: ſi excluſus eſſet: aut liberatus crimine: ſi admitteretur: in comitio lex lata eſt: ne cuiquam Regi Romam uenire liceret. Claudius Marcellus COS alpinos Gallos, C. Sulpitius Gallus Ligures ſubegit. Legati Pruſiæ Regis conqueſti ſunt de Eumene: quod fines ſuos popularetur: dixeruntq;: eum conſpiraſſe cum Antiocho contra populum romanum. Societas cum deprecantibus Rhodijs iuncta eſt. Luſtrum à cenſoribus conditum eſt. Cenſa eo ſunt ciuiū capita CCCXXVII millia, XXII. Princeps ſenatus lectus M. Aemylius Lepidus. Ptolemæus Aegyptiorum Rex à minore fratre è regno pulſus, miſſis ad eum legatis, in regnū reſtitutus eſt. Ariarathe Cappadociæ Rege mortuo, filius eius Ariarathes accepit regnum: & amicitiam per legatos cum populo romano renouauit. Res præterea aduerſus Ligures, Corſos, & Luſitanos uario euentu geſtas, & motus Syriæ, mortuo Antiocho, qui filium Antiochum puerum admodum reliquerat: continet. Hunc Antiochum puerum cum Lyſia tutore Demetrius, Seleuci filius, qui Romam obſes miſſus fuerat: clam, quia minime dimittebatur à Romanis: interemit: et ipſe in regnum receptus. L. Aemylio Paulo, qui Perſeum uicerat: mortuo, cuius tanta abſtinentia fuit: ut cum ex Hiſpania, & Macedonia maximas opes retuliſſet: uix ex auctione bonorum eius redactum eſt, unde

dos uxori

dos uxori eius redderetur. Pontinæ paludes à Cornelio Cethego conſule, cui ea prouincia euenerat: ſiccatæ: agerq́; ex ijs factus.

LIBRI XLVII.

N. Tremelio tribu. pl. multa dicta eſt: quod cum M. Aemylio Lepido, pontifice maximo, iniurioſe contenderat. ſacrorum quoq; magiſtratuū ius potentius fuit. Lex de ambitu lata. Luſtrum à cenſoribus conditum eſt. cenſa ſunt ciuium capita CCCXXVIII millia, CCCXIIII. Et principes ſenatus lectus Aemylius Lepidus. Inter Ptolemæos fratres, qui diſſidebant: fœdus ictum: ut alter in Aegypto, alter Cyrenis regnaret. Ariarathes Cappadociæ Rex conſilio Demetrij regis Syriæ, & uiribus pulſus regno à ſenatu reſtitutus eſt. Miſſi à ſenatu legati: qui inter Maſaniſſam, & Carthaginenſes de agro iudicarent. C. Martius COS aduerſum Dalmatas parum proſpere primum, poſtea feliciter pugnauit. cum quibus bello confligendi cauſa fuit: quod Illyricos populi Romani ſocios uaſtauerant. eandemq́; gentem Cornelius Naſica COS domuit. Q. Opimius COS tranſalpinos Ligures, qui Maſſilienſium oppidum Antipolim, & Nicæam uaſtabant: ſubegit. Præterea in Hiſpania à compluribus parum proſpere res geſtas continet. Conſules anno quingenteſimo nonageſimo octauo ab urbe condita magiſtratum, peractis comitijs, inſequentisq́; anni cōſulibus creatis, inire cœperunt. Mutādi comitia cauſa fuit: quod Hiſpani rebellabant. Le

gati ad diſceptandum inter Maſaniſſam, & Carthagi
nenſes miſſi nuntiauerunt: uim naualis materiæ ſe Carthagine deprehendiſſe. Quidam prætores à prouincijs auaritiæ nomine accuſati, & damnati ſunt.

LIBRI XLVIII.

L Vſtrum à cenſoribus conditum eſt. Cenſa ſunt ciuiū capita CCCXXIIII millia. Semina belli tertij Punici referūtur. Cum in finibus Carthaginenſium maximus Numidarum exercitus, Archobarzane duce Syphacis nepote, diceretur eſſe: M. Porcius Cato ſuaſit: ut Carthaginenſibus, qui exercitum ſpecie contra Maſaniſſam Regem, ſed re uera contra Romanos accitum in finibus haberent: bellum indiceretur. contradicente P. Cornelio Naſica, placuit: legatos mitti Carthaginem: qui ſpecularentur: quid ageretur. Caſtigato ſenatu Carthaginenſium, quod contra fœdus exercitum, & nauales materias haberent: pacem inter Maſaniſſam, & eos facere uoluerunt: Maſaniſſa agro, de quo lis erat: cedente. ſed Giſgo, Amilcaris filius, homo ſeditioſus, qui tunc in magiſtratu erat: cum ſenatus paritur um ſe iudicio legatorum dixiſſet: ita bellum aduerſus Romanos ſuadendo concitauit: ut legatis, quo minus uiolarentur, fugam explicuerit. Id nuntiantes infeſtum iam ſenatum Carthaginenſibus infeſtiorem fecerunt. M. Porcius Cato funus mortui filij in prætura tenuiſſimo, ut ualuit: (nam pauper erat) ſumptu fecit. Andriſcus, qui ſe Perſei filium, Regis quondam Macedoniæ, ingenti aſſeueratione mentire-

tur: Romam miſſus. M. Aemylius Lepidus, qui princeps ſenatus ſextis iam cenſoribus erat lectus: antequã expiraret: præcepit filijs: lecto ſe ſtrato ſine linteis, ſine purpura efferrent: in reliquum funus ne plus quàm æris denos conſumerent. imaginum ſpecie, non ſumptibus nobilitari maximorum uirorum funera ſolere. De ueneficijs quæſitum. Publia, & Licinia nobiles fœminæ, quæ uiros ſuos neca ſſe inſimulabantur: cognita cauſa, cum prætori prædes, uadesq́; dediſſent: cognatorum decreto necatæ ſunt. Guluſſa Maſaniſſæ filius denuntiauit Carthagine delectus agi: claſſem comparari: & haud dubium bellum ſtrui. Cum Cato ſuaderet: ut ijs bellum indiceretur: P. Cornelio Naſica dicente nihil temere faciundum, placuit: decem mitti legatos exploratum. L. Licinius Lucullus, A. Poſthumius Albinus COSS cum delectum ſeuere agerent: nec quenquam gratia dimitterent: à tribunis plebis, qui pro amicis ſuis uacationem impetrare nõ potuerunt: in carcerem coniecti ſunt. Hiſpanienſe bellum cum parum proſpere aliquoties geſtum ita confudiſſet ciuitatem Romanam: ut ne ij quidem inuenirentur: qui aut tribunatũ exciperent: aut legati ire uellent: P. Cornelius Aemylianus proceſſit: & excepturũ militiæ genus, quodcũq; imperatum eſſet: profeſſus eſt. quo exemplo ad militandi ſtudium omnes incitauit. L. Lucullus COS, cui Claudius Marcellus ſucceſſerat: pacaſſe omnes Celtiberiæ populos cũ uideretur: Vacceos, Cantabros, & alias regiones, & iterum alias incognitas nationes in Hiſpania ſubegit. Ibi P. Cornelius Africanus Scipio Aemylianus, L. Pauli filius, Africani nepos, & adoptiuus

prouocatorem barbarum tribunus militum occidit: & in expugnatione captæ urbis maius multo etiam periculum adijt. nam murum primus omnium tranſcendit. Seruius Sulpitius Galba prætor male aduerſus Luſitanos pugnauit. Cũ legati ex Africa cũ Carthaginẽſium oratoribus, & Guluſſa Maſaniſſæ filio rediſſent: dicerẽtq;: & exercitũ & claſſem Carthagine deprehẽdiſſe: prorogari ſententiam placuit, Catone, & alijs principibus ſenatus ſuadentibus: ut in Africam confeſtim tranſportaretur exercitus. quia uero Cornelius Naſica dicebat: nondum ſibi iuſtam cauſam belli uideri: placuit: ut bello abſtineretur: ſi Carthaginenſes claſſem exuſſiſſent: & exercitum dimiſiſſent: ſi minus: proximi conſules de bello Punico referrent. Cum locatum à cenſoribus theatrum extrueretur: P. Cornelio Naſica authore, tanquam inutile & nociturum publicis moribus, ex S. C. deſtructum eſt: populusq; aliquandiu ſtans ludos ſpectauit. Carthaginenſes tum aduerſum fœdus bellum Maſaniſſæ intulerunt. Victi ab eo nonageſimũ ſecundum annum habente, & ſine pulpamine mandere, & guſtare cibum tantummodo ſolito, inſuper romanum bellum meruerunt.

LIBRI XLIX.

Ertij Punici belli initium altero & ſexcenteſimo anno ab urbe condita intra quintum annum, quàm erat cœptum: conſummatum omnino eſt. Inter M. Porcium Catonem, & Scipionem Naſicam, quorum alterum ſapientiſſimum uirum

in ciuitate habebant: alter uir optimus à ſenatu iudicatus erat: diuerſis certatum eſt ſententijs: Catone ſuadente bellum: & ut omnino deleretur Carthago: Naſica diſſuadente: placuit nihilominus: eo quod contra fœdus naues haberent: & extra fines exercitum duxiſſent: quodq; ſocio populi romani, & amico Maſaniſſæ arma intuliſſent: & quod filium eius Guluſſam, qui cum legatis romanis erat: in oppidum minime recepiſſent: bellum ijs indici. Prius quàm ullæ copiæ in naues imponerentur: uticenſes legati Romam uenerunt, ſe, ſuáq; omnia dedentes. Ea legatio, ueluti maximum belli omen grata patribus, acerba Carthaginenſibus fuit. Diti patri ludi ad Tarentum ex præcepto librorum Sibyllinorum facti. qui anno primo primi Punici belli quingenteſimo & altero anno ab urbe condita facti erant. Legati triginta Romam uenerunt: ꝑ quos Carthaginenſes ſe dedebant. Catonis ſententia peruicit: ut decreto perſtaretur: & ut conſules quamprimum proficiſcerentur ad bellum. Qui ubi in Africam tranſierunt, acceptis, quos imperauerant, trecentis obſidibus, & armis, omnibusq; inſtrumentis belli, ſiqua Carthagine erant: tunc cũ ex authoritate patrũ iuberent: ut in alio loco procul à mari decem millia paſſuum, nec minus, remoto oppidum facerent: indignitate rei ad bellandum Carthaginenſes compulerunt. Obſideri, oppugnariq; cœpta eſt Carthago à L. Martio, M. Manlio conſulibus. In qua oppugnatione, cum neglectos ab una parte muros duo tribuni temere cum cohortibus irrupiſſent: & ab oppidanis grauiter cæderentur: à Scipione Africano expliciti ſunt. per quem & caſtellum Roma-

norũ,quod nocte expugnabant:paucis equitibus iuuãtibus liberatum eſt:caſtris'q;, quæ Carthaginenſes omnibus copijs pariter ab urbe egreſſi oppugnabant:liberatis,is præcipuam gloriam tulit. Præterea cum ab irrita oppugnatione Carthaginis COS (alter enim Romam ad comitia ierat) exercitum ducere aduerſus Aſdrubalẽ uellet,qui cum altera manu iniquũ ſaltũ inſederat:ſuaſit primo conſuli:ne tam iniquo loco confligeret. uictus deinde complurium, qui & prudentiæ eius,& uirtuti inuidebant:ſententijs, & ipſe ſaltum ingreſſus eſt. cum'q;,ſicut prædixerat, fuſus fugatus'q; eſſet romanus exercitus: & duæ cohortes ab hoſte obſiderentur:cum exiguis equitum turmis in ſaltum reuerſus liberauit eas:& incolumes reduxit. Quam uirtutem eius & Cato,uir promptioris multo ad uituperãdum linguæ,in ſenatu ſic proſecutus eſt:ut diceret:reliquos,qui in Africa militarent:umbras militare:Scipionem uigere: & populus romanus eo fauore illum complexus eſt:ut comitijs complurime eum tribus conſulem ſcriberent:cum hoc per ætatem minime liceret.

Cum L. Scribonius tribunus plebis rogationem promulgaſſet:ut Luſitani,qui ex fœdere populo romano dediti à Sergio Galba in Galliam ueniſſent:in libertatem reſtituerentur: M. Cato acerrime ſuaſit. extat oratio in annalibus eius incluſa. Q. Fuluius Nobilior etiam ab eo in ſenatu laceratus reſpondit pro Galba. ipſe quoq; Galba,cum ſe damnari uideret: complexus duos filios prætextatos,& filium Galli Sulpitij,cuius tutor erat:ita miſerabiliter pro ſe locutus eſt:ut rogatio antiquaretur. extant tres orationes eius:duæ aduer

ſum Libonem tribunum plebis, rogationesq; eius habetæ de Luſitanis: una contra L. Cornelium Cethegum: in qua Luſitanos propter ſeſe caſtra habentes cæſos fatetur: quod compertum habuerit: equo atq; homine ſuo immolatis per ſpeciem pacis adoriri exercitum ſuum in animo habuiſſe. Andriſcus quidam ultimæ ſortis homo, Perſei Regis ſe filium ferens, & mutato nomine Philippus uocatus, cum ab urbe Roma, quò illum Demetrius Syriæ Rex ob hoc ipſum mendacium miſerat: clam profugiſſet: multis ad falſam eius famam uelut ad ueram euntibus, contracto exercitu, totam Macedoniam aut uoluntate incolentium, aut armis occupauit. Fabulam autem huiuſmodi finxerat. Ex pellice ſe Perſeo Rege ortum, traditum educandum Cyrtheſæ cuidam eſſe: ut in belli caſus, quod ille cum Romanis ageret: aliquod uelut ſemen ſtirpis regiæ extaret. Perſeo demortuo, Idramiti ſe educatum uſq; ad duodecimum annum ætatis. patrem eius eſſe credentem, à quo educaretur: ignarum generis fuiſſe ſui. affecto deinde eo, cum prope ad uitæ finem ultimum eſſet: detectam tandem ſibi originem ſuam: falſæq; matri libellum datum ſigno Perſei Regis ſignatum: quem ſibi traderet: cum ad puberem ætatem ueniſſet: obteſtationesq; ultimas adiectas, ut res in occulto ad id tempus ſeruaretur: pubeſcenti libellum tradidit: in quo relicti ſibi duo theſauri à patre dicerentur. tum ſcientem mulierem ſubditititum ſe eſſe, ueram ſtirpem ignoranti edidiſſe genus: atq; obteſtatam: ut prius quàm ad Eumenem manaret res, Perſeo inimicum: excederet ijs locis: ne interficeretur. eo ſe exterritum, ſimul ſperantem ali-

quod auxilium à Demetrio, in Syriam ſe contuliſſe: atq; ibi primum quis ipſe omnino eſſet, palàm expromere auſum.

LIBRI L.

Heſſalia, cum & illam inuadere armis, atq; occupare Pſeudophilippus uellet: per Romanorum legatos auxilijs Achæorũ defenſa eſt. Pruſias Rex Bithyniæ omnium humillimorum fautor, atq; uitiorum, à Nicomede filio, adiuuante Attalo Rege Pergami, occiſus eſt. Habebat alium filium: qui pro ſuperiore ordine dentiũ enatum habuiſſe unum os continens dicitur. Cum legatos ad pacem inter Nicomedem & Pruſiam faciendam romani miſiſſent: & unus ex ijs multis cicatricibus ſparſum caput haberet: alter pedibus æger eſſet: tertius ingenio ſecors haberetur: dixit Cato: eam legationem nec caput, nec pedes, nec cor habere. In Syria, quæ eo tẽpore ex ſtirpe generis Perſei regis Macedonũ inertia, ſecordiáq; ſimilẽ Pruſiæ Regẽ habebat: iacẽte eo ĩ ganeo & luſtris, Ammonius regnabat. per quem & amici omnes Regis, & Laodice Regina, & Antigonus Demetrij filius, occiſi. Maſaniſſa Numidiæ Rex maior nonaginta annis uir inſignis deceſſit. Inter cætera opera iuuenilia, quæ ad ultimum edidit: adeo etiam uerſus in ſenectam uiguit: ut poſt ſextum & octogeſimum annum genuerit unum filium. Inter tres liberos, maximum natu Mycipſam, Guluſſam, et Manaſtabalem, qui etiam græcis literis erat eruditus: P. Scipio Aemylianus, cum commune eis pater regnum reliquiſſet: & diuidere eos ar-

bitrio Scipionis iuſſiſſet: adminiſtrationem regni diuiſit. Item Phaniæ Himilconis præfecto equitum Carthaginenſium, uiro forti, & cuius opera præcipua pœni utebantur: ſuaſit: cum equitatu ſuo ad Romanos trãſire. Trium legatorum, qui ad Maſaniſſam miſſi fuerant: Claudius Marcellus coorta tempeſtate fluctibus obrutus eſt. Carthaginenſes Aſdrubalem Maſaniſsæ nepotem, quem prætoré habebant: proditionis ſuſpectum, in curia interemerũt. quæ ſuſpicio inde emanauit: quod propinquus eſſet Guluſsæ, auxilia Romanorum iuuantis. P. Scipio Aemylianus cũ ædilitatẽ peteret: cõſul à populo dictus, quoniã p X annos conſulé fieri minime licebat: cum maximo certamine ſuffragãtibus plebeijs, & repugnantibus aliquantulũ patribus, legibus ſolutus, & COS. creatus eſt. M. Aemylius nonnullas urbes circũpoſitas Carthagini expugnauit. Pſeudophilippus in Macedonia, cæſo cũ exercitu M. Iuuẽcio prætore, à Q. Cæcilio uictus, captusq; eſt, relicta Macedonia.

LIBRI LI.

c ARTHAGO uigintitria millia quidem paſſuum in circuitu labore maximo obſeſſa, & per partes capta eſt, primum à Mancino legato, deinde à Scipione conſule: cui extra ſortem prouincia Africa data eſt. Carthaginenſes portu nouo, quia uetus à Scipione erat obſtructus: facta, & contracta exiguo tempore ampla claſſe, nauali prælio infeliciter pugnauerunt.

Aſdrubalis quoq; eorum ducis caſtra ad Neſentum oppidum loco difficillimo ſita cum exercitu deleta ſunt à Scipione. qui tandem urbem expugnauit ſeptingenteſimo anno, quàm erat condita. ſpoliorum maior pars Siculis, quibus ablata erant: reddita. Vltimo urbis excidio cum ſe Aſdrubal Scipioni dedidiſſet: uxor eius, quæ paucis ante diebus de marito minime impetrare potuerat ut ad uictorem trãsfugeret: ſe flagrantis in medium urbis incendium duobus cum liberis ex arce præcipitauit. Scipio exemplo patris eius Aemylij Pauli, qui Macedoniam uicerat: ludos fecit: transfugas, atq; fugitiuos beſtijs obiecit. Belli Achaici ſemina referuntur hæc: quod legati populi Romani ab Achaicis pulſati ſunt. Corinthũ miſſi erant: ut eas ciuitates, quæ ſub ditione Philippi fuerant: ab Achaico concilio ſecernerent.

LIBRI LII.

CVm Achæis, qui in auxilium Bœotios, & Chalcidenſes habebant: Q. Cæcilius Metellus ad Thermopylas bello conflixit. quibus uictis, dux eorum Critolaus ueneno ſibi mortem conſciuit. in cuius locum Diæus Achaici motus primus author ab Achæis dux creatus, ad Iſthmon à L. Mumio conſule uictus eſt. qui, omni Achæia in deditionem accepta, Corinthum ex S. C. diruit: quia ibi legati Romanorum uiolati erant. Thebæ quoq;, & Chalcis, quæ auxilio fuerant: dirutæ. Ipſe L. Mumius ſe abſtinentiſſimum uirum egit. nec quicquam ex ijs opibus ornamentisq;, quæ prædiues Corinthus habuit: in domum eius peruenit. Q. Cæcilius Metellus de Andriſco trium-

phauit: P. Cornelius Africanus Scipio Aemylianus de Carthagine, & Aſdrubale. Viriatus primum in Hiſpania ex paſtore uenator, & ex uenatore latro, mox iuſti quoq; exercitus dux factus, uniuerſam Luſitaniā occupauit: M. Vetilium prætorem, fuſo eius exercitu, cepit. poſt quem C. Plautius prætor nihilo felicius rem geſſit. tantum'q; terrorem is hoſtis intulit: ut aduerſus eū conſulari opus eſſet & duce, & exercitu. Præterea motus Syriæ, & bella inter Reges geſta referuntur. Alexander homo ignotus, & incertæ ſtirpis, occiſo (ſicut ante dictum eſt (Demetrio rege, in Syria regnabat. hunc Demetrius, Demetrij filius, qui à patre quondam ob incertos belli caſus ablegatus in Gnidon fuerat: cōtempta ſecordia inertiaq; eius, adiuuante Ptolemæo Aegypti Rege, cuius filiam Cleopatram acceperat in matrimonium: bello interemit. Ptolemæus in caput grauiter uulneratus, inter curationem, dum oſſa medici terebrare contendunt: expirauit: atq; in locum eius frater minor Ptolemæus, qui Cyrenis regnabat: ſucceſſit. Demetrius ob crudelitatem, quam per tormenta in ſuos exercebat: à Diodoro quodam uno ex ſubiectis, qui Alexandri filio bimulo admodum regnum aſſerebat: bello ſuperatus, Seleuciam fugit. L. Mummius de Achæis triumphauit. ſigna ærea, marmoreáq;, & tabulas pictas in triumpho tulit.

LIBRI LIII.

A P. Claudius COS Salaſſos, gentem alpinam, domuit. Alter Pſeudophilippus in Macedonia à L. Tremelio quæſtore cum

exercitu cæſus eſt. Q. Cæcilius Metellus proconſul Celtiberos cecidit. A Q. Fabio proconſule pars maxima Luſitaniæ, expugnatis multis urbibus, recepta eſt. C. Iulius ſenator græce res romanas ſcripſit.

LIBRI LIIII.

Q. Pompeius COS in Hiſpania Thermeſtinos ſubegit. cum eiſdem quidem, & Numantinis pacem ob infirmitatem fecit. Luſtrũ à cenſoribus conditum eſt. Cenſa ſunt ciuium capita CCCCXXVIII millia, CCCXLII. Cum Macedonum legati conqueſtum ueniſſent de Iunio Syllano prætore: quod acceptis pecunijs prouinciam ſpoliaſſet: & ſenatus de querelis eorum uellet cognoſcere: T. Manlius Torquatus, Syllani pater, petijt, impetrauitq;: ut ſibi huiuſmodi cognitio mandaretur. & domi cauſa cognita, filium condemnauit: abdicauitq;: ac ne funeri quidem eius, cum ſuſpendio uitam finiſſet: interfuit: ſedensq; domi poteſtatem conſultantibus ex inſtituto fecit. Q. Fabius proconſul, rebus in Hiſpania proſpere geſtis, labem impoſuit, pace cum Viriato æquis conditionibus facta. Viriatus à proditoribus conſilio Seruilij Cepionis interemptus eſt: & ab exercitu eius multũ imploratus, ac nobiliſſime tumulatus, uir duxq; maximus, per quatuordecim annos, quibus cum Romanis bellum geſſit: frequentius ſuperior.

Cornelio Naſicæ, cui cognomen Serapion
P. fuit, ab irridente Curiatio tribuno pl. impo
ſitum: & D. Iunio Bruto COSS delectum
habentibus in cóſpectu tyronum res ſaluberrimi exē-
pli facta eſt. nam C. Maticnus accuſatus eſt apud tribu
nos plebis: quod exercitum in Hiſpania deſeruiſſet: da-
mnatusq; ſub furca diu uirgis cæſus eſt: & ſeſtertio
Nummo uæniјt. Tribuni pl. quia non impetrarunt
ut ſibi denos, quos uellent, milites eximere liceret: con
ſules in carcerem mitti iuſſerunt. Iunius Brutus COS
in Hiſpania ijs, qui ſub Viriato militauerant: agros, op
pidumq; dedit: quod Valentia uocatum eſt. M. Popi=
lius à Numantinis, cum quibus pacem factam ſenatus
irritam cenſuerat: cum exercitu fuſus fugatusq;. C. Ho
ſtilio Mancino conſule ſacrificante, pulli ex cauea euo
lauerūt. conſcendenti deinde in nauim, ut in Hiſpaniā
proficiſceretur: accidit audiri. mane mane Mancine. Man
cino auſpicia triſtia fuiſſe probatum eſt. uictus enim à
Numantinis, & caſtris exutus, cum ſpes nulla ſeruan-
di exercitus eſſet: pacem cum ijs fecit ignominioſam: quā
ratam eſſe ſenatus uetuit. Triginta millia Romanorum
à Numantinorū millibus quatuor uicta erant. D. Iu
nius Luſitaniam urbium expugnationibus uſq; ad ocea
num perdomuit: & cum flumium Obliuionem tran-
ſire nollent: raptum ſignifero ſignum ipſe tranſtulit: &
ſic ut trāſgrederentur perſuaſit. Alex. filius, Rex Sy
riæ, decem annos admodum habens, à Diodoro, qui
Triphon cognominabatur: tutore ſuo per fraudem occi-

ſus eſt: corruptis quidẽ medicis: qui eũm calculi dolore cõſumi ad populum mentiti, dum ſecant illum: occiderũt.

LIBRI LVI.

D. Iunius Brutus in ulteriore Hiſpania feliciter aduerſus Gallecios pugnauit. diſſimili euentu M. Aemylius Lepidus proconſul aduerſus Vacceos rem geſſit: cladem'q; ſimilem Numantiæ paſſus eſt. Ad exoluendum Numantini fœderis religione populum Mancinus, cum huius rei author fuiſſet: deditus Numantinis minime eſt receptus. Luſtrũ à cenſoribus conditum eſt. Cenſa ſunt ciuium capita CCCXXIII millia. Fuluius Flaccus COS Vardeos in Illyrico ſubegit. M. Cæſonius prætor in Thracia cum Scordiſcis proſpere pugnauit. Cum uitio ducum bellum Numantinum non ſine publico pudore duraret: delatus eſt ultro Scipioni Africano à ſenatu, populo'q; romano conſulatus. quem cum ille capere ob legem, quæ uetabat quenquam intra decem annos iterum conſulem fieri licere: minime uellet: ſicuti priori conſulatu, legibus ſolutus eſt. Bellum ſeruile in Sicilia ortum, cum opprimi à prætoribus minime ualuiſſet: C. Fuluio conſuli mandatum eſt. Cuius belli initium fuit Eunus ſeruus, natione Syrus: qui, contracta agreſtium ſeruorum manu, & ſolutis ergaſtulis, iuſti exercitus numerum impleuit. Cleon quoq; alter ſeruus ad LXX millia ſeruorum contraxit. & copijs iunctis contra populum romanum, exercitum'q; eius bellum ſæpenumero geſſerunt.

Cipio Africanus Numantiam obſedit: &
s corruptum licentia, luxuriaq́; exercitum ad
generoſiſſimam militiæ diſciplinam reuoca-
uit. omnia enim delitiarum inſtrumenta recidit. duo
millia ſcortorum à caſtris eiecit: militem omni die in
opere habuit: & triginta dierum frumentum, ac ſepte
nos uallos ferre cogebat. ægre propter onus incedenti
dicebat. cum gladio recte uallare ſcieris: uallum ferre
deſinito. Alij nimirum parum habiliter ſcutum feren-
ti eum ſcutum amplius iuſto ferre iuſſit. neq; id ſe re-
prehendere: quoniā melius ſcuto, quàm gladio uteretur.
Quem militem extra ordinem deprehendit: ſi Roma
nus eſſet: uitibus, ſi extraneus: uirgis cecidit. Iumenta
quidem omnia, ne exoneraret milites: uendidit. multo-
ties contra hoſtium eruptiones feliciter pugnauit. Vac-
cæi obſeſſi, liberis & coniugibus trucidatis, ipſi ſe inter
emerunt. Scipio ampliſſima munera ſibi ab Antiocho
Rege Syriæ, cum cælare alijs imperatoribus Regum
munera mos eſſet: pro tribunali ea accepturum ſe eſſe
dixit. eaq; omnia referre quæſtori in publicas tabulas
iuſſit. ex ijs uiris fortibus munera ſe daturum. Cum
undiq; Numantiam obſidione clauſiſſet: & oppreſſos fa
me uideret urgeri: hoſtes, qui pabulatum exierant: ue-
tuit interimi: quod diceret: uelocius eos abſumpturos fru
mentum, quod haberent: ſi plures quidem fuiſſent.

T. Sempronius Gracchus tribunus pleb. cum agrariam legem ferret aduerſus uoluntatem ſenatus, & equeſtris ordinis: ne quis ex publico agro plus quàm decem iugera poſſideret: in eũ furorẽ exarſit, ut M. Octauio collegæ cauſam diuerſæ partis defendenti poteſtatem lege lata abrogaret: ſéq;, & fratrem Gracchum, & Ap. Claudium ſocerum triumuiros ad diuidundũ agrũ crearet. Promulgauit & aliam legem agrariam. qua, ſiquis latius agrum pateſaceret: ut ijdem omnino triumuiri iudicarent qua publicus ager, qua priuatus eſſet. Deinde cum minus agri eſſet, quàm quod diuidi poſſet: ſine offenſa etiam plebis, quoniam eos ad cupiditatem amplam modo ſperandi incitauerat: legem ſe promulgaturum oſtendit ob id: ut ijs, qui Sempronia lege agrum accipere deberent: pecunia, quæ Regis Attali fuiſſet: diuideretur. Hæredẽ autem populum romanum reliquerat Attalus, Rex Pergami, Eumenis filius. Tot indignationibus commotus grauiter ſenatus: ante omnes C. Antonius COS. qui cum in ſenatu in Gracchum perorasſet: raptus ab eo ad populum, delatusq; plebi, rurſus in eum pro roſtris concionatus eſt. Cum iterũ tribunus pl. creari uellet Gracchus: authore P. Cornelio Naſica in Capitolio à primatibus occiſus eſt: ictus primum fragmentis ſubſelliorum: & inter alios, qui in eadem ſeditione occiſi erant: inſepultus: & in flumen proiectus. Res præterea in Sicilia uario euentu aduerſum fugitiuos geſtas continet.

Libri

N
Vmantini fame maxime coacti, ipſi ſe per uices trucidauerunt. Captam urbem Scipio Africanus deleuit: & de ea triumphauit, quartodecimo anno poſt Carthaginem deletam. P. Attilius COS in Sicilia cum fugitiuis debellauit. Ariſtonicus, Regis Eumenis filius, Aſiam occupauit: cum teſtamento Attali regis legata populo romano libera eſſe deberet. Aduerſus eum P. Licinius Craſſus COS, cum idem pontifex maximus eſſet: quod nunquam antea factum erat: extra Italiam profectus, prælio uictus, & interemptus eſt. M. Perpenna COS uictum Ariſtonicum in deditionem accepit. Q. Pompeius, & Q. Metellus tunc primum uterq; ex plebe cenſores facti. Luſtrum à cenſoribus eſt conditum. Cenſa ſunt capita CCCXIII millia, DCCCXXIII, præter pupillos & uiduas. Q. Metellus cenſor cenſuit: ut ducere uxores omnes cogerentur omnino liberorum creandorum cauſa. extat oratio eius, quam Auguſtus Cæſar, cum de maritandis ordinibus ageret: uelut eo tempore ſcriptam in ſenatu recitauit. C. Attilius Labeo tribunus ple. Q. Metellum cenſorem, à quo in ſenatu legendo præteritus erat: de ſaxo deijci iuſſit. quod ne fieret, cæteri tribuni ple. auxilio quammaxime fuerunt. Cum Carbo tribunus ple. rogationem tuliſſet: ut eundem tribunum ple. quoties quidem uellet, creari liceret: rogationem eius P. Africanus grauiſſima oratione diſſuaſit. in qua dixit: T. Gracchum iure cæſum uideri. Gracchus contra ſuaſit rogationem: ſed Scipio cenſuit. Bel

la inter Antiochum Regem Syriæ, & Phraatem Parthorum Regem geſta, nec magis quietæ res Aegypti referuntur. Ptolemæus Euergetes cognominatus, ob nimiam eius crudelitatem ſuis inuiſus, incenſa à populo regia clam in Cyprum profûgit. & cum ſorori eius Cleopatræ, quam eius uirgine filia per uim compreſſa, & in matrimonium ducta, repudiauerat: regnum à populo datum eſſet: infenſus filium, quem ex illa habebat: in Cypro occîdit: caputq; eius, & manus, & pedes matri miſit, Seditiones à triunuiris Fuluio. Flacco, C. Graccho, & C. Carbone de agro diuidundo creatis excitatæ. quibus cum P. Scipio Africanus aduerſaretur: fortiſq; ac ualidus pridie domum ſe recepiſſet: mortuus in cubiculo inuentus eſt. Suſpecta fuit, tanquam uenenum ei dediſſet Sempronia uxor: hinc maxime, quod ſoror eſſet Gracchorum: cum quibus ſimultas Africano fuerat. de morte tamen eius nulla quæſtio acta. quo defuncto, ſeditiones triunuirales acrius exarſerũt. C. Sempronius COS contra Iapydas primo male rem geſſit: mox uictoria cladẽ acceptã emendauit, uirtute D. Iunij Bruti, eius: qui Luſitaniam ſubegerat.

LIBRI LX.

Aurelius COS Sardos ſubegit. Fuluius Flacchus primus omnium Tranſalpinos Ligures bello domuit, miſſus in auxilium Maſſilienſibus aduerſus Falanios Gallos: qui populabantur fines Maſſilienſium. L. Opimius prætor Fregellanos, qui defecerant: in deditionem accepit: Fregellas diruit. Peſtilentia in Africa à maxima multitudĩ

ne locuſtarum, & deinde necatarum ſtrage fuiſſe traditur. Luſtrum à cenſoribus conditum eſt. Cenſa ſunt ciuium capita CCCXC millia, DCCXXXVI. Gracchus, Tyberij frater, tribunus pl. eloquentior quàm frater, pernicioſas aliquas leges tulit: inter quas frumentariam. ut ſemiſſe & triente frumentum plebi daretur: alteram legem agrariam: quam frater eius tulerat: tertiam: qua equeſtrem ordinem cum ſenatu conſentientem corruperat: (trecenti ſenatores erant: ſexcenti equites) ut trecentis ſenatoribus admiſcerentur: id eſt: ut equeſter ordo bis tantum uirium in ſenatu haberet. & continuato in alterum annum tribunatu, legibus agrarijs latis effecit: ut complures coloniæ in Italia deducerentur: & una in ſolo dirutæ Carthaginis. quo ipſe triunuir creatus coloniam deduxit. Præterea res à Q. Metello conſule aduerſus Balcares geſtas continet: quas Græci Gymneſias appellant: quia æſtatē nudi exigant. Baleares à teli miſſu appellati: uel à Baleo Herculis comite ibi relicto tunc: cum Hercules ad Geryonen nauigaret. Motus quoq; Syriæ referuntur. in quibus Cleopatra Demetrium uirum ſuum, & Seleucum filium, multum indignata, quod occiſo patre eius à ſe, iniuſſu ſuo diadema ſumpſiſſet: interemit.

LIBRI LXI.

SEXTIUS PROCONSUL uicta Saluiorū gente, coloniam Aquas Seſtias condidit, ob aquarum copiam & calidis & frigidis fontibus, atq; à nomine ſuo ita appellatas. Cn. Domi

tius proconſul contra Allobroges ad oppidum Vindalium multum feliciter pugnauit. Quibus bellum inferendi cauſa fuit: quod Teutomalium Saluiorum Rgem fugientem recepiſſent: & omni ope iuuiſſent: quodq; Heduorum agros, ſociorum populi romani uaſtauiſſent. C. Gracchus ſeditioſo tribunatu acto, cum Auẽtinum armata quoq; multitudine occupauiſſet: a L. Opĩmio conſule, ex S. C. uocato ad arma populo, pulſus interemptusq; eſt: & cum eo Fuluius Flaccus ſocius eiuſdem. Q. Fabius Maximus COS, Pauli nepos, aduerſus Allobroges, & Bituitum Aruernorum Regem feliciter pugnauit. Ex Bituiti exercitu cæſa millia hominum centum uiginti. & cum ipſe ad ſatisfaciendum ſenatui Romam profectus eſſet: Albæ cuſtodiendus datus eſt: quia contra pacem uidebatur, ut in Galliam remitteretur. decretum quoq; eſt: ut Congentiatus, filius eius, comprehenſus Romam mitteretur. Allobroges in deditionem accepti. L. Opimius accuſatus apud populum à Q. Decio tribuno plebis, quod indemnates ciues in carcerem conieciſſet: liberatus eſt.

LIBRI LXII.

c

N. Martius COS Sarnios gentem alpinam expugnauit. Micipſa Numidarum Rex mortuus, regnum tribus filijs reliquit, Adherbali, Hyempſali, & Iugurthæ fratris filio: quem in filium adoptauerat. L. Cæcilius Metellus Dalmatas obſedit. Iugurtha Hyempſalem fratrem bello petijt: quem uictum interemit: Adherbalem regno ex-

pulit: qui à ſenatu reſtitutus eſt. L. Cæcilius Metellus, Cn. Domitius Aenobarbus cenſores, duos & triginta ſenatu amouerũt. Præterea motus Syriæ Regũ cõtinet.

LIBRI LXIII.

C Ato Porcius COS in Thracia male aduerſus Scordiſcos pugnauit. Luſtrum à cenſoribus conditum eſt. Cenſa ſunt ciuium capita CCCXCIIII millia, CCCXXXVI. Aemylia Licinia, & Martia uirgines Veſtales inceſti damnatæ ſunt. idq; inceſtum quemadmodum commiſſum, deprehenſum, & iudicatum ſit, refertur. Cimbri gens uaga populabũdi in Illyricum uenerũt. ab iis Papyrius Carbo COS cum exercitu fuſus eſt. Liuius Druſus COS aduerſus Scordiſcos gentem à Gallis oriundã in Thracia feliciter pugnauit: magnumq; honorem tulit.

LIBRI LXIIII.

A Dherbal bello petitus à Iugurtha, & in oppido Cirta obſeſſus, contra denuntiationem ſenatus ab eo occiſus eſt. Ob hoc ipſi Iugurthæ bellum indictum. idq; etiam Calpurnius Beſtia COS gerere iuſſus pacem cum Iugurtha iniuſſu populi & ſenatus fecit. Iugurtha fide publica euocatus ad indicandum cõſiliorum ſuorum authores, quod multos pecunia in ſenatu corrupiſſe dicebatur: Romam uenit. & propter cædem admiſſam in regulum quendam nomine Maſaniſſam, qui regnum eius populo ro-

mano inuiſi appetebat: interfectum. Romæ cum periclitaretur: cauſam capitis dicere iuſſus clàm profugit: & diſcedens urbe fertur dixiſſe. O urbem uenalem, & cito perituram: ſi emptorem inuenerit. A. Poſthumius legatus infeliciter prælio aduerſus Iugurtham geſto conflixit: pacémq; etiã multum ignominioſam adiecit: quam quidem minime eſſe ſeruandam ſenatus cẽſuit.

LIBRI LXV.

Q. Cæcilius Metellus COS duobus prælijs Iugurtham fudit: & uniuerſam Numidiam uaſtauit. M. Iunius Syllanus COS aduerſum Cimbros infeliciter pugnauit. legatis Cimbrorum ſedem & agros, in quibus conſiderent: poſtulantibus ſenatus negauit. M. Minutius proconſul contra Thracas feliciter quidem pugnauit. L. Caſſius COS à Tigurinis Gallis pago Heluetiorum. qui à ciuitate ſeceſſerant: in finibus Allobrogum cum exercitu cæſus eſt. milites, qui ex ea clade ſuperauerant: obſidibus datis, & dimidia rerum omnium parte, ut incolumes dimitterentur, cum hoſtibus pacti ſunt.

LIBRI LXVI.

i Vgurtha pulſus à C. Mario ex Numidia, auxilio Bochi Mauorum Regis adiutus eſt. & cæſis prælio Bochi quoq; copijs nolente Bocho bellum infeliciter ſuſceptum diutius ſuſtinere, uinctus ab eo, & traditus Mario eſt, in qua re præcipua opera L. Cornelij Syllæ, quæſtoris Marij fuit.

LIBRI LXVII.

a Vrelius Scaurus legatus conſulis à Cimbris fuſo exercitu, captus eſt. & cum in conſilium ab iis euocatus deterreret eos: ne alpes tranſirent Italiam perituri: eo quod diceret Romanos uinci minime poſſe: à Bolo Rege feroci iuuene occiſus eſt. Ab iiſdem hoſtibus C. Manlius, & Q. Seruilius Cepio pro conſules uicti prælio, caſtris'q; binis exuti ſunt. octoginta millia militum occiſa: calonum ac lixarum quadraginta millia. Secundum Po. Romani iuſſionem, Cepionis, cuius temeritate clades accepta erat: damnati bona publicata ſunt. primo'q; poſt regem Tarquinium imperium ei abrogatũ. In triumpho C. Marij ductus ante currum eius Iugurtha cum duobus filijs: & in carcere necatus. Marius triumphali ueſte in ſenatum uenit: quod nemo ante eum fecerat: eiq; propter Cimbrici belli metum continuatus per complures annos magiſtratus eſt. conſulatu ſecundo & tertio abſens COS creatus, quartũ cõſulatũ diſſimulãter captans cõſecutus eſt. Cn. Domitius pontifex maximus populi ſuffragio creatus eſt. Cimbri, uaſtatis omnibus, quæ circa Rhodanũ, & Pyreneũ ſunt: ꝑ ſaltũ in Hiſpaniã trãſgreſſi, ibiq; multa loca populati, à Celtiberis fugati ſunt: reuerſiq; in Galliam bellicoſis quidem ſe Teutonis coniunxerunt.

LIBRI LXVIII.

a Ntonius prætor in Sicilia maritimos prædones perſecutus eſt. C. Marius COS ſumma ui oppugnata à Theutonis, & Ambroni-

bus caſtra defendit. duobus deinde prælijs circa Aquas Seſtias eos hoſtes deleuit. in quibus cæſa traduntur hoſtium ducenta millia: capta nonaginta. Marius abſens quintum COS creatus eſt. triumphum oblatum, donec Cimbros uinceret: diſtulit. Cimbri repulſo ab alpibus, fugatoq; Q. Catulo proconſule, qui fauces alpium obſederat: & ad flumen Atheſim caſtellum editum inſederat: reliqueratq;, ubi uirtute ſua explicata fugientem proconſulem, exercitumq; proſecuti in Italiam traiecissent: iunctis eiuſdem Catuli, & C. Marij exercitibus, prælio uicti ſunt ab eis. in quo cæſa traduntur hominum centum quadraginta millia: capta ſexaginta. Marius totius ciuitatis conſenſu receptus pro duobus triumphis, qui offerebantur: uno contentus fuit. Primores ciuitatis, qui aliquantulum, ut nouo homini ad tantos honores euecto, inuiderant: conſeruatam ab eo rempublicam fatebantur. P. Malleolus, matre interempta, primus omniũ inſutus culleo in mare præcipitatus eſt. Ancylia cum ſtrepitu mota eſſe, antequam Cimbricum bellum conſummaretur, referuntur. Bella præterea inter Syriæ reges continet.

LIBRI LXIX.

N. Apuleius Saturninus, adiuuante C. Mario, & per milites occiſo A. Numio competitore, tribunus plebis per uim creatus non minus uiolenter tribunatum, quàm petierat: geſſit. & cũ legem agrariam per uim tuliſſet: Metello Numidico, eo quod in eam minime iuraſſet: diem dixit. qui cum à bo

nis ciuibus defenderetur: ne cauſa malorum certaminum eſſet, in uoluntarium exilium Rhodum profectus eſt. ibiq; legendo, & audiendo magnos uiros aduocabat. Profecto C. Marius ſeditionis author, qui ſextum quidem conſulatum per tribus ſparſa pecunia emerat: aqua & igni interdixit. Idem Apuleius Saturninus tribunus plebis C. Memmium candidatum conſulatus petitorem maximum quem aduerſarium actionibus ſuis timebat: interemit. quibus rebus concitato quamplurimum ſenatu in eius cauſam, & C. Marius homo mutabilis, et uarij conſilij, ingenijq;, qui ſemper ſecundam fortunam tranſierat: cum eum tueri minime poſſet: oppreſſus armis cum Glaucia prætore, & alijs eiuſdem furoris ſocijs bello quodam interfectus eſt. Q. Cæcilius Metellus ab exilio ingenti totius fauore ciuitatis reductus eſt. M. Aquilius COS in Sicilia bellum ſeruile concitatum confecit.

LIBRI LXX.

c Vm M. Aquilius de pecunijs repetundis cauſam diceret: ipſe rogare iudices noluit. M. Antonius, qui pro eo perorabat: tunicam à pectore eius diſcidit: ut honeſtas cicatrices oſtenderet. quibus conſpectis, indubitanter abſolutus eſt. Cicero eius rei ſolus author. Didius proconſul aduerſum Celtiberos feliciter pugnauit. Ptolemæus Cyrenarum Rex, cui cognomentum Appionis fuit: mortuus hæredem populum romanum reliquit. & eius regni ciuitates ſenatus liberas eſſe iuſſit. Ariobarzanes in regnum Cap

padociæ à L.Cornelio Sylla reductus eſt. Parthorũ legati à Rege Arſacæ miſſi ad Syllã uenerunt:ut amicitiã à populo romano peterent. P.Rutilius, uir ſummæ innocentiæ, qui legatus C.Marij proconſulis à publicanorũ iniurijs Aſiam defenderat: inuiſus equeſtri ordini, penes quem iudicia erant: repetundarũ damnatus in exiliũ miſſus eſt. C. Geminius prætor contra Thracas infeliciter pugnauit. Senatus cum impotentiam equeſtris ordinis in iudicijs exercendis ferre nollet: omni ui niti cœpit: ut ad ſe iudicia transferrentur: ſuſtinẽte cauſam eius M.Liuio Druſo tribuno plebis: qui, ut uires ſibi acquireret: pernicioſa ſpe largitionis plebem concitauit. Præterea motus Syriæ regum continet.

LIBRI LXXI.

M. LIVIVS Druſus tribunus plebis, ut maioribus uiribus ſenatus cauſam ſuſceptam tueretur: ſocios, & Italicos populos ſpe ciuitatis Romanæ ſolicitauit. ijſq; adiuuantibus, per uim legibus agrarijs, frumentarijſq; latis legem quoq; iudicialem tulit: ut æqua parte iudicia penes ſenatum, & equeſtrem ordinem eſſent. Cum deinde promiſſa ſocijs ciuitas præſtari non poſſet: irati Italici defectionem cœperunt agitare. eorũ coitus, coniurationes, orationeſq; in concilijs principum referuntur. propter quæ Liuius Druſus etiam ſenatui inuiſus factus, uelut ſocialis belli author, incertum à quo, domi occiſus eſt.

LIBRI LXXII.

Talici populi defecerunt, Picentes, Veſtini, Marſi, Peligni, Marrucini, Lucani, Samnites: initio belli à Picentibus moto. Q. Seruilius proconſul in oppido Aſculo cum omnibus ciuibus romanis, qui in eo oppido erant: occiſus eſt. ſaga populus ſumpſit. Seruilius Galba à Lucanis comprehenſus, unius fœminæ opera, ad quam diuertebatur, captiuitate exemptus eſt. Eſernia, & Alba coloniæ ab Italicis obſeſſæ ſunt. Auxilia demum Latini nominis, exterarumq; gentium miſſa populo romano, & expeditiones inuicem, urbiumq; expugnationes referuntur.

LIBRI LXXIII.

L. Cæſar COS male aduerſus Samnites pugnauit. Nola colonia in poteſtatem Samnitium cum L. Poſthumio prætore uenit: qui interemptus eſt. complures populi ad hoſtes defecerunt. Cum P. Rutilius COS parum proſpere contra Marſos pugnaſſet: & in prælio cecidiſſet: C. Marius legatus eius meliore quidem euentu cum hoſtibus conflixit. Ser. Sulpitius Pelignos fudit. Q. Cepio legatus Rutilij cum obſeſſus proſpere in hoſtes irrupiſſet: & ob eum ſucceſſum æquatum ei cum C. Mario eſſet imperium: temerarius factus, & circumuentus inſidijs, fuſo exercitu, cecidit. L. Cæſar COS feliciter contra Samnites pugnauit. ob eam uictoriam Romæ ſaga poſita ſunt. & ut uaria belli fortuna eſſet: Eſernia colonia cũ

M·Marcello in poteſtatem Samnitium uenit· Sed & C·Marius prælio Marſos fudit: Hirnio Aſinio prætore Marrucinorum occiſo· C·Cæcilius in Gallia tranſalpina Saluios rebellantes uicit·

LIBRI LXXIIII·

N·Pompeius Picentes prælio fudit: & obſedit· propter quam uictoriam Romæ prætextæ, aliaq́; magiſtratuum ornamenta inſignia ſumpta ſunt· C·Marius cum Marſis dubio euentu pugnauit· Libertini tum primū militare cœperunt· Aurelius Plotius legatus Vmbros, L·Porcius prætor Marſos, cum uterq; populus defeciſſet: prælio uicerunt· Nicomedes in Bythiniæ, Ariobarzanes in Cappadociæ regnum reducti ſunt· Cn·Pompeius COS Marſos acie uicit· Cum ære alieno oppreſſa eſſet ciuitas: A· Sempronius Aſellius prætor, quoniam ſecundum debitores ius dicebat: ab ijs, qui fœnerabantur: in foro occiſus eſt· Præterea incurſiones Thracum in Macedoniam, populationesq́; continet·

LIBRI LXXV·

A· Poſthumius Albinus legatus in obſidione caſtrorum hoſtilium cecidit· Sulpitius legatus, cum claſſi præeſſet: infamis crimine proditionis ab exercitu ſuo interfectus· L·Cornelius Sylla legatus Samnites prælio uicit: & bina caſtra eorum expugnauit· Cn·Pompeius Veſtinos in deditionem accepit· L·

Porcius COS rebus proſpere geſtis, fuſisq; aliquoties Marſis, dum caſtra eorum expugnat: cécidit. Ea res hoſtibus uictoriam eius prælij dedit. Coſconius, & Lucceius Samnites acie uicerunt: Marium Egnatium, nobiliſſimum hoſtium ducem occiderunt: compluráq; eorum oppida in deditionem acceperunt. L. Sylla Hirpinos domuit: Samnites multis prælijs fudit: aliquot populos recepit: quantisq; raro quiſquam ante conſulatum rebus geſtis, ad petitionem conſulatus Romá eſt profectus.

LIBRI LXXVI.

A. Gabinius legatus, rebus aduerſum Lucanos proſpere geſtis, multis oppidis expugnatis, in obſidione caſtrorum hoſtilium cécidit. Sulpitius legatus Marrucinos cecìdit: uniuerſámq; eam regionem recepit. Cn. Pompeius proconſul Veſtinos, et Pelignos in deditionẽ accepit. Marſi quoq; à L. Murena, & Cæcilio Pinna legatis aliquot prælijs fracti pacem petierunt. Aſculum à Cn. Pompeio captum eſt: cæſis à Mamerco Aemylio legato Italicis. Silo Popedius, dux Marſorum, author huius rei in prælio cécidit. Ariobarzanes Cappadociæ, Nicomedes Bithyniæ regno à Mithridate Ponti Rege pulſi ſunt. Præterea incurſiones Thracum in Macedoniam continet.

LIBRI LXXVII.

Cum P. Sulpitius tribunus plebis, authore C. Mario, Perniciofas leges promulgaſſet: ut exules reuocarentur: & noui ciues, libertiniq;

diſtribuerentur in tribus: & ut Marius aduerſus Mithridatem Ponti regem dux crearetur: & aduerſantibus COSS Q. Pompeio, & L. Syllæ uim intuliſſet: occiſóq; Pompeij conſulis filio, genero Syllæ: L. Sylla COS cum exercitu in urbem uenit: & aduerſus factionem Sulpitij, & Marij in ipſa urbe pugnauit: eamq; expulit. ex quo duodecim à ſenatu hoſtes, inter quos C. Marius pater, et filius iudicati ſunt. P. Sulpitius cum in quadam uilla lateret: indicio ſerui ſui retractus, & occiſus eſt. ſeruus, ut præmium promiſſi indicij haberet: manumiſſus eſt: & ob ſcelus domini proditi de ſaxo deiectus eſt. C. Marius filius in Africã traiecit. C. Marius pater, cum in paludibus Minturnenſium lateret: extractus eſt ab oppidanis. & cum ad occidendum eum miſſus ſeruus natione Gallus maieſtate tanti uiri perterritus receſſiſſet: impoſitus publicæ in nauim delatus eſt in Africam. L. Sylla ciuitatis ſtatum ordinauit: exinde colonias deduxit. Q. Pompeius COS ad capiendum à Cn. Pompeio proconſule exercitum profectus, conſilio eius occiſus eſt. Mithridates Ponti Rex Bythinia et Cappadocia occupatis, & pulſo Aquilio legato, Phrygiam prouinciã populi romani cũ ingenti exercitu intrauit.

LIBRI LXXVIII.

m Ithridates Aſiam occupauit: Q. Oppium proconſulem, item Aquilium legatum in uincula coniecit: iuſſúq; eius quicquid ciuiũ romanorum in Aſia fuit, uno die trucidatum eſt. urbem Rhodum, quæ ſola in fide permanſerat: op-

pugnauit: & aliquot prælijs nauałibus uictus receſſit. Archelaus præfectus Regis in Græciam cum exercitu uenit: Athenas occupauit. Præterea trepidationem urbium, inſularumq́; , alijs ad Mithridatem, alijs ad populum romanum ciuitates ſuas trahentibus, continet.

LIBRI LXXIX.

C. Cornelius Cinna cum pernicioſas leges per uim ferret: pulſus urbe à Cn. Octauio collega cum Sex. tribuno plebis: imperioq́; ei abrogato, corruptum Ap. Claudij exercitum in poteſtatem ſuam redegit: & bellum urbi intulit: accerſito C. Mario cum alijs exulibus ex Africa. in quo bello duo fratres, alter ex Pompeij exercitu, alter ex Cinnæ, ignorantes concurrerunt. & cum uictor mortuum ſpoliaret: agnito fratre ingenti lamentatione edita, rogo ei extructo ipſe ſupra rogum ſe transfodit: & eodẽ igni conſumptus eſt. Et cum opprimi inter initia potuiſſet: Cn. Pompeij fraude, qui utrãq; partem fouendo uires Cinnæ dedit: nec niſi profligatis optimatium rebus auxilium tulit: & conſulis ſegnitie, confirmati Cinna & Marius quatuor exercitibus, quorum duo Q. Sertorio, & Carboni dati ſunt: urbem circunſederunt. Oſtiam coloniam Marius expugnauit, & crudeliter diripuit.

Talicis populus à ſenatu ciuitas data eſt. Samnites, qui ſoli arma recipiebant: Cinnæ, & Mario ſe coniunxerūt. ab iјs Plancius cum exercitu cæſus eſt. Cinna & Marius cum Carbone et Sertorio Ianiculum occupauerunt: et fugati ab Octauio conſule receſſerunt. Marius Antium quidem, & Ariciam, & Lauinium colonias deuaſtauit. Cum nulla omnino ſpes eſſet optimatibus reſiſtendi propter ſegnitiem & perfidiam & ducum, & militum: qui corrupti aut pugnare nolebant: aut ad diuerſas partes tranſibant: Cinna & Marius in urbem recepti ſunt. qui uelut captam eā cædibus et rapinis uaſtarunt: Cn. Octauio conſule occiſo: & omnibus aduerſæ partis nobilibus trucidatis: inter quos M. Antonio eloquentiſſimo uiro, & C. Cæſare: quorum capita in roſtris poſita. Craſſus filius ab equitibus Fimbriæ interemptus. pater Craſſus, nequid indignum uirtute ſua pateretur: gladio ſe transfixit. Et citra ulla comitia conſules in ſequentem annum ſeipſos renuntiauerunt. eodemq; die, quo magiſtratum inierant: Marius Sex. Licinium ſenatorem de ſaxo deiјci iuſſit: editisq; multis ſceleribus Idibus Ianuarijs deceſſit: uir: cuius ſi examinentur cum uirtutibus uitia: haud facile ſit dictu: utrum bello melior, an pace pernicioſior fuerit. adeo quam rempublicam armatus ſeruauit: eam primo togatus omni genere fraudis, poſtremo armis euertit.

Libri lxxxi.

LIBRI LXXXI.

L. SYLLA Athenas, quas Archelaus præfectus Mithridatis occupa rat: circunſedit: & cum maximo labore expugnauit. urbi libertatē, & ciuibus quæ habuerant, reddidit. Magneſia, quæ ſola in Aſia ciuitas in fide manſerat: ſumma uirtute aduerſus Mithridatem defenſa eſt. Præterea à Thraciis in Macedonia geſta continet.

LIBRI LXXXII.

S Ylla copias Regis, quæ Macedonia occupata in Theſſaliam uenerant: prælio uicit: cæſis hoſtium centum millibus: caſtris quoq; expugnatis. renouato deinde bello, iterum exercitum eius fudit: ac deleuit. Archelaus cum claſſe regia Syllæ ſe tradidit. L. Valerius Flaccus COS collega Cinnæ miſſus, ut Syllæ ſuccederet: propter auaritiam inuiſus exercitui ſuo à C. Fimbria legato ipſius, ultimæ audaciæ homine, occiſus eſt: & imperium ad Fimbriā tranſlatum. Præterea expugnatæ in Aſia urbes à Mithridate: & crudeliter direpta prouincia: incurſionesq́; Thracum in Macedoniam referuntur.

LIBRI LXXXIII.

C. Fimbria in Aſia fuſis aliquot copiis Mithridatis, urbem Pergamum cepit: obſeſſumq́; Regem non abfuit multum quin ca-

Epit. F F

peret: urbem Ilion, quæ ſe poteſtati Syllæ reſeruabat: expugnauit: ac deleuit: & magnam partem Aſiæ recepit. Sylla multis prælijs Thraces cecîdit. Cum L. Cinna, & Cn. Papyrius Carbo à ſeipſis conſules per biennium creati, bellum contra Syllam pararent: effectum quidem eſt per L. Valerium Flaccum principem ſenatus, qui orationem in ſenatu habuit: & per eos, qui concordiæ ſtudebant: ut legati ad Syllam de pace mitterentur. Cinna ab exercitu ſuo, quem inuitum cogebat naues conſcendere, & aduerſus Syllam proficiſci: interemptus eſt. conſulatum Carbo ſolus geſſit. Sylla cum in Aſiam traieciſſet: pacem cum Mithridate fecit: ita, ut his cederet prouincijs: Aſia, Bithynia, Cappadocia. Fimbria deſertus ab exercitu, qui ad Syllam tranſierat: ipſe ſe percuſſit: impetrauitq; à ſeruo præbens ceruicem: ut eum omnino interficeret.

LIBRI LXXXIIII.

SYlla legatis, qui à ſenatu miſſi erant: futurum ſe in poteſtatem ſenatus reſpondit: ſi ciues, qui à Cinna pulſi ad ſe confugerant: reſtituerētur. quæ conditio cum iuſta ſenatui uideretur: per Carbonem, factionemq; eius, cui bellum uidebatur utilius: ne conueniret, effectum eſt. Idem Carbo, cum ab omnibus oppidis Italiæ obſides exigere uellet: ut fidem illorum contra Syllam obligaret: conſenſu ſenatus prohibitus. Nouis ciuibus S. C. ſuffragium datum eſt. Q. Metellus Pius, qui partes optimatium ſecutus erat: cum in Africa bellum moliretur: à C. Fabio prætore pulſus eſt: ſenatuſq; conſultum per factionem Carbonis,

& Marianarum partium factum eſt:ut omnes ubiq; exercitus dimitterentur. Libertini in quinq; & triginta tribus diſtributi ſunt. Præterea belli apparatū contra Syllam, quod plurimum excitabatur: continet.

LIBRI LXXXV.

S Ylla in Italiam cum exercitu traiecit: miſſiſq; legatis, qui de pace agerent: & à conſule Cn. Carbone, & C. Norbano uiolatis, eundem Norbanum prælio uicit. Et cum L. Scipionis alterius conſulis, cum quo ꝑ omnia id egerat: ut pacem iungeret: nec potuerat: caſtra oppugnaturus eſſet: uniuerſus exercitus conſulis ſolicitatus per emiſſos à Sylla milites ſigna ad Syllam tranſtulit: Scipio, cum interimi poſſet: dimiſſus eſt. Gn. Pompeius, Cn. F. eius, qui Aſculum ceperat: conſcripto quidem uoluntariorum exercitu, cum tribus legionibus ad Syllam uenerat: ad quem ſe nobilitas omnis conferebat: ita, ut deſerta urbe ad caſtra ueniretur. Præterea expeditiones per uniuerſam Italiam utriuſq; partis ducum referuntur.

LIBRI LXXXVI.

C Vm C. Marius, C. Marij filius COS ante annos uiginti per uim creatus eſſet: C. Fabius in Africam propter crudelitatem & auaritiam in prætorio ſuo uiuus exuſtus eſt. L. Philippus legatus Syllæ Sardiniam, Q. Antonio prætore pulſo & occiſo, occupauit. Sylla cum Italicis populis, ne

timeretur ab iis uelut erepturus ciuitatem, & ſuffragii ius nuper datum: fœdus percuſſit. itemque ex fiducia iam certæ uictoriæ litigatores, à quibus adhibebantur uadimonia: Romam deferre iuſſit. Cum à parte diuerſa urbs adhuc teneretur: L. Damaſcius prætor ex uoluntatem C. Marii conſulis, cum ſenatum contraxiſſet: omnem, quæ in urbe erat, nobilitatem trucidauit. ex cuius quidem numero Q. Mutius Scæuola pontifex maximus fugiens ni ueſtibulo ædis Veſtæ occiſus eſt. Præterea bellum à L. Murena aduerſus Mithridatem in Aſia renouatum continet.

LIBRI LXXXVII.

SYlla C. Mariũ, exercitu eius fuſo deletoq;, ad Sacriportum in oppido Præneſte obſedit: urbem Romam ex inimicorum manibus recepit: Marium erumpere tentantẽ repulit. Præterea res à legatis eius eadem ubiq; fortuna partium geſtas continet.

LIBRI LXXXVIII.

SYlla Carbonem, exercitu eius ad Cluſium, ad Fauentiam, Fidentiamq; cæſo, Italia expulit: cum Samnitibus, qui ſoli Italicorum populorum nondum arma depoſuerant: iuxta urbem Romam ante portam Collinam debellauit: recuperataq; rep. pulcherrimam uictoriam crudelitate, quanta in nullo homine unquam fuit: iquinauit. Octo millia de-

ditorum in uia publica trucidauit: tabulam proſcriptionis poſuit: urbem, & uniuerſam Italiam cædibus repleuit. inter quos omnes Præneſtinos inermes interimi iuſſit. Marium ſenatorij ordinis uirum cruribus, brachijsq́; fractis, auribus præſectis, & defoſſis oculis necauit. C. Marius Præneſte obſeſſus à Lucretio Aſella, Syllanarum partium uiro, cum per cuniculum captaret euadere: ſeptus ab exercitu mortem ſibi conſciuit in ipſo cuniculo. cum ſentiret ſe euadere minime poſſe: cum Pontio Teleſino fugæ comite ſtricto utrinq; gladio occurrit. quem cum occidiſſet: ſaucius à ſeruo impetrauit: ut ſe occideret.

LIBRI LXXXIX.

L. *Brutus à Cn. Papyrio Carbone, qui Corcyram appulerat: miſſus naue piſcatoria Lilybæum: ut exploraret: an ibi Pompeius eſſet: & circumuentus à nauibus, quas Pompeius miſerat: in ſe mucrone uerſo ad tranſtrum nauis obnixus corporis pondere occubuit. Cn. Pompeius in Siciliam cum imperio à ſenatu miſſus Cn. Carbonem, qui flens muliebriter mortem tulit: captum occidit. Sylla dictator factus, quod nemo quidem unquam fecerat: cum faſcibus uiginti quatuor proceſſit: rebusq́; nouis reip. ſtatum confirmauit. tribunorum plebis poteſtatem minuit: & omne ius legum ferendarum ademit: pontificum, augurumq́; collegium ampliauit: ut eſſent quindecim: ſenatum ex equeſtri ordine ſuppleuit: proſcriptorum liberis ius petendorum honorum eripuit: & bona eo-*

rum uendidit. ex quibus primo multa rapuit: redactum eſt ſeſtertiûm ter millies quingentieſq;. Lucretiũ Aſellam conſulatum contra uoluntatem ſuam petere auſum iuſſit interimi in foro: & cum indigne ferret populus romanus: concione uocata ſe iuſſiſſe dixit. Cn. Pompeius in Africa Cn. Domitiũ proſcriptum, et Hieram Regem Numidarum bellum molientes, uictos interemit: & IIII & XX annos natus adhuc eques Romanus, quod quidem nemini contigerat: ex Africa triumphauit. Cn. Norbanus conſularis proſcriptus in urbe Rhodo, cum comprehenderetur: ſe ipſe interemit. Metellus ex proſcriptis unus clàm capite adoperto ad poſticum ædis Baſtiæ uxoris cum acceſſiſſet: admiſſus minime eſt: quia illũ proſcriptum diceret. itaq; ſe tranſfodit: & ſanguine ſuo fores reſperſit. Sylla Nolam in Samnio recepit. XLVII. legiones in agros captos deduxit: & eos ijs diuiſit. Volaterras, quod oppidum adhuc in armis erat: obſeſſum in deditionem accepit. Mitylenæ quoq; in Aſia, quæ ſola urbs poſt uictum Mithridatem arma retinebat: expugnatæ, dirutæq; ſunt.

LIBRI XC.

SYlla deceſſit: honoſq; ei à ſenatu habitus eſt: ut in campo Martio ſepeliretur. M. Lepidus, cum acta Syllæ tentaret reſcindere: bellum excitauit. & à Q. Catulo collega Italia pulſus eſt: & in Sardinia fruſtra bellum molitus perijt. M. Brutus, qui Ciſalpinam Galliam tenebat: à Cn. Pompeio occiſus eſt. Q. Sertorius proſcriptus in ulteriore

Hiſpania ingens bellum excitauit. L. Manlius proconſul, & M. Antonius legatus ab Herculeio quæſtore prælio uicti ſunt. Præterea à P. Seruilio proconſule aduerſus Cilicas res geſtas continet.

LIBRI XCI.

N. POMPEIVS, cum adhuc quæſtor eſſet: cum imperio conſulari aduerſus Sertorium miſſus eſt. Sertorius aliquot urbes expugnauit, plurimaſq; ciuitates in poteſtatem ſuam redegit. Ap. Claudius proconſul Thracas pluribus prælijs uicit. Q. Metellus proconſul L. Herculeium quæſtorem Sertorij omnino cum exercitu cecîdit.

LIBRI XCII.

N. Pompeius adhuc dubio euentu cum Sertorio pugnauit: ita, ut ſingula ex utraq; parte cornua uicerint. Q. Sertorius Metellũ, & Perpennam cum duobus exercitibus prælio fudit. cuius uictoriæ partem cupiens auferre Pompeius parum proſpere pugnauit. obſeſſus deinde Calagurij Sertorius aſſiduis eruptionibus non leuiora damna obſidentibus tulit. Præterea à P. Curſore proconſule in Thracia res geſtas aduerſus Dardanos, & Q. Sertorij multa crudelia in ſuos facta continet. qui plurimos amicorum, & ſecum proſcriptorum crimine proditionis inſimulatos interemit.

LIBRI XCIII.

P. Seruilius proconſul in Cilitia Iſauros domuit: & aliquot urbes piratarum expugnauit. Nicomedes Bithyniæ Rex moriens populum romanum fecit hæredem: regnumq́; eius in prouinciæ formam redactum eſt. Mithridates, fœdere cum Sertorio icto, bellum populo romano intulit. Apparatus deinde regiarum copiarum pedeſtrium naualiumq́;, & occuppata Bithynia. M. Aurelius Cotta COS ad Chalcedoniam prælio à Rege uictus eſt: Rexq́; à Pompeio, & Metello uictus. & ut contra Sertorium egerunt. qui omnibus belli militiæq́; artibus par fuit. quos etiam ab obſidione Calagurij oppidi depulſos coëgit diuerſas regiones petere, Metellum ulteriorem Hiſpaniam, Pompeium Galliam.

LIBRI XCIIII.

L. Lucullus COS aduerſus Mithridatem equeſtribus prælijs feliciter pugnauit: & expeditiones aliquot proſperas fecit: poſcentesq́; pugnam milites à ſeditione inhibuit. Deiotarus Gallogræciæ tetrarches præfectos Mithridatis bellum in Phrygia mouentes cecîdit. Præterea res à Pompeio in Hiſpania contra Sertorium proſpere geſtas continet.

LIBRI XCV.

C. Curio proconſul Dardanos in Thracia domuit. Quatuor & ſeptuaginta gladiatores Capuæ ex ludo Lentuli profugerunt.

& congregata ſeruorum & ergaſtulorum multitudine, Chryſo, & Spartaco ducibus bello excitato, Claudium Pulchrum legatum, & P. Vorenum prætorem prælio uicerunt. L. Lucullus proconſul ad Cyzicum urbem exercitum Mithridatis fame ferroq; deleuit: pulſumq; à Bithynia Regem uarijs belli ac naufragiorum caſibus fractum coëgit in Pontum profugere.

LIBRI XCVI.

Q. Arius prætor Chryſum, fugitiuorum ducem, cum uiginti millibus hominum cecîdit. C. Lentulus COS male aduerſus Spartacum pugnauit. Ab eodem L. Gellius, & Q. Arius prætor acie uicti ſunt. Sertorius à M. Antonio, & M. Perpenna, & alijs coniuratis in conuiuio interfectus eſt, octauo ducatus ſui anno: magnus dux: & aduerſus duos imperatores Pompeium & Metellum ſæpe par: ut frequentius uictor, ad ultimum deſertus & proditus. Imperium partium ad Marium tralatum eſt. quem Cn. Pompeius uictum, captumq; interemit: ac recepit Hiſpanias decimo ferè anno, quàm cœptũ erat bellum. C. Caſſius proconſul, Cn. Manlius prætor male aduerſus Spartacum pugnauerunt: idq; bellum M. Craſſo prætori mandatum eſt.

LIBRI XCVII.

M. Craſſus prætor primum cum parte fugitiuorum, quæ ex Gallis, Germaniſq; conſtabat: feliciter pugnauit: cæſis inimicorum

XXXV millibus, & duce eorum Granico. Cum Spartaco deinde bellauit: cæſis cum ipſo millibus quadraginta. M. Antonius prætor bellum aduerſus Cretenſes parum proſpere geſtum morte ſua finiuit. M. Lucullus proconſul Thracas ſubegit. L. Lucullus in Ponto aduerſus Mithridatem feliciter pugnauit: cæſis hoſtium amplius quàm ſexaginta millibus. M. Craſſus, & Cn. Pompeius COSS facti ſunt, ſicut Pompeius: ante quàm quæſturam gereret: ex equite romano. tribunitiam poteſtatem reſtituerunt. Iudicia quoq; per M. Aurelium Cottam prætorem ad equites romanos translata ſunt. Mithridates deſperatione rerum ſuarum coactus ad Tigranẽ Armeniæ Regem confugit.

LIBRI XCVIII.

Achares filius Mithridatis, Boſpori Rex, à L. Lucullo in amicitiam receptus eſt. C. Lentulus, & L. Gellius cenſores aſperam cenſuram egerunt: quatuor & ſexaginta ſenatu motis. à quibus luſtrum conditum eſt. Cenſa ſunt ciuium capita CCCCL millia. L. Metellus prætor in Sicilia aduerſum piratas proſpere rem geſſit. Templum Iouis in Capitolio, quod incendio conſumptum erat: refectum à Q. Catulo dedicatum eſt. L. Lucullus in Armenia Mithridatem, & Tigranem, & immenſas utriuſq; Regis copias multis certaminibus fudit. Q. Metellus proconſul, bello ſibi aduerſum Cretenſes mandato, Cydoniam urbem obſedit. C. Triarius legatus Luculli aduerſus Mithridatem parum proſpere pugna

uit. Lucullum, ne perſequeretur Mithridatem, ac Tigranem: ſummamq; uictoriæ imponeret: ſeditio militum tenuit. qui ſequi nolebant: quia legiones Valerianæ, impleta à ſe ſtipendia dicentes, Lucullũ reliquerũt.

LIBRI XCIX.

Q. Metellus proconſul Gnoſon, & Lyctum, & Cydoniam, & alias plurimas ciuitates expugnauit. L. Roſcius tribunus plebis legem tulit: ut equitibus romanis in theatro quatuordecim gradus proximi aſſignarentur. Cn. Pompeius lege ad populum lata perſequi piratas iuſſus, qui commercium annonæ interclu ſerant: intra quadrageſimũ diem toto mari eos expulit: belloq; cum iis in Cilicia confecto, acceptis in deditionem piratis, agros & urbes dedit. Præterea res à Q. Metello aduerſus Cretenſes continet: & epiſtolas Metelli, & Cn. Pompeij inuicem miſſas. queritur Metellus gloriam rerum à ſe geſtarum à Pompeio ſublatam præteriri: qui in Cretam miſerit legatum ſuum ad accipiendas urbiũ deditiones. Pompeius Romæ rationẽ reddit hoc ſe facere debuiſſe.

LIBRI C.

C. Manlius tribunus plebis indignatione maxima nobilitatis legem tulit: ut Pompeio bellum Mithridaticum mandaretur. Concio eius bona. Q. Metellus domitis Cretenſibus, liberæ in id tempus inſulæ legem tulit. Cn. Pompeius ad ge-

rendum bellum aduerſus Mithridatem profectus, cum Rege Parthorum Phraate amicitiam renouauit: equeſtri prælio Mithridatem uicit. Præterea bellum inter Phraatem Regem Parthorum, & Tigranem, Armeniorum Regem, ac demum inter filium Tigranem, patremq́; geſtum continet.

LIBRI CI.

N. POMPEIVS *Mithridatem nocturno prælio uictum coëgit Boſporon profugere: Tigranem in deditionem accepit: eiq́;, ademptis Syria, Phœnicia, & Cilicia, regnum Armeniæ reſtituit. Coniuratio eorum, qui in petitione conſulatus ambitus damnati erant: facta de interficiendis* COSS, *oppreſſa eſt. Cn. Pompeius cum Mithridatem perſequeretur: in ultimas ignotasq́; gentes penetrauit: Iberos, Albanos, qui tranſitum minime dabant: prælio uicit. Præterea fugam Mithridatis per Colchos, Hemochosq́;, & res ab eo in Boſporo geſtas continet.*

LIBRI CII.

N. Pompeius in prouinciæ formam Pontum redegit. Pharnaces filius Mithridatis bellum patri intulit. ab eo Mithridates obſeſſus, in regia cum ueneno ſumpto parum profeciſſet ad mortem: à milite Gallo, nomine Bithoco, à quo ut ad-

iuuaretur petierat: interfectus eſt. Cn. Pompeius Iudæos ſubegit. fanum eorum in Hieroſolyma inuiolatum ante id tempus cœpit. L. Catilina bis repulſam in petitione conſulatus paſſus, cum Lentulo prætore, & Cethego, & pluribus coniurauit de cæde cōſulum, & ſenatus, incendijs urbis, opprimenda republica: exercitu quoq; in Hetruria comparato. Ea coniuratio induſtria M. Tullij Ciceronis eruta eſt. Catilina urbe pulſo, de reliquis coniuratis omnino ſumptum ſupplicium eſt.

LIBRI CIII.

C Atilina à C. Antonio proconſule cum exercitu cæſ. P. Clodius accuſatus: quod in mulieris habitu ſacrarium, in quod uirum intrare nefas eſt: intraſſet: cumq; uxorem Metelli Pontificis ſtuprauiſſet: abſolutus. Cn. Potitius prætor Allobroges, qui rebellauerant: ad Solonem domuit. P. Clodius ad plebem tranſijt. C. Cæſar Luſitanos ſubegit. eoq; conſulatus candidato, & captante rempublicam inuadere, conſpiratio inter tres principes ciuitatis facta eſt, Cn. Pompeium, M. Craſſum, & C. Cæſarem. Leges agrariæ à Cæſare conſule cum maxima contentione, inuito ſenatu, & altero conſule M. Bibulo latæ ſunt. C. Antonius proconſul in Thracia parum proſpere rem geſſit. M. Cicero lege à P. Clodio tribuno plebis lata, quia indemnatos ciues necauiſſet: in exilium miſſus eſt. Cæſar in prouinciam Galliā profectus Heluetios, gentem uagam, domuit: quæ ſedem quærens per prouinciam Cæſaris Narbonem iter facere uolebat.

Præterea ſitum Galliarum continet. Pompeius de libe ris Mithridatis Tigrane, et Tigranis filio triumphauit: Magnusq; à tota concione conſalutatus eſt.

LIBRI CIIII.

P Rima pars libri ſitum Germaniæ, moresq; continet. C. Cæſar contra Germanos, qui Arioniſto duce in Galliam deſcenderãt: cũ exercitum duceret, rogatus ab Heduis, & Sequanis: quorum ager poſſidebatur: trepidationem militum propter metum nouorum hoſtium ortam allocutione exercitus inhibuit: & uictos prælio Germanos Gallia omni expulit. M. Cicero, Pompeio inter alios orante, & T. Annio Milone tribuno plebis, ingenti gaudio ſenatus, ac uniuerſæ Italiæ ab exilio reductus eſt. Cn. Pompeio per quinquennium annonæ cura mandata eſt. Cæſar Ambianos, Sueſſiones, Viromanduos, Atrebates, Belgarum populos, quorum quidem maxima multitudo erat: prælio euictos in deditionem accepit: ac deinde contra Neruios unam harum ciuitatum cum maximo diſcrimine pugnauit: eamq; gentem deleuit: quæ bellum geſſit: donec ex ſexaginta millibus armatorum trecenti ſupereſſent: ex nonaginta quinq; ſenatoribus tres tantummodo euaderent. Lege lata de redigenda in prouinciæ formam Cypro, & publicanda pecunia regia, M. Catoni adminiſtratio eiuſdem rei mandata eſt. Ptolemæus Aegypti Rex ob iniurias, quas patiebantur: à ſuis regno pulſus Romã uenit. C. Cæſar gentem oceano iunctam, ſcilicet Venetos, nauali prælio ui=

cit. Præterea à legatis eius eadem fortuna res geſtas continet.

LIBRI CV.

Cum M. Catonis tribuni plebis interceſſionibus comitia tollerentur: ſenatus ueſtem mutauit. M. Cato in petitione præturæ, prælato Vatinio repulſam tulit. idem cum legem impediret: qua prouinciæ conſulares in quinquennium, Pompeio Hiſpaniæ, Craſſo Syria & Parthicum bellum, Cæſari Gallia & Germania dabantur: à C. Trebonio tribuno plebis legis authore in uincula ductus eſt. A. Gabinius proconſul Ptolemæum in regnum reduxit Aegypti: reiecto Archelao: quem ſibi Regem aſciuerant. Cæſar, uictis Germanis, & in Gallia cæſis, Rhenum tranſcendit: proximam partem Germaniæ domuit: ac deinde oceano in Britaniam parum proſpere tempeſtatibus aduerſis traiecit: iterumq; parum felicius, maximáq; hominum multitudine cæſa, reliquam partem inſulæ in poteſtatem redegit.

LIBRI CVI.

Iulia Cæſaris filia, Pompeij uxor, deceſſit: honosq; maximus ei à Populo habitus eſt: ut in Campo Martio ſepeliretur. Gallorum multi populi, Ambiorige duce Eburonum defecerunt. à quibus Cotta, & T. Aurunculeius legati Cæſaris inſidijs circumuenti, cum exercitu, cui præerant: cæſi ſunt. & cum aliarum quoq; legionum caſtra oppu-

gnata maximo labore defenſa eſſent:interq; eos, qui in Treuiris præerat: Q. Cicero: ab ipſo Cæſare hoſtes prælio fuſi ſunt. M. Craſſus bellum Parthis illaturus Euphratem fluuium tranſiuit. uictusq; prælio, in quo & filius eius cecidit: cum reliquias exercitus in collem recepiſſet: euocatus in colloquium ab hoſtibus, ut de pace acturus, quorum dux erat Surenas: comprehenſus, & nequid uiuus pateretur: repugnans interemptus eſt: & ita periit.

LIBRI CVII.

C. Cæſar Treueris in Gallia uictis, iterum in Germaniam tranſit: nulloq; ibi inuento hoſte, reuerſus in Galliam Eburones, & alias ciuitates, quæ conſpirauerant: uicit: & Regē Ambiorigē i fuga perſecutus. P. Clodii à T. Annio Milone, candidato conſulatus, Appia uia ad Bouillas occiſi corpus plebs in curia cremauit. Cum ſeditiones inter candidatos conſulatus, Hypſeum, Scipionem, & Milonem eſſent: qui armis ac ui contendebant: ad comprimendas eas Cn. Pompeius legatus à ſenatu conſul tertium factus eſt abſens, & ſolus: quod nemini unquam contigit. Quæſtione decreta de morte P. Clodii, Milo iudicio damnatus in exilium actus eſt. Lex dicta eſt: ut ratio abſentis Cæſaris in petitione conſulatus haberetur: inuito, & contradicente M. Catone. Praeterea res geſtas à C. Cæſare aduerſum Gallos, qui propè uniuerſi, Vercingentorige Aruerno duce, defecerunt: & laborioſas obſidiones urbium continet: inter quas Auarici Biturigum, Gergonis Aruernorum.

Libri c viii.

LIBRI CVIII.

C. Cæſar Gallos ad Alexiam uicit: omnesq; Galliæ ciuitates, quæ in armis fuerãt: in deditionem accepit. C. Cæſius quæſtor M. Craſſi Parthos, qui in Syriam trãſcenderant: cecidit. In petitione conſulatus M. Cato repulſam tulit: creatis COSS Ser. Sulpitio, & M. Marcello. C. Cæſar Bellouacos cum alijs Gallorum populis domuit. Præterea contentiones inter COSS de ſucceſſore C. Cæſari mittendo, agente in ſenatu M. Marcello conſule, ut Cæſar ad petitionem conſulatus ueniret: cum is, lege lata in id tempus conſulatus, prouincias optinere deberet: resq; à M. Bibulo geſtas in Syria continet.

LIBRI CIX.

C Auſæ ciuilium armorum, & initia refertur: contentionesq; de ſucceſſore C. Cæſarũ mittendo: cum ſe dimiſſurum exercitum negaret: niſi à Pompeio dimitteretur. & C. Curionis tribuni plebis primum aduerſus Cæſarem actiones continet. Cum S. C. factum eſſet: ut ſucceſſor Cæſari omnino mitteretur: M. Antonio, & Q. Caſſio tribunis plebis, quoniam interceſſionibus id S. C. impediebant: urbe pulſis: mandatumq; à ſenatu conſulibus, & Cn. Pompeio: ut uiderent nequid reſpublica detrimenti caperet: C. Cæſar bello inimicos perſecutus cũ exercitu in Italiam uenit: Corphinum cum L. Domitio, & L. Lentulo cepit: eosq; dimiſit: Cn. Pompeium, uniuerſosq; eius partium Italia omnino expulit.

LIBRI CX.

C. Cæſar Maſſiliam, quæ portas ipſi clauſerat: obſedit: & relictis in obſidione C. Trebonio, & D. Bruto, profectus in Hiſpaniam L. Afranium, & C. Petreium legatos Cn. Pompeij cũ ſeptem legionibus ad Ilerdam in deditionem accepit: omneſq; incolumes dimiſit: Varrone quoq; legato Pompeij cum exercitu in poteſtatem ſuam redacto. Gaditanis ciuitatem dedit. Maſſilienſes duobus naualibus prælijs uicti, poſt longam obſidionem in poteſtatem Cæſaris ſe permiſerunt. C. Antonius legatus Cæſaris male contra Pompeianos pugnauit: & in Illyrico captus eſt. in quo bello Opitergini tranſpadani Cæſaris auxiliares rate ſua ab hoſtilibus nauibus clauſa, potius quàm in poteſtatem inimicorum uenirent: inter ſe occurrentes occubuerunt. C. Curio legatus Cæſaris in Africa, cum aduerſus Pompeianarum partium ducem Varronem pugnaſſet: à Iuba Rege Mauritaniæ cum exercitu cæſus eſt. C. Cæſar in Græciã traiecit.

LIBRI CXI.

C. CAECILIVS Rufus prætor cum ſeditiones in urbe quammaximẽ concitaret, nouarum tabularum ſpe plebe ſolicitata: abrogato magiſtratu, pulſus urbe Miloni exuli, qui fugitiuorum exercitum contraxerat: ſe coniunxit. uterq;, cum bellum molirentur: inter-

empti ſunt. Cleopatra Aegypti Regina à Ptolemæo fratre regno pulſa eſt. Propter Q. Catuli prætoris auaritiam, crudelitatemq́; Cordubenſes in Hiſpania cum duabus Varianis legionibus à partibus Cæſaris deſciuerunt. Cn. Pompeius ad Brunduſium obſeſſus à Cæſare, & præſidijs eius cum magna clade diuerſæ partis expugnatis, obſidione liberatus, translato in Theſſaliam bello, apud Pharſaliam acie uictus eſt. Cicero in caſtris remanſit: uir nihil minus, quàm ad bella natus. omnibusq́; aduerſarum partium, qui ſe poteſtati uictoris permiſerunt: Cæſar ignouit.

LIBRI CXII.

t Repidatio uictarum partium per diuerſas orbis terrarum partes, & fuga referuntur. Cn. Pompeius, cum Aegyptum petiſſet: iuſſu Ptolemæi Regis pupilli, & authore Theodoro præceptore, cuius apud Regem maxima erat authoritas: & Photino, occiſus eſt ab Achilla, cui delegatum id facinus erat: in nauicula: antequam in terram exiret. Cornelia uxor, & Sex. Pompeius filius in Cyprum refugerunt. Cæſar poſt tertium diem inſecutus, cum ei Theodorus caput Pompeij, & annulum obtuliſſet: infenſus eſt: & illachrymauit: ſine periculo Alexandriam tumultuantem intrauit. Cæſar dictator creatus Cleopatram in regnum Aegypti reduxit: & inferentem bellum ijſdem authoribus Ptolemæum, quibus Pompeium interfecerat: cum maximo ſuo diſcrimine uicit. Ptolemæus, dum fugit: in Nilo nauicula

ſubſedit. Præterea laborioſum M. Catonis in Africa per deſerta cum legionibus iter, & bellum à Cn. Domitio contra Phraatem Parthũ proſpere geſtũ continet.

LIBRI CXIII.

c Onfirmatis in Africa Pompeianis partibus, earum imperium P. Scipioni delatum eſt: Catone, cui ex æquo deferebatur imperium: cedente. Et cum de diruenda urbe Vtica propter fauorem ciuitatis eius in Cæſarem deliberaretur: idq; ne fieret, M. Cato tenuiſſet: Iuba ſuadente, ut diruerentur, tutela eius, & cuſtodia mandata eſt Catoni. Pompeij Magni filius in Hiſpania contractis uiribus quarum ducatum nec Afranius, nec Petreius excipere uolebant: bellum aduerſus Cæſarem renouauit. Pharnaces, Mithridatis filius, Rex Ponti ſine ulla belli mora uictus eſt. Cum ſeditiones Romæ à P. Dolabella tribuno ple. legem ferente de nouis tabulis excitatæ eſſent: & ex ea cauſa plebs tumultuaretur: inductis à M. Antonio magiſtro equitum in urbem militibus octingentis, à plebe cæſi ſunt. Cæſar ueteranis cum ſeditione miſſionem poſtulantibus dedit. & cum in Africam traieciſſet: contra copias Iubæ Regis cum diſcrimine maximo pugnauit.

LIBRI CXIIII.

b Ellum in Syria Cæcilius Baſſus eques romanus Pompeïanarum partium excitauit. & relicto à legione Sexto Cæſare, qui ad

Baſſum tranſierat: occiſoq́; eo Cæſar Scipionem prætorem. Afranium, Iubamq́; uicit ad Taſſum, caſtris corũ expugnatis. Cato audita re, cum ſe percuſſiſſet Vticæ: & interueniente filio curaretur: inter ipſam curationẽ reſciſſo uulnere expirauit, anno ætatis quadrageſimonono. Petreius Iubam, ſeq́; interemit. P. Scipio in naue circumuentus honeſtæ morti uocem quoq; adiecit. quærentibus enim hoſtibus imperatorem, dixit. imperator bene ſe habet. Fauſtus, & Afranius occiſi: Catonis filio uenia data. Brutus legatus Cæſaris in Gallia Bellouacos rebellantes uicit.

LIBRI CXV.

C Aeſar quatuor triũphos duxit, ex Gallia, ex Aegypto, ex Ponto, & Africa. epulũ, et omnis generis ſpectacula edidit. M. Marcello cõſulari, ſenatu rogante. conceſſit redditũ. qui Marcellus beneficio eius frui minime potuit, à P. Magio Chilone cliẽte ſuo Athenis occiſus. Et cenſum egit. quo cenſa ſunt ciuiũ capita centũ quinquaginta millia. Profectus in Hiſpaniam contra Sex. Pompeium, utrinq; multis expeditionibus factis, & aliquot urbibus expugnatis, ſummã uictoriam cum maximo diſcrimine ad Mundam urbem conſecutus eſt. Pompeius Sex. effugit.

LIBRI CXVI.

C Aeſar ex Hiſpania quintũ triumphũ egit. et cũ multi, quàmaximiq́; honores ei à ſenatu decreti eſſent: inter quos: ut pater patriæ

appellaretur: & ſacroſanctus, ac dictator in ꝑpetuum eſſet: inuidiæ cauſam aduerſus eum præſtiterunt: quod ſenatui deferenti hos honores, cum ante ædem Veneris genitricis ſederet: minime aſſurrexit: & quod M. Antonio cóſule collega ſuo inter Lupercos currēte diadema capiti ſuo impoſitū in ſella repoſuit: & quod Epidio Marulo, & Cæſeceo Flauo tribunis plebis inuidiam ei tanquā regnum affectanti mouentibus poteſtas abrogata eſt. Ex iis cauſis cóſpiratione in eū facta, cuius capita fuerūt, M. Brutus, & C. Trebonius, & Caſſius, & ex Cæſaris partibus D. Brutus: in curia Pópeii occiſus eſt uiginti tribus uulneribus: occupatum'q; ab interfectoribus eius Capitolium. Obliuione deinde cædis eius à ſenatu decreta, obſidibus Antonii, & Lepidi liberis acceptis, coniurati à Capitolio deſcenderunt. Teſtamēto Cæſaris hæres ex parte dimidia íſtitutus C. Octauius ex ſorore nepos: & in nomen adoptatus eſt. Cæſaris corpus cum in campū Martium ferretur à plebe: ante roſtra crematū eſt. Dictaturæ honos in ꝑpetuū ſublatus eſt. Chamaces humillimæ ſortis homo, qui ſe C. Marii filium ferebat: cum apud credulam plebem ſeditiones moueret: interfectus eſt.

LIBRI CXVII.

C. Octauius Romam ex Epiro uenit. eo enim illū Cæſar præmiſerat, bellū in Macedonia geſturus: omnibus'q; proſpere exceptis, etiā nomen Cæſaris ſumpſit. in confuſione rerū, ac tumultu Lepidū pontificem maximū interemit. Sed M. Antonius COS, cum impotēter dominaretur: legē'q; de pro=

uinciarum p̄mutatione tuliſſet per uim: & Cæſarem quoq; petenté, ut ſibi aduerſum auunculi pcuſſores adeſſet: magnis iniurijs affecit. Cæſar, ut ſibi & reip. uires contra eum paraturus, deductos in colonias ueteranos excitauit. Legiones quoq; quarta, & Martia ſigna ab Antonio ad Cæſarem tulerunt. deinde plures ſæuitia M. Antonij paſſim in caſtris ſuis trucidati: quia & ſuſpecti erant: & ad Cæſarem deſciuerunt. D. Brutus, ut petenti Ciſalpinam Galliam Antonio obſiſteret: Mutinam cum exercitu occupauit. Præterea diſcurſus utriusq; partis uirorum ad accipiendas prouincias, apparatusq; belli continet.

LIBRI CXVIII.

M. Brutus in Græcia ſub prætextu reipublicæ, & ſuſcepti contra M. Antonium belli, exercitum, cui Vatinius præerat: cum prouincia in poteſtatem ſuam redegit. C. Cæſari, qui primus reipu. arma ſumpſerat pro populo romano: imperium à ſenatu datū eſt cum conſularibus ornamentis: adiectumq;: ut ſenator eſſet. M. Antonius D. Brutum Mutinæ obſedit: miſſiq; ad eum legati à ſenatu de pace parum ad eam componendam ualuerunt. Populus romanus ſaga ſumpſit. M. Brutus in Epiro C. Antoniū prætorem cum exercitu poteſtati ſuæ ſubegit.

LIBRI CXIX.

C. Trebonius ī Aſia fraude P. Dolobellæ occiſus eſt. ob id facinus Dolobella à ſenatu inimicus iudicatus eſt. Cum Panſa COS ma

le aduerſus Antonium pugnaſſet: A. Hircius COS cũ exercitu ſuperueniens, fuſis M. Antonij copijs, fortunam utriuſq; partis æquauit. Victus deinde ab Hircio & Cæſare Antonius in Galliam confugit: & M. Lepidũ cum legionibus, quæ ſub ipſo erant: ſibi iunxit, hoſtisq́; à ſenatu cũ omnibus, qui intra præſidia eius erant: iudicatus eſt. A. Hircius, qui poſt uictoriam ipſius in inimicorum caſtris ceciderat: & L. Panſa è uulnere, quod in aduerſo prælio exceperat: defunctus in Campo Martio ſepulti ſunt. Aduerſus C. Cæſarem, qui ſolus è tribus ducibus ſupererat: parum gratus ſenatus fuit. qui D. Bruto obſidione Mutinenſi à Cæſare liberato, honore triumphi decreto, Cæſaris, militumq́; eius mentionẽ non ſatis gratam habuit. ob quæ C. Cæſar, reconciliata per M. Lepidum cum M. Antonio gratia, Romam cũ exercitu uenit: & pulſis aduentu eius ijs, q̃ in eũ iniqui erant: cũ annos XVIII haberet: COS creatus eſt.

LIBRI CXX.

C. Cæſar COS legem tulit de quæſtione habẽda in eos: quorum opera pater occiſus eſſet. poſtulatiq́; ea lege M. Brutus, C. Caſſius, D. Brutus, abſentes damnati ſunt. Cum M. Antonio uires Aſinius quoq; Pollio, & Munacius Plancus cum exercitibus ſuis adiuncti ampliaſſent: & D. Brutus, cui ſenatus ut perſequeretur Antonium, mandauit: relictus à legionibus ſuis profugiſſet: iuſſu Antonij, in cuius poteſtatem uenerat: à Capeno Sequano interemptus eſt. C. Cæſar pacem cum Antonio, & Lepido fe-

cit:ita,ut tres uiri reipu. conſtituendæ quidem per quin quennium præeſſent. ipſe Lepidus, & Antonius ſtatuerunt: ut ſuos quiſq; inimicos proſcriberent. in qua proſcriptione plurimi equites, CXXX ſenatorum nomina fuerant: & inter eos L. Pauli fratris M. Lepidi, & L. Cæſaris Antonij auunculi, M. Ciceronis, cuius occiſi à Popilio legionario milite, cũ haberet annos LXIII: caput quoq; cum manu dextra in Roſtris poſitum eſt. Præterea res à M. Bruto in Græcia geſtas continet.

LIBRI CXXI.

C. Caſſius, cui mandatum à ſenatu erat: ut Dolabellam inimicum iudicatum bello perſequeretur: authoritate reipub. adiutus Syriam cum tribus exercitibus, qui in eadem prouincia erant: in poteſtatem ſuam redegit: Dolabellam in urbe Laodicea obſeſſum mori coëgit. M. quoq; Bruti iuſſu C. Antonius captus occiſus eſt.

LIBRI CXXII.

M. Brutus aduerſus Thracas parum proſpere rem geſſit: omnibusq; transmarinis prouinciis, exercitibusq; in poteſtate eius, & C. Caßij redactis, coierunt Smyrnæ uterq; ad ordinanda futuri belli conſilia. M. Meſſallæ Publicolam fratrem iunctum communi conſilio omnino condemnauerunt.

LIBRI CXXIII.

ſ Ex. Pompeius, Magni filius, lectis ex Epiro proſcriptis ac fugitiuis, cũ exercitu diu ſine ulla loci cuiuſquam poſſeſſione prædatus in mari, Meſſanam oppidum in Sicilia primum, deinde totam prouinciam occupauit: occiſoq; à Pompeio A. Bithynico prætore, Saluidenum legatum Cæſaris nauali prælio uicit. Cæſar & Antonius cum exercitibus in Græciam traiecerunt, bellum contra Brutum, & Caſſium geſturi. Q. Cornificius in Africa T. Sextium Caſſianarum partium ducem prælio uicit.

LIBRI CXXIIII.

C. Cæſar, & Antonius apud Philippos uario euentu contra Brutum, & Caſſium pugnauerunt: ita, ut utriuſq; dextera cornua uicerint: & caſtra quoq; utrinq; ab iis, qui uicerant: expugnarentur. Sed inæqualem fortunam partium mors quidem Caßij fecit. qui cum in eo cornu fuiſſet: quod pulſum erat: totum exercitum fuſum ratus, mortem ſibi conſciuit. Altero deinde prælio uictus M. Brutus & ipſe uitam finiuit: exorato Stratone fugæ comite: ut ſibi gladium adijceret. annorũ erat circiter ætatis XXXX. Inter quos Q. Hortenſius occiſus eſt.

LIBRI CXXV.

C. Cæſar, relicto Antonio (tranſmarinæ prouinciæ ex parte imperium ei ceſſit) reuerſus in Italiam ueteranis agros diuiſit. ſedi-

tiones exercitus ſui, quas corrupti à Fuluia M. Antonij uxore milites contra imperatorem ſuum concitauerant: cum grandi periculo inhibuit. L. Antonius COS, M. Antonij frater, eadem Fuluia conſulente, bellum Cæſari intulit: receptis in partes ſuas populis: quorum agri ueteranis aſſignati erant: et M. Lepido, q; cuſtodiæ urbis cum exercitu præerat: ſciſſo hoſtiliter, in urbem irrupit.

LIBRI CXXVI.

C. Cæſar, cum eſſet annorum XXIIII: obſeſſum in oppido Peruſia L. Antonium, conatumq; aliquoties erumpere, & repulſum fame coëgit in deditionem uenire: ipſiq;, & omnibus quidem militibus eius ignouit: Peruſiam diruit: redactisq; in poteſtatem ſuam omnibus diuerſæ partis exercitibus, bellum citra ullum ſanguinem confecit.

LIBRI CXXVII.

P Arthi, Labieno, qui Pompeianarum partium fuerat: duce, in Syriam irruperunt: uictoq; Didio Saxa M. Antonij legato, uniuerſam eam prouinciam occupauerunt. M. Antonius, cum ad bellum contra Cæſarem gerendum incitaretur: uxore Fuluia dimiſſa, ne concordiæ ducum obſtaret: pace facta cum Cæſare, ſororem eius Octauiam in matrimonium duxit. Q. Saluidenum conſilia nefaria contra Cæſarem molitum indicio ſuo detexit: isq; damnatus mortem ſibi conſciuit. P. Ventidius Antonij

legatus Parthos prælio uictos Syria expulit: Labieno eorum duce occiſo. Cum uicinus Italiæ hoſtis Sex. Pompeius Siciliam teneret: & annonæ commeatum impediret: cum eo poſtulatam pacem Cæſar, & Antonius quidem fecerunt: ita ut Siciliam prouinciam haberet. Præterea motus Africæ, & bella geſta continet.

LIBRI CXXVIII.

C Vm Sex. Pompeius rurſum latrocinijs mare infeſtum redderet: nec pacem, quam acceperat: præſtaret: Cæſar neceſſario bello contra eum ſuſcepto, duobus naualibus prælijs dubio euentu pugnauit. L. Ventidius legatus M. Antonij Parthos in Syria uicit: Regemq; eorum interemit. Iudæi quoq; à legatis Antonij interempti ſunt. Præterea belli ſiculi apparatum continet.

LIBRI CXXIX.

A Duerſus Sex. Pompeium uario euentu naualibus certaminibus pugnatum eſt: ita, ut duarum claſſiũ, Cæſaris altera, cui Agrippa præerat: uinceret, altera, quam Cæſar duxerat: deleta, expoſiti in terrã, in quammaximo periculo eſſent. uictus deinde Pompeius in Siciliam profũgit. M. Lepidus, q ex Africa uelut ad ſocietatem belli contra Sex. Põpeium à Cæſare gerendi traiecerat: ei bellum cum Cæſar quoq; inferret: relicto exercitu, abrogato triũuiratus honore, uitã impetrauit. M. Agrippa nauali corona à Cæſare donatus eſt. q honos nemini ante eũ habitus eſt.

LIBRI CXXX.

m Arcus Antonius, dum cum Cleopatra luxuriaretur: Mediam prouinciã ingreſſus bellũ cum legionibus XVIII, & XVI millibus equitum Parthis intulit. et cũ duabus legionibus amiſſis, nulla re proſpere cedente retro rediret: inſecutis ſubinde Parthis, et ingenti trepidatione, et magno totius exercitus periculo, in Armeniã reuerſus eſt, XXI. die trecenta millia fuga emenſus. circa octo millia hominum tempeſtatibus amiſit. tẽpeſtates quoq; infeſtas ſup infeliciter ſuſceptũ Parthicum bellũ culpa ſua paſſus eſt: quia hyemare i Armenia nolebat: dũ ad Cleopatrã feſtinat.

LIBRI CXXXI.

ſ EX. Pompeius, cũ in fidẽ M. Antonij ueniret: bellũ aduerſus eum in Aſia moliens à legatis eius oppreſſus eſt. Cæſar ſeditionem ueteranorum cum magna pernicie motam inhibuit: Iapidas, Dalmatas, & Pannonios ſubegit. Antonius Artiniridẽ Armeniæ Regem fide data perductum in uincula coniici iuſſit: regnũq; Armeniæ filio ſuo ex Cleopatra nato dedit: quam uxoris loco iampridem captus amore eius habere cœperat.

LIBRI CXXXII.

C. Cæſar in Illyrico Dalmatas domuit. Cum M. Antonius ob amorem Cleopatræ, ex qua duos filios habebat, Philadelphum, et Ale=

xandum:neq; in urbem uenire uellet:neq; finito eius tẽpore triumuiratus imperium deponere : bellumq́; moliretur: quod urbi, Italiæq; inferret, ingentibus tam naualibus, quàm terreſtribus copijs ob hoc contractis, remiſſoq; Octauiæ ſorori Cæſaris repudio, Cæſar in Epirum cum exercitu traiecit. Pugnæ deinde nauales, et prælia equeſtria ſecunda Cæſaris referuntur.

LIBRI CXXXIII.

M. Antonius ad Actium claſſe uictus Alexãdriam profugit: obſeſſusq́; à Cæſare in ultima rerũ deſperatione, præcipue occiſæ Cleopatræ falſo rumore impulſus, ſe ipſe interemit. Cæſaris Alexandria in poteſtatem redacta, Cleopatra, ne in arbitrium uictoris ueniret: uoluntaria morte occubuit. In urbem reuerſus tres triumphos egit: unum ex Illyrico: alterum ex Actiaca uictoria: tertiũ ex Cleopatra: impoſito fine ciuilibus bellis altero & trigeſimo anno. M. Lepidus, qui Lepidi triumuiri fuerat filius: coniuratione contra Cæſarem facta, bellum moliens oppreſſus, & occiſus eſt.

LIBRI CXXXIIII.

C. Cæſar rebus compoſitis, & omnibus prouincijs in certam formam redactis, Auguſtus quoq; cognominatus eſt: & menſis Sextilis in honorem eius appellatus eſt. Cum ille conuentum Narbonæ egit: cenſus à tribus Gallijs, quas Cæſar pater

uicerat:actus. Bellum contra Baſtarnas,& Mœſos, & alias gentes à M.Craſſo refertur.

LIBRI CXXXV.

b Ellũ à M.Craſſo aduerſus Thracas,et à Cæſare aduerſus Hiſpanos geſtum refertur:& Salaſſi,gentes alpinæ,perdomiti.

LIBRI CXXXVI.

g Ræcia à Tyberio Neronæ,& Druſo Cæſaris priuigno domita: Agrippa Cæſaris gener mortuus:et à Druſo cenſus actus eſt.

LIBRI CXXXVII.

c Iuitates Germaniæ cis Rhenum,et trans Rhenum poſitæ oppugnantur à Druſo:& tumultus,qui ob cenſum exortus in Gallia erat:compoſitus. Ara Cæſari ad confluentem Araris et Rhodani dedicata:ſacerdoteq́; creato C.Iulio Vercondari dubio Heduo.

LIBRI CXXXVIII.

t Hraces domiti à Scipione:item Cheruſci,Cẽchrei,Cauci,aliæq́; Germanorũ trans Rhenum gentes ſubactæ à Druſo referuntur. Octauia ſoror Auguſti defuncta:ante amiſſo filio Marcello.cuius monimenta ſunt theatrum,& porticus eius nomini dicata.

LIBRI CXXXIX.

Bellũ contra Tranſrhenanas gentes à Druſo geſtum refertur. in quo inter primores pugnauerunt, T. Senectius, & Anectius tribuni ciuitatis Neruiorum. Dalmatas, & Pannonios Nero frater Druſi ſubegit. Pax cum Parthis facta eſt: ſignis à Rege eorum, quæ ſub Craſſo, & poſtea ſub Antonio capta erant: redditis.

LIBRI CXL.

Bellum aduerſus Germanorum trans rhenũ ciuitates geſtum à Druſo refertur. ipſe ex fractura equo ſuper crus eius collapſo, XXX die, quàm id acciderat: mortuus eſt. corpus à Nerone fratre, qui nuntio ualetudinis euocatus raptim occurrerat: Romam reuectum: & in C. Iulij tumulo conditum. Laudatus à Cæſare Auguſto uictrico, et ſupremis illius funeribus plures honores dedit.

FINIS.

LVCIVS FLORVS.

FRANCISCVS ASVLANVS RAYMVNDVM TVRRIANVM PATRICIVM VERONENSEM SALVERE IVBET.

d

IVINA *quædam res, & multo fortaſſe admirabilior, q̃ humano unquam pectore poſſit concipi, inter mortaleis eſt* Amor. *hunc non iniuria priſci ſapientes, ſed ſuo ipſius proprio nomine* Pandamatora *uere recteq́; appellitarunt: ut pote uehementi cuius numine non humana modo, ſed cœleſtia etiã ſumma regantur æquitate. hic unus eſt, quo diræ belli portæ arctis claudũtur compagibus. hoc uno ſæuientes in atrã rabiem furiæ q̃primũ miteſcunt. hoc magnis fluctuãtes irarũ æſtibus animi facillime reſtiguũtur. hoc uno diſcordia conciliantur pectora. hoc placida componimur pace, & ſecuri grata fruimur quiete. hoc uno ad laudata diſciplinarum munera, ad egregias animi uirtutes, & ad optima quæq; arduis aſſequenda laboribus, ardenti ſemper inflammamur ſtudio. hoc deteſtata omnia fugimus uitia: & rectam nobis uiuendi rationem, probatis decorã laudibus, claroq́; inſignitam nomine, deligimus. hic demum is eſt* Amor, *magnis cuius uiribus, cœlũ, terras, maria, et omnia ſuo quæq; digeſta loco, ſumma temperie, certoq́; moderamine ſtare uidemus.* Quæ *quidem omnia mecum una dum reuoluto* Raymunde Turrianorũ *de=*

cus, diuinum hunc Amorem magnis colo honoribus,
reuereor, adoro: quin & deos ſupra omnis, maiori
hunc præpollere numine, putare cogor. nam & hic
ipſos cœlicolarum animos, æquis conciliatos fœderibus,
lato regit imperio. Maximas uero huiuſce Dei uires
nunc ego uel ob id magis ac magis demiror, quod te
Raymunde magnanime, tuumq; Io. Baptiſtam fratrem,
unà cum Naugerio, ac Rhamnuſio, ea coniunxit neceſſi
tudinis copula, eo deuinxit magni numinis uinculo, ut
quatuor diuerſis in corporibus, unum eundemq; ineſſe
animum facile omnes cognoſcant. ſic uos iiſdem modeſti
uiuitis moribus: ſic uos eodem concordes pectore idem
appetitis: ſic uno uos conſenſu idem renuitis: ſic paribus
decori elucetis uirtutibus: ſic demum uos omnes rebus in
omnibus adeo ſimiles eſtis, ut alium ab alio diſiungi non
humanæ unquam ſit opis. quæ faciunt omnia, ut uos iu
re delegerim omnes, felicibus quorum auſpiciis optima
priſcorum monimenta, noſtris eluſtrata laboribus, in
medium prodeant. Superioribus igitur diebus, cum pri
mam T. Liuii ſcriptoris grauiſſimi Decadem, Andreæ
tuo dicarim Naugerio, uiro uirtutibus omnibus inſigni,
omni ſcientiarum diſciplinarumq; genere prædito, om-
nibus animi dotibus cumulatiſſime referto: quem, ob fe
liciſſimū ipſius dicendi genus, ob nectareum romani elo=
quii leporem, ob integram rerum omnium cognitionem,
præclarus hic Senatus Venetus ad ſcribendos noſtræ tē
peſtatis annales, æquiſſimo delegit iure: mox uero cum
tertiam eiuſdem ſcriptoris partem tuo itidem uouerim
Rhamnuſio, uiro multis digno laudibus, egregiis omni=
bus ornato uirtutibus: quem ob maturam prudētis ani=

mî grauitatem, ob rectiſſimum ſummæ æquitatis iudicium, ob ſaluberrima fœcundi pectoris conſilia, ob incredibilem diuinæ mentis ſapientiam, felix idem hic Senatus à ſecretis uoluit: poſtea uero, cum quartum eiuſdem authoris, quod adhuc ſupererat unicum, fratri tuo Io. Baptiſtæ uiro omni ex parte nunquam ſatis laudato, nuncupauerim uolumen: tu mihi digniſſimus occurriſti Raymunde, cui præclarum hoc Lucij Flori opus, mea repurgatum opera dedicarem. en igitur diuinum hunc Authorem, celebri tuo inſignitum nomine, ſtudioſis omnibus damus legendum. hunc profectò feliciſſimam unà cum T. Liuio ſortem nactum eſſe uideo. felix nimirum uterq; ſuaui concinnæ orationis modulamine, at longe feliciores, quorum laudata opera egregijs uirorum illuſtrium nominibus munita ſunt. Accipe igitur Raymunde clariſſime noſtros hoſce lubens labores. qui meum in te, tuamq; omnem domum purum beneuolî animi candorem aperta teſtantur fide. dabo in dies meliora, ſi modo tot duris in laboribus me Deus Opt. Max. grato foueat numine.

Sis felix.

LVCII FLORI RERVM AB VRBE CONDITA LIBER PRIMVS.

P Opulus romanus à Rege Romulo in Cæſarem Auguſtum ſeptingentos per per annos tantum operum pace, belloq́; geſſit: ut ſi quis magnitudinem imperij cum annis conferat: ætatem ultra putet: ita late per orbem terrarum arma circuntulit: ut qui res eius legunt: non unius populi, ſed generis humani facta diſcant. Nan tot laboribus, periculisq; iactatus eſt: ut ad conſtituendum eius imperium contendiſſe uirtus, & fortuna uiderentur. Quare cum præcipue hoc quoq;, ſicut cætera, operæpretium ſit cognoſcere: tamen, quia ipſa ſibi obſtat magnitudo: rerumq́; diuerſitas aciem intentionis abrumpit: faciam quod ſolet, qui terrarum ſitus pingunt: in breui quaſi tabella totam eius imaginem amplectar: non nihil (ut ſpero) in admirationem principis populi collaturus: ſi pariter, atq; in ſemet uniuerſam magnitudinem eius oſtendero.

Siquis ergo populum Ro. quaſi hominem conſyderet: totamq́; eius ætatem percenſeat: ut cœperit: utq; adoleuerit: ut quaſi ad quendam iuuentæ florem peruenerit: ut poſtea uelut conſenuerit: quatuor gradus, proceſſusq́; eius inueniet. Prima ætas ſub regibus fuit prope CCL per annos: quibus circum ipſam matrem ſuam cum finitimis luctatus eſt. Hæc erit eius infantia. Sequens à Bruto, Collatinoq́; conſulibus in Appiũ Claudium, Quintumq́; Fuluium conſules CC annos habet: quibus Italiam ſubegit. Hoc fuit tempus uiris, armisq́; incitatiſſimum. ideo quis adoleſcentiam dixe

rit. Dehinc ad Cæſarem Auguſtum CCL anni: quibus totum orbem pacauit. Hic iam ipſa iuuenta imperij, & quaſi quædam robuſta maturitas. A Cæſare Auguſto in ſæculum noſtrum ſunt non multo minus anni CC. quibus inertia Cæſarum quaſi conſenuit: atq; decoxit: niſi quod ſub Traiano principe mouet lacertos: & præter ſpem omnium ſenectus imperij quaſi reddita iuuentute reuireſcit.

DE ROMVLO PRIMO ROMANORVM REGE.

PRimus ille & urbis, & imperij conditor Romulus fuit, à Marte genitus, & Rhea Sylvia. Hoc de ſe Veſtæ ſacerdos grauida cōfeſſa eſt. nec mox fama dubitauit: cum Amulij imperio abiectus in aquam profluentē cum Remo fratre non potuit extingui. ſiquidem & Tyberinus amnem repreſſit: & relictis catulis lupa uagitum ſecuta, ubera admouit infantibus: matremq; ſe geſſit. Sic repertos apud arborem Fauſtulus regis paſtor tulit in caſam: atq; educauit. Alba tunc erat Latio caput, Iuli opus. nam Lauinium patris Aeneæ contempſerat. Ab his Amulius iam bis ſeptima ſobole regnabat, fratre pulſo Numitore: cuius ex filia Romulus. Igitur prima iuuentæ face patruum Amulium ab arce deturbat: auum reponit: ipſe fluminis amator, & montium, apud quos erat educatus: mœnia nouæ urbis agitabat. Gemini erant: uter auſpicaretur, & regeret, adhibuere piacula. Remus montem Auētinū, hic Palatinum occupauit. Prior ille ſex uultures, hic poſtea, ſed duodecim uidit. Sic uictor augurio urbem excitat, plenus ſpei bellatricem fore. ita illi aſſuetæ ſanguini & prædæ aues pollicebantur

tur. Ad tutelam nouæ urbis ſufficere uallum uidebatur. cuius dum irridet anguſtias Remus: idq́; increpat ſaltu: dubiũ an iuſſu fratris, occiſus eſt. Prima certe uictima fuit: munitionemq́; urbis nouæ ſanguine ſuo cõſecrauit. Imaginem urbis magis, quàm urbem fecerat. incolæ deerant. Erat in proximo lucus. hunc aſylum facit: & ſtatim mira uis hominum, Latini, Tuſciq́; paſtores, quidam et tranſmarini, Phryges, qui ſub Aenea: Arcades, qui ſub Euandro duce: influxerant. Ita ex uarijs quaſi elementis congregauit corpus unũ: populumq́; Romanum ipſe fecit. Res erat unius ætatis populus uirorum. Itaq; matrimonia à finitimus petita, quia non impetrabantur: manu capta ſunt. Simulatis quippe ludis equeſtribus, uirgines, quæ adſpectaculũ uenerant: prædæ fuere. et hæc ſtatim cauſa bellorum. Pulſi, fugatiq́; Veientes. Ceninenſium captum, ac dirutum eſt oppidum. Spolia inſuper opima de Rege Feretrio Ioui manibus ſuis Rex reportauit. Sabinis proditæ portæ ꝑ uirginem: nec dolo: ſed puella preciũ rei, quã gerebant in ſiniſtris: petierat: dubium clypeos, an armillas. Illi ut & fidem ſoluerent: & ulciſcerentur: clypeis obruere. Ita admiſſis intra mœnia hoſtibus, atrox in ipſo foro pugna: adeo ut Romulus Iouem oraret: ut fœdam ſuorum fugam ſiſteret. Hic templum eſto, inqt, Stator Iuppiter. Tandẽ ſæuientibus interuenere raptæ laceris comis. Sic pax facta cum Tatio: fœdusq́; percuſſum: ſecutaq́; res mira dictu: ut relictis ſedibus ſuis, nouam in urbẽ hoſtes demigrarent: et cum generis ſuis auitas opes pro dote ſociarent. Auctis breui uiribus, hunc rex ſapientiſſimus ſtatum reipu. impoſuit: ut iuuentus diuiſa per tribus in equis, et in armis ad ſubita

bella excubaret: conſilium reipu. penes ſenes eſſet: qui ex authoritate patres, ob ætatem ſenatus uocabantur. his ita ordinatis, cum repente contionem haberet ante urbem apud Capreæ Paludem: e conſpectu ablatus eſt. Diſcerptum aliqui à ſenatu putant ob aſperius ingenium. ſed oborta tempeſtas, ſolisq́; defectio conſecrationis ſpeciem præbuere. cui mox Iulius Proculus fidem fecit: uiſum à ſe Romulum affirmans auguſtiore forma, quàm fuiſſet: mandare præterea: ut ſe pro numine acciperent. Quirinum in cœlo uocari placitum dijs: ita gentium imperio Roma potiretur.

DE NVMA POMPILIO.

s Vcceſſit Romulo Numa Pompilius: quem Curibus Sabinis agentem ultro petiuere ob inclytam uiri religionem. Ille ſacra, & cærimonias, omnemq́; cultum deorum immortalium docuit. ille pontifices, Augures, Salios, cæteroſq́; per ſacerdotia: annum quoq; in XII menſes, faſtos dies, nefaſtoſq́; deſcripſit. ille Ancylia, atq; Palladium, ſecreta quædam imperij pignora, Ianumq́; geminum, fidem pacis ac belli, in primis focum Veſtæ uirginibus colendum dedit: ut ad ſimulachrum cœleſtium ſyderum cuſtos imperij flamma uigilaret. Hæc omnia quaſi monitu deæ Aegeriæ: quo magis barbari acciperent. Eò deniq; ferocem populũ redegit: ut quod ui, et iniuria occupauerat imperiũ: religione, atq; iuſticia gubernaret.

DE TVLLO HOSTILIO.

e Xcipit Pompilium Numam Tullus Hoſtilius: cui in honorem uirtutis regnum ultro datũ. Hic omnem militarem diſciplinam, artemq́; bellandi condidit. Itaq; mirum in modum exercita iu-

uentute, prouocare auſus Albanos grauem & diu principem populum. Sed cum pari robore frequentibus prælijs utrinq; comminuerentur: miſſo in cōpendium bello, Horatijs Curiatijsq́;, trigeminis hinc atq; inde fratribus, utriuſq; populi fata commiſſa ſunt. Anceps, & pulchra contentio, exituq́; ipſo mirabilis. Tribus quippe illinc uulneratis, hinc duobus occiſis, qui ſuperat Horatius, addito ad uirtutem dolo, ut diſtraheret hoſtem: ſimulat fugam: ſingulosq́;, prout ſequi poterant, adorſus exuperat. Sic (rarum aliâs decus) unius manu parta uictoria eſt. quam ille mox parricidio fœdauit. Flentem ſpolia circa ſe ſponſi quidem, ſed hoſtis ſororem uiderat. hunc tam immaturum uirginis amorem ultus eſt ferro. Citauere leges nefas. ſed abſtulit uirtus parricidam: & facinus intra gloriam fuit. Nec diu in fide manſit Albanus. nam Fidenati bello miſſi in auxilium ex fœdere, medij inter duos expectauere fortunam. Sed Rex callidus ubi inclinare ſocios ad hoſtem uidet: tollit animos: quaſi ipſe mandaſſet. ſpes inde noſtris: metus hoſtibus. Sic fraus proditoris irrita fuit. Itaq; hoſte uicto, ruptorem fœderis Metium Suffetium religatum inter duos currus pernicibus equis diſtrahit: Albamq́; ipſam quamuis parentem, æmulam tamen diruit: cum prius omnes opes urbis, ipſumq́; populum Romam trāſtuliſſet: prorſus ut conſanguinea ciuitas non perijſſe, ſed in ſuum corpus redijſſe rurſus uideretur.

DE ANCO MARTIO.

a Ncus deinde Martius, nepos ex filia Pompilij, pari ingenio. Hic igitur & mœnia muro amplexus eſt: & interfluentem urbi Tyberinum ponte commiſit: Hoſtiamq́; in ipſo maris flu-

minisq; confinio coloniam poſuit, iam tūc uidelicet præ ſagiens animo futurum: ut totius mundi opes, & commeatus illo ueluti maritimo urbis hoſpitio reciperentur.

DE TARQVINIO PRISCO.

T Arquinius poſtea Priſcus, quamuis tranſmarinæ originis, regnum ultro petens accipit ob induſtriam atq; elegantiam: quippe qui oriūdus Corintho, græcum ingenium italicis artibus miſcuiſſet. Hic & ſenatus maieſtatem numero ampliauit: & centurijs tribus auxit: quamuis Actius Nauius numerum augeri prohiberet, uir ſummus augurio. quem rex in experimentum rogauit: fieri'ne poſſet, quod ipſe mente concœperat? ille rem expertus augurio, poſſe reſpondit. atqui hoc, inquit, agitabam: an cotem illam ſecare nouacula poſſem? & augur potes, inquit. & ſecuit. Inde Romanis ſacer auguratus. Neq; pace Tarquinius, quàm bello promptior. XII nanq; Tuſciæ populos frequentibus armis ſubegit. Inde faſces, trabeæ, curules, annuli, falere, paludamenta, prætexta, inde quod aureo curru quatuor equis triumphatur: togæ pictæ, tunicæq; palmatæ, omnia deniq; decora, & inſignia, quibus imperij dignitas eminet: ſumpta ſunt.

DE SERVIO TVLLIO.

S Eruius Tullius deinceps gubernacula urbis inuadit. nec obſcuritas inhibuit quamuis matre ſerua creatum. nam ob eximiam indolē uxor Tarquinij Tanaquil liberaliter educauerat: et clarū fore, uiſa circa caput flāma promiſerat. Ergo inter Tarquinij mortē, adnitente Regina ſubſtitutus in locū regis quaſi ad tēpus. Regnū dolo partum ſic egit induſtria: ut iure adeptus uideretur. Ab hoc populus Ro. relatus icen

ſum digeſtus in claſſes de curijs, atq; collegijs diſtributus: ſummáq; regis ſolertia ita ẽ ordinata reſpublica: ut oĩa patrimonij, dignitatis, ætatis, artiũ, officiorumq; diſcrimina in tabulas referẽtur: ac ſi maxima ciuitas minimæ domus diligentia contineretur.

DE TARQVINIO SVPERBO.

P Oſtremus omniũ fuit regum Tarquinius: cui cognomen Superbo ex moribus datum. Hic regnum auitum, quod à Seruio tenebatur: rapere maluit, quàm expectare. immiſſiſq; in eum percuſſoribus, ſcelere partam poteſtatem non melius egit: quàm acquiſierat. Nec abhorrebat moribus uxor Tullia: quæ ut uirum regem ſalutaret: ſuper cruentum patrem uecta carpento conſternatos equos egit. Sed ipſe in ſenatum cædibus, in plebem uerberibus, in omnes ſuperbia, quæ crudelitate grauior eſt: bonos graſſatus cum ſæuitiam iam domi fatigaſſet: tandẽ in hoſtes conuerſus eſt. Sic ualida oppida in Latio capta ſunt, Ardea, Otriculum, Gabij, Sueſſa, Pometia. Tũ quoq; cruentus in ſuos. neq; enim filiũ uerberare dubitauit: ut ſimulanti tranſfugã apud hoſtes hinc fides eſſet. cui Gabijs ut uoluerat, recepto, atq; per nuntios conſulenti qd fieri uellet: eminẽtia forte papauerũ capita uirgula excutiens, cum ꝑ hoc interficiendos eſſe principes intelligi uellet: qua ſuperbia ſic reſpondit: ut ſenſerat. tamen de manubijs captarum urbiũ templum erexit. quod cum inauguraretur: cedentibus cæteris dijs (mira res dictu) reſtitere Iuuenta, et Terminus. Placuit uatibus contumatia numinum. ſiquidẽ firma omnia, et æterna pollicebãtur. Sed illud horrendũ: quod molientibus ſedẽ in fundamentis humanũ repertũ eſt caput. nec dubitauere cuncti: monſtrũ pulcherrimum

imperij ſedẽ caputq; terrarũ promittere. Tamdiu ſuperbiam regis populus Ro. ꝑpeſſus eſt: donec aberat libido. hãc ex liberis eius importunitatẽ tollerare nõ potuit. quorũ cum alter ornatiſſimæ fœminæ Lucretiæ ſtuprum intuliſſet: matrona dedecus ferro expiauit. Imperium tum regibus abrogatum.

ANACEPHALEOSIS DE SEPTEM REGIBVS.

hAec eſt prima ætas populi romani, et quaſi infantia: quã habuit ſub regibus ſeptem, quadã fatorũ induſtria tam uarijs ingenio: ut reip. ratio et utilitas poſtulabat. nam quid Romulo ardentius? tali opus fuit: ut inuaderet regnũ. Quid Numa religioſius? talẽ res popoſcit: ut ferox populus deorum metu mitigaretur. Quid ille militiæ artifex Tullus? bellatoribus uiris quã neceſſarius: ut acueret ratione uirtutem. Quid ædificator Ancus? ut urbẽ colonia extenderet: põte iungeret: muro tueretur. Iam uero Tarquinij ornamẽta, et inſignia, quantam principi populo addiderunt ex ipſo habitu dignitatẽ? Actus à Seruio cenſus qd effecit: niſi ut ipſa ſe noſceret romana reſpublica? Poſtremo ſuperbi illius importuna dominatio non nihil, immo uel plurimũ profuit. ſic enim effectum eſt: ut agitatus iniurijs populus cupiditate libertatis incenderetur.

DE MVTATIONE REIPVBLICAE.

iGitur Bruto, Collatinoq; ducibus et authoribus, qbus ultionem ſui moriens matrona mandauerat: populus romanus ad uindicandũ libertatis, ac pudicitiæ decus quodã quaſi inſtinctu deorũ concitus regẽ repente deſtituit: bona diripit: agrũ Marti ſuo conſecrat: imperiũ in eoſdem libertatis ſuæ uindices transfert: mutato tamen et iure, et nomine. qppe ex perpe

tuo annuū placuit:ex ſingulari duplex:ne poteſtas ſolitu dine uel mora corrumperetur:Conſulesq́; appellauit pro regibus:ut conſulere ſe ciuibus ſuis debere meminiſſent. tantumq́; libertatis nouæ gaudiū inceſſerat:ut uix mu tati ſtatus fidē caperent:alterumq́; ex conſulibus Lucre tiæ maritum tantū ob nomen,et genus regiū faſcibus ab rogatis urbe dimitterent. Itaq; ſubſtitutus Valerius Pu blicola ſummo ſtudio anniſus eſt ad augendā liberi popu li maieſtatem. nam et faſces ei pro libera contione ſubmi ſit:et ius prouocationis aduerſus ipſos dedit:et ne ſpecies arcis offenderet:eminentes ædes ſuas in plana ſubmiſit. Brutus uero fauori ciuium etiam domus ſuæ clade,& parricidio uelificatus eſt. quippe cū ſtudere reuocandis in urbē regibus liberos ſuos comperiſſet:protraxit in forū: & contione media uirgis cecidit:& ſecuri percuſſit: ut planè publicus parens in locum liberorū adoptaſſe ſibi populū Ro. uideretur. Liber iam hinc populus Ro. pri ma aduerſus exteros arma pro libertate corripuit:mox pro finibus:deinde pro ſocijs:tū gloria,& imperio:la ceſſentibus aſſidue uſquequaq; finitimis:qppe cum patrij ſoli gleba nulla eſſet:ſed ſtatim hoſtile pomeriū:mediusq́; inter Latiū,et Thuſcos quaſi in quodam biuio colloca tus omnibus portis in hoſtem incurreret:donec quaſi con tagione quadam per ſingulos itum eſt:& proximis qui buſq; correptis totam Italiam ſub ſe redigeret.

BELLVM HETRVSCVM CVM REGE PORSENNA.

P Vlſis ex urbe regibus,prima pro libertate ar ma corripuit. nam Porſenna rex Hetruſcorū ingentibus copijs aderat:et Tarquinios manu reducebat. Hunc tamen,quis & armis,et fame urgeret:

occupatóq; Ianiculo ipſis urbis faucibus incubaret: ſuſti nuit: repulit: nouiſſime etiam tanta admiratione percu lit: ut ſuperior ultro cum penè uictis amicitiæ fœdera fe riret. Tunc illa Romana pericula, atq; miracula, Hora tius, Mutius, Clœlia. quæ niſi in annalibus forent: hodiè fabulæ uiderētur. Quippe Horatius Cocles poſtq̄ hoſtes undiq; inſtantes ſolus ſubmouere non poterat: pōte reciſo tranſnatat Tyberim: nec arma dimittit. Mutius Scæuo la regem ꝑ inſidias ĩ caſtris eius aggreditur. ſed ubi fru ſtratum circa purpuratum eius ictū tuetur: ardentibus fo cis iniicit manū: terrorēq; geminat dolo. Vt ſcias, inqt, quē uirū effugeris: idē trecenti iurauimus. cum interim (immane dictu) hic interritus: ille trepidaret: tanq̄ ma= nus regis arderet. Sic qdem uiri. Sed neqs ſexus à lau= de ceſſaret: ecce et uirginum uirtus. Vna ex obſidibus re gi data eluſa cuſtodia Clœlia ꝑ patriū flumen eqtabat. Et rex quidem tot, tantisq; uirtutum territus monitis, ua lere, liberoſq; eſſe iuſſit. Tarquinij tamdiu dimicaue= runt: donec Aruntem filium regis manu ſua Brutus occidit: ſuperq; ipſo mutuo uulnere expirauit: planè qua ſi adulterum ad inferos uſq; ſequeretur.

BELLVM LATINVM.

Latini quoq; Tarquinios aſſerebāt æmulatione, et inuidia: ut populus q foris dominabatur: ſal tem domi ſeruiret. Igitur omne Latium Ma- milio Thuſculano duce quaſi in regis ultionem tollit ani mos. Apud Regilli lacum dimicatur, diu marte ua- rio: donec Poſthumius ipſe dictator ſignum in hoſtes iaculatus eſt: nouum et inſigne commentum: uti peteren tur curſu. Coſſus eqtum magiſter exuere frenos impera uit. et hoc nouum: quo acrius incurrerēt. Ea demū atro= citas fuit

citas fuit prælij: ut interfuiſſe ſpectaculo deos fama tradiderit. Duos in candidis equis, Caſtorem, atq; Pollucē, nemo dubitauit. Itaq; & imperator ueneratus eſt: nactusq; uictoriam, templa promiſit: & reddidit, ſanè quaſi commilitonibus deis ſtipendium. Hactenus pro libertate, mox de finibus cum eiſdem Latinis aſſidue, & ſine intermiſſione pugnatum eſt. Sora, (quis credat?) & Algidum terrori fuerunt: Satricum, atq; Corniculum, prouinciæ. De Veijs, & Bouillis pudet: ſed triumphauimus. Tibur nunc ſuburbanum, & æſtiuæ præneſte delitiæ, nuncupatis in Capitolio uotis petebantur. Idem tunc Feſulæ: quod Taphræ nuper. idem nemus Aricinum: quod Hercinius ſaltus. Fregellæ: quod Geſoriacum: quod Tigris: quod Euphrates. Coriolos quoq; (prò pudor) uictos adeo gloriæ fuiſſe: ut captum oppidū Cn. Martius Coriolanus, quaſi Numantiā, aut Africā, nomini indueret. Extant et parta de Antio ſpolia: quæ mœnibus in ſuggeſtu fori, capta hoſtium claſſe, ſuffixit: ſi illa claſſis: nam ſex fuere roſtratæ. ſed hic numerus illis initijs nauale bellum fuit. Peruicaciſſimi tamen Latinorum Equi, & Volſci fuere, & quotidiani (ut ſic dixerim) hoſtes. Sed hos præcipue L. Quintius domuit, ille dictator ab aratro: qui obſeſſa, ac penè iam capta M. Minutij conſulis caſtra egregia uirtute ſeruauit. Mediū erat forte tempus ſementis: cum patricium uirum innixum aratro ſuo lictor in ipſo opere deprehendit. Inde in aciem profectus, nequid à ruſtici operis immutatione ceſſaret: uictos more pecudum ſub iugum miſit. Sic expeditione finita, redijt ad boues rurſus triumphalis agricola. Fides numinum: qua uelocitate intra XV dies

cœptum, peractumq́; bellum: prorſus ut feſtinaſſe dicta tor ad relictum opus uideretur.

BELLVM CVM HETRVSCIS, FALI SCIS, ET FIDENATIBVS.

Sſidui uero, & anniuerſarij hoſtes ab Hetruria fuere Veientes: adeo, ut extraordinariam manum aduerſus eos promiſerit: priuatumq́; geſſerit bellum gens una Fabiorum. ſatis ſuperq; idonea clades. cæſi apud Cremeram trecenti & ſex: patricius exercitus. & ſcelerato ſignatur nomine: quæ proficiſcentes in prælium porta dimiſit. Sed ea clades ingentibus expiata uictorijs: poſtq̃ p alios atq; alios duces robuſtiſſima capta ſunt oppida: uario quidem euentu. Faliſci ſe ſponte dediderunt. cremati ſuo igne Fidenates. rapti funditus, deletiq́; Veientes. Faliſci cum obſiderentur: mira uiſa eſt fides imperatoris: nec immerito: quod ludi magiſtrum urbis proditorem cum his, quos adduxerat: pueris, uinctum ſibi ultro remiſiſſet. eam namq; Furius Camillus uir ſanctus, & ſapiens ſciebat ueram eſſe uictoriam: quæ ſalua fide, & integra dignitate pararetur. Fidenæ, quia pares non erant ferro: ad terrorem mouendum facibus armatæ, & diſcoloribus ſerpentum in modum uitis furiali more proceſſerant. ſed habitus ille feralis euerſionis omen fuit. Veiētium quanta res fuerit, indicat decennis obſidio. Tunc primum hyematum ſub pellibus: taxata ſtipēdio hyberna: adactus miles ſua ſponte iureiurādo, niſi capta urbe nō remeare. Spolia de Larte To-

lumnio Rege ad Feretrium reportata. Deniq; non ſca lis, nec irruptione, ſed cuniculo, & ſubterraneis dolis peractum urbis excidium. Ea deniq; uiſa eſt prædæ magnitudo: ut eius decimæ Apollini Pythio mitterentur: uniuerſusq; populus ro. ad direptionem urbis uocaretur. Hoc tunc Veientes fuere: nunc fuiſſe quis meminit? quæ reliquiæ? quodq; ueſtigium? Laborat annaliũ fides: ut Veios fuiſſe credamus.

BELLVM GALLICVM.

hInc ſiue inuidia deorum, ſiue fato, rapidiſſimus procurrentis imperij curſus parum per Gallorum Senonum incurſione ſupprimitur. Quod tempus populo romano neſcio utrum clade funeſtius fuerit: an uirtutis experimentis ſpecioſius. Ea certe fuit uis calamitatis: ut in experimentum illatam putem diuinitus ſcire uolentibus immortalibus dijs, an romana uirtus imperium orbis mereretur. Galli Senones, gens natura ferox, moribus incondita, ad hoc, ipſa corporũ mole perinde ac armis ingentibus, adeo omni genere terribilis fuit: ut planè nata ad hominum interitum, urbium ſtragem, uideretur. Hi quondam ab ultimis terrarum oris, cum cingerentur omnia oceano: ingenti agmine profecti, cum iam media uaſtaſſent: poſitis inter Alpes, & Padum ſedibus, ne his quidem contenti, per Italiam uagabantur. Tunc Cluſium Tuſciæ urbem obſidebant. Vbi pro ſocijs ac fœderatis populus Ro. interuenit, miſſis ex more legatis: (ſed quod ius apud Barbaros?) ferocius agunt: mouent

exinde certamen. Conuerſis igitur à Cluſio, Romamq́; uenientibus ad Alliam flumen cum exercitu Fabius conſul occurrit. Non Cremeræ fœdior clades. Itaq; hūc diem, faſtis Roma damnauit. Fuſo exercitu Galli mœnibus urbis appropinquabant. erant nulla penè præſidia. Tum igitur, ſic ut nunquam aliâs apparuit uera illa romana uirtus. Iampridem maiores natu ampliſſimis uſi honoribus in forum coeunt. ibi deuouente pontifice, dijs ſe manibus conſecrant: ſtatimq́; in ſuas quiſq; ædes regreſſi, ſicut in trabeis erant, & ampliſſimo cultu, in curulibus ſellis ſeſe poſuerunt: ut cum ueniſſet hoſtis: in ſua dignitate morerentur. Pontifices autem, & Flamines qcquid religioſiſſimi in templis erat: partim in dolijs defoſſa terra recondunt: partim impoſita plauſtris ſecum auferunt. uirgines ſimul ex ſacertotio Veſtæ nudo pede fugientia ſacra comitantur. tamen excepiſſe fugientes unus è plebe fertur L. Albinus: qui depoſitis uxore & filijs, uirgines in plauſtrū recœpit. adeo tum quoq; in ultimis religio publica priuatis affectibus antecellebat. Iuuentus uero, quam ſatis conſtat uix mille hominum fuiſſe: duce Manlio arcem capitolini montis inſedit, obteſtata ipſum quaſi præſentem Iouem: ut quemadmodum ipſi ad defendendum templum eius concurriſſent: ita ille uirtutem eorum numine ſuo tueretur. Aderant interim Galli: apertamq́; urbem primo trepidarunt: qui ſubeſſet dolus: mox ubi ſolitudinem uident: pari clamore & impetu inuadunt. Patentes paſſim domos adeunt. ubi ſedentes in curulibus ſellis prætextatos ſenes, uelut deos, geniosq́; uenerati, mox eoſdem poſtquam eſſe homines liquebat, alioquin nihil reſpondere

dignantes: pari uecordia mactant: facesq́; tectis iniiciũt: & totam urbem igne, ferro, manibus ſolo exæquant. Sex menſibus barbari (quis crederet?) circa montem unũ pependerunt, nec diebus modo, ſed noctibus quoq; omnia experti. Cum tamen Manlius nocte ſubeuntes clangore anſeris excitatus à ſumma rupe deiecit: & ut ſpem hoſtibus demeret: quanquam in ſumma fame, tamen ad ſpeciem fiduciæ, panes ab arce iaculatus eſt. & ſtato quodam die per medias hoſtium cuſtodias Fabium pontificem ab arce demiſit: qui ſolenne ſacrum in quirinali monte conficeret. atq; ille per media hoſtium tela incolumis religionis auxilio rediit: propiciosq́; deos renunciauit. Nouiſſime cum iam obſidione ſua barbaros fatigaſſet, mille pondo auri receſſum ſuum uendicantes: idq́; ipſum per inſolentiam cum ad iniqua pondera addito adhuc gladio ſuperbe uictos increparent: ſubito aggreſſus à tergo Camillus adeo cecidit: ut omnia incendiorum ueſtigia gallici ſanguinis inundatione deleret. Agere gratias diis immortalibus pro ipſo tantæ cladis nomine libet. Paſtorum caſas ignis ille & flamma paupertatem Romuli abſcondit. Incendium illud quid egit aliud: niſi ut deſtinata hominum, ac deorum domicilio ciuitas non deleta, non obruta, ſed expiata potius, & illuſtrata uideatur? Igitur poſt aſſertam à Manlio, reſtitutam à Camillo urbem acrius etiam, uehementiusq́; in finitimos reſurrexit. ac primum omnium illam ipſam gallicam gentem non contentus mœnibus expuliſſe, cum per Italiam naufragia ſua latius traheret: ſic perſecutus eſt duce Camillo: ut hodie nulla Senonum ueſtigia ſuperſint. Semel apud Anienem trucidati: cum ſingula=

ri certamine Manlius aureum torquem barbaro inter ſpolia detraxit: unde & Torquatus dictus eſt. iterum Pontino agro: cum in ſimili pugna M. Valerius inſidente galeæ ſatyria alite adiutus retulit ſpolia: dictusq; eſt ipſe Coruinus. necnon tamen poſt aliquot annos omnes reliqas eorũ in Hetruria ad lacũ Vadimonis Dolobella deleuit: neqs extaret in ea gente: q incenſam à ſe romanã urbẽ gloriaretur.

BELLVM LATINVM.

C Onuerſus à Gallis in Latinos, Mãlio Torquato, Decio Murena conſulibus, ſemper q dem æmulatione imperij & magiſtratuũ infeſtos, tum uero contemptu urbis incenſæ: cum ius ciuitatis, partem imperij, ac magiſtratuum poſcerent; pari imperio, atq; iam amplius, q̃ congredi auderent. quo tempore quis ceſſiſſe hoſtem mirabitur? cum alter conſulum filium ſuum, quia contra imperiũ pugnauerat: q̃uis uictorẽ, occiderit: quaſi plus in iperio eſſet: quàm in uictoria: alter quaſi monitu deorum capite uelato primum ante aciem dijs manibus ſe deuouerit: ut in confertiſſima ſe hoſtium tela iaculatus nouum ad uictoriam iter ſanguinis ſui ſemita aperiret.

BELLVM SABINVM.

À Latinis aggreſſus eſt gentem Sabinorũ: q immemores factæ ſub T. Tatio affinitatis quodam contagio belli ſe Latinis adiunxerunt. Sed Curio Dentato conſule, omnẽ eũ tractum, qua Nar ambit, fonteſq; Velini Adriatico tenus mari: igne, ferroq; uaſtauit. qua uictoria tantum ho

minum, tantum agrorũ redactum in poteſtatem: ut in utro plus eſſet, ne ipſe poſſet exiſtimare: qui uicerat.

BELLVM SAMNITICVM.

PRecibus deinde Campaniæ motus non pro ſe, ſed, quod eſt ſpecioſius: pro ſocijs Samnitas inuadit. Erat fœdus cum utriſq; percuſſum: ſed hoc Campani ſanctius, & prius omnium ſuorum deditione fecerunt. Sic ergo Romanus bellum Samniticum tanquam ſibi geſſit. Omniũ non modo Italia, ſed toto orbe terrarum pulcherrima Cãpaniæ plaga ẽ. Nihil mollius cœlo: deniq; bis floribus uernat: nihil uberius ſolo. ideo Liberi, Cererisq; certamẽ dicitur. nihil hoſpitalius mari. Hic illi nobiles portus, Caieta, Miſenus, et tepẽtes fontibus Baiæ, Lucrinus, & Auernus, quædã maris ocia. hic amicti uitibus montes, Gaurus, Falernus, Maſſicus, et pulcherrimus oĩum Veſuuius, Aetnæi ignis imitator. urbes ad mare, Formiæ, Cumæ, Puteoli, Neapolis, Herculaneũ, Põpei, et ipſa caput urbiũ Capua, quõdã inter tres maximas, Romã, Carthaginemq; numerata. Pro hac urbe, ijs regionibus populus Ro. Sãnitas inuaſit, gentẽ, ſi opulẽtiã quæras: aureis, et argẽteis armis, diſcolori ueſte uſq; ad ambitũ armatã: ſi inſidiarũ fallaciã: ſaltibus ferè, et mõtiũ fraude graſſantẽ: ſi rabiẽ, ac furorẽ: ſacratis legibus, humanisq; hoſtijs in exitũ urbis agitatã: ſi ptinaciã: ſexies rupto fœdere, cladibusq; ipſis animoſiorem. Hos tamen quinquaginta annis per Fabios, et Papirios patres, eorũq; liberos ita ſubegit, ac domuit: ita ruinas ipſas urbium diruit: ut hodie Sãniũ in ipſo Sãnio requiratur: nec facile appareat materia

quatuor & uiginti triumphorum. Maxime tamen nota & illuſtris ex hac gente clades apud Caudinas furcas, Veturio, Poſthumioq; conſulibus, accepta eſt. clauſo enim per inſidias intra eum ſaltum exercitu, unde non poſſet euadere: ſtupens occaſione tanta dux hoſtium Pontius Herennium patrem conſuluit. & ille, mitteret omnes, uel occideret, ſapienter ut ſenior ſuaſerat. hic armis exutos mittere ſub iugum maluit: ut nec amici forent beneficio: & poſt flagitium hoſtes magis. Itaq; & conſules ſtatim magnificæ uoluntaria deditione turpitudinem fœderis dirimunt: & ultionem flagitans miles Papirio duce (horribile dictu) ſubiectis enſibus per ipſam uiam ante pugnam furit: & in congreſſu arſiſſe omnium oculos, hoſtis author fuit. nec prius finis cædibus datus: quàm iugum & hoſtibus, & duci capto repoſuerunt.

BELLVM HETRVSCVM, ET SAMNITICVM.

hActenus populus Ro. cum ſingulis gentium: mox aceruatim: tamen ſic quoq; par omnibus. Hetruſcorum XII populi in id tempus incitati, antiquiſſimus Italiæ populus Samnitium, reliqui in excidium romani nominis repente coniurant. Erat terror ingens tot ſimul, tantorumq; populorum. Late per Hetruriam infeſta quatuor agminum ſigna uolitabant. Ciminius interim ſaltus in medio, ante inuius planè, quaſi Calydonius, uel Hercinius, adeo tunc terrori erat: ut ſenatus conſuli denuntiaret: ne tantum perriculi ingredi auderet. Sed ni

hil horum terruit ducem, quin fratre præmiſſo explorarét acceſſus. Ille per noctem paſtorio habitu ſpeculatus omnia, refert tutum iter. Sic Fabius Maximus pericu-loſiſſimum bellum ſine periculo explicauit. nam ſubito in conditos atq; palantes aggreſſus eſt: captiſq; ſuperioribus iugis, in ſubiectos ſuo more detonuit. ea nanq; ſpe-cies fuit illius belli: quaſi in terrigenas e cœlo, ac nubibus tela mitterētur. Nec incruēta tamen illa uictoria. nam oppreſſus in ſinu uallis alter conſulum Decius more patrio deuotum dijs manibus obtulit caput: ſolēneq; familiæ ſuæ cōſecrationem in uictoriæ pretium redegit.

BELLVM TARENTINVM, ET CVM PYRRHO REGE.

s

Equitur bellum Tarentinum, unum quidem titulo, & nomine, ſed uictoria multiplex. hoc enim Campanos, Apulos, atq; Lucanos, & caput belli Tarentinos, idem totam Italiam, & cum iſtis omnibus Pyrrhum clariſſimum Græciæ Regem una ueluti ruina pariter inuoluit: ut eodem tempore & Italiam conſumaret: & trāſmarinos triumphos auſpicaretur. Tarentum Lacedæmoniorum opus, Calabriæ quondam, & Apuliæ, totiuſq; Lucaniæ caput, cum magnitudine & muris portuq; nobili, tum mirabili ſitu. quippe in ipſis Adriatici maris faucibus poſitum in omnes terras, Hiſtriam, Illyricum, Epyrum, Achaiam, Africam, Siciliam uela dimittit. Imminet portui ad proſpectum maris poſitum urbis Theatrum: quod quidem cauſa miſeræ ciuitati

ſuit omnium ſuarum calamitatum. Ludos Forte celebra bant: cum remigantes littori romanas claſſes inde uidēt: atq; hoſtem rati, emicant: ſine diſcrimine inſultant: qui autem, aut unde Romani, nec ſatis norant. Aderat ſine mora querelam ferens legatio. hanc quoq; fœdius per obſcœnam, turpem'q; dictu contumeliā uiolant. et hinc bellū. ſed apparatus horribilis: cum tot ſimul populi pro Tarentinis conſurgerent: omnibus'q; uehementior Pyrrhus: qui ſemigræcam ex Lacedæmonijs conditoribus ci uitatem uindicaturus cū totis uiribus Epyri, Theſſaliæ, Macedoniæ, incognitis'q; in id tempus Elephantis mari, terra, uiris, equis, armis, addito inſuper ferarū terrore ueniebat. Apud Heracleam, & Campaniæ fluuium Lyrim Leuino conſule, prima pugna. quæ tam atrox fuit: ut Ferentanæ turmæ præfectus inuectus in Regem, turbauerit: coegerit'q; proiectis inſignibus prælio excedere. Factum erat: niſi elephanti conuerſo in ſpe ctacula bello procurriſſent. quorum tum magnitudine, tum deformitate, & nouo colore ſimul, ac odore cō ſternati equi cum incognitas ſibi belluas amplius quàm erant, ſuſpicarentur: fugam, ſtragem'q; late dederunt. In Apulia deinde apud Aſculum melius dimicatum eſt, Curio, Fabricio'q; conſulibus. quippe belluarum terror iam exoleuerat: & C. Minutius quartæ legionis haſtatus unius proboſcide abſciſa mori poſſe belluas oſten derat. Itaque & in ipſas pila congeſta ſunt: & in turres uibratæ faces tota hoſtium agmina ardentibus ruinis operuerunt. nec alius cladi finis fuit: quàm nox dirimeret: poſtremus'q; fugientium ipſe Rex à Satellitibus humero ſaucius in armis ſuis referretur. Luca-

niæ ſuprema pugna ſub Aruſinis, quos uocant, campis, ducibus iiſdem, qui ſuperius. ſed tunc tota uictoria exitum, quem datura uirtus fuit: caſus dedit. nam productis in primam aciem rurſus elephantis, unum ex his pullum adacti in caput teli grauis ictus auertit. qui cum per ſtragem ſuorum percurrens ſtridore quereretur: mater agnouit: & quaſi uindicatura exiliit: tum omnia circa quaſi hoſtilia graui timore permiſcuit. ac ſic cædem feræ, quæ primam uictoriam abſtulerant: ſecundam parem facerent: tertiã ſine controuerſia tradidere. Nec uero tantum armis, et in campis, ſed conſiliis quoq;, & domi, & intra urbem cum Rege Pyrrho dimicatum eſt. quippe poſt primam uictoriam Rex callidus intellecta uirtute romana, ſtatim deſperauit armis: ſeq; ad dolos contulit. nam interemptos cremauit: captiuoſq; indulgenter habuit: & ſine pretio reſtituit: miſſiſq; deinde legatis in urbem omni modo adnixus eſt: ut facto fœdere in amicitiam reciperetur. Sed bello & pace, foris & domi omnem in partem romana uirtus tum ſe probauit: nec alia magis, quàm Tarentina uictoria oſtendit populi romani fortitudinem, ſenatus ſapientiam, ducum magnanimitatem. qui nam illi fuerunt uiri: quos ab elephantis primo prælio obrutos accipimus? omnium uulnera in pectore: quidam hoſtibus ſuis immortui: omnium in manibus enſes: et relictæ in uultibus minæ: et in ipſa morte ira uiuebat. quod adeo Pyrrhus miratus eſt: ut diceret. O' q̃ facile erat orbis imperium occupare, aut mihi romanis militibus, aut me Rege Romanis. Quæ autem eorum, qui ſuperfuerunt: in reparando exercitu feſtina-

tio? cum Pyrrhus, uideo me, inquit, planè Herculis ſydere procreatum: cui quaſi ab angue lærneo tot cæſa hoſtium capita de ſanguine ſuo renaſcuntur. Qui autem ille ſenatus fuit? cum perorante Appio Cæco pulſi cum muneribus ſuis ab urbe legati interrogati à Rege ſuo, quid de hoſtium ſede ſentirent? urbem templum ſibi uiſum, ſenatum regum eſſe confiterentur. Quales porro ipſi duces, uel in caſtris? cum medicum uenale Regis Pyrrhi caput offerentem Curius remiſit? Fabricius oblatam ſibi à rege imperij partem repudiauit? uel in pace? cum Curius fictilia ſua ſamnitico præferret auro? Fabritius decem pondo argenti circa Ruffinum conſularem uirum quaſi luxuriam cenſoria grauitate damnaret? Quis ergo miretur his moribus, uirtute militum, uictorem populum Ro. fuiſſe? unóq; bello tarentino intra quadriennium maximam partem Italiæ, fortiſſimas gentes, opulentiſſimas urbes, uberrimaſq; regiones in deditionem redegiſſe? Aut quid adeo fidem ſuperet? quoniam, ſi principia belli cum exitu conferantur: uictor primo prælio Pyrrhus totam trementem Italiam, Campaniam, Lyrim, Fregellaſq; populatus, propè captam urbem à præneſtina arce proſpexit: & à uigeſimo lapide oculos trepidæ ciuitatis fumo, ac puluere impleuit. eodem poſtea bis exuto caſtris, bis ſaucio, & in Græciam ſuam trans mare, ac terras fugato, pax, & quies, & tanta adeo de opulẽtiſſimis tot gentibus ſpolia: ut uictoriam ſuam Roma nõ caperet. Nec enim ullus pulchrior in urbem, aut ſpecioſior trimuphus intrauit: cum ante hunc diem nihil, niſi pecora Volſcorum, greges Sabinorum, carpenta Gallorum, fracta Samnitum arma, uidiſ

ſet. Tum, autem ſi captiuos aſpiceres: Moloſſi, Theſſali, Macedones, Brutius, Apulus, atq; Lucanus: ſi pompas: aurum, purpura, ſigna, tabulæ, tarentinæq́; delitiæ. Sed nihil libentius populus Ro. aſpexit: q̃ illas q̃ timuerat, cum turribus ſuis belluas: quæ nó ſine ſenſu captiuitatis ſummiſſis ceruicibus uictores equos ſequebantur.

BELLVM PICENTE.

o Mnis mox Italia pacem habuit. quid enim poſt Tarentum auderet? niſi quod ultro p̃ſequi ſocios hoſtium placuit. Domiti hinc Picentes (ſed caput gentis Aſculum) Sempronio duce: qui tremente inter prælium campo Tellurem deam promiſſa æde placuit.

BELLVM SALENTINVM.

s Alentini Picentibus additi: caputq́; regionis Brunduſium inclyto portu, M. Attilio duce. Et in hoc certamine uictoriæ pretium templum ſibi paſtoria Pales ultro popoſcit.

BELLVM VOLSINENSE.

p Oſtremi Italicorum in fide manſere Volſini, opulentiſſimi Hetruſcorum, implorãtes opem aduerſus ſeruos quondam ſuos: qui libertatem à dominis datam in ipſos erexerant: translatáq; in ſe rep. dominabantur. Sed hi

quoq; duce Fabio Gurgite pœnas dederunt.

DE SEDITIONIBVS.

h Acc eſt ſecunda ætas populi romani, & quaſi adoleſcentia: qua maxime uiruit: & quodam flore uirtutis exarſit: ac fremuit. Itaq; quædam adhuc ex paſtoribus feritas, quiddam ſpirabat indomitum. Inde eſt: quod exercitus Poſthumium imperatorem inficiantem quas promiſerat prædas, facta in caſtris ſeditione lapidauit: quod ſub Ap. Claudio noluit uincere hoſtem: cum poſſet: quod duce Volerone detrectantibus pleriſq; militiam, fracti conſulis faſces: inde quod clariſſimos principes, quod aduerſarentur uoluntati ſuæ: exultatione mulctauit: ut Coriolanum colere agros iubentem: (nec minus ille ferociter iniuriã armis uindicaſſet: niſi quod iam inferentem ſigna filium mater Veturia lachrymis ſuis exarmauit) ut ipſum Camillum: quod iniq; inter plebem, & exercitum diuiſiſſe ueientem prædam uideretur. Sed hic melior obſeſſis in capta urbe conſuluit: et mox ſupplices de hoſte gallo uindicauit. Cũ ſenatu quoq; de æquo bonoq; certatum eſt: adeo, ut relictis ſedibus ſolitudinem, et interritũ patriæ ſuæ minarẽtur.

PRIMA VRBIS DISCORDIA.

p Rima diſcordia ob impotentiam fœneratorum. quibus interga quoq; ſeruiliter ſæuientibus in ſacrum montem plebs armata ſeceſſit: ægreq;, nec niſi tribunos impetraſ

ſet: Menenij Agrippæ facundi, & ſapientis uiri autho ritate reuocata eſt. Extat orationis antiquæ ſatis efficax ad concordiam fabula: qua diſſenſiſſe inter ſe quondam humanos artus dicitur: quod omnibus opere fungentibus ſolus uenter immunis ageret: deinde moribundos à ſeiũ ctione rediſſe in gratiã: quando ſenſiſſent: quod eius ope ra redactis in ſanguinem cibis irrigarentur.

SECVNDA VRBIS DISCORDIA.

s Ecundam in urbe decemuiratus libido con flauit. Allatas à Græcia leges decẽ prin cipes lecti iubente populo conſcripſerant: ordinatáq; erat in XII tabulis tota iuſti tia. Cum tamen traditos faſces regio quodam furore re tinebant: ante cæteros Ap. Claudius eò inſolẽtiæ elatus eſt: ut ingenuam uirginẽ ſtupro deſtinaret, oblitus et Lu cretiæ, et regum, & iuris, quod ipſe compoſuerat. Itaq; cum oppreſſam iudicio filiam trahi in ſeruitutem uide ret Virginius pater: nihil cunctatus, in medio foro manu ſua interfecit: admotísq; ſignis commilitonum totam eã dominationem obſeſſam armis in carcerem, & cathe- nas ab Auentino monte detraxit.

TERTIA VRBIS DISCORDIA.

t Ertiam ſeditionem excitauit matrimonio rum indignitas: ut plebei cũ patricijs iun gerentur. qui tumultus in monte Ianiculo duce C. Canuleio Tribuno plebis exarſit.

QVARTA VRBIS DISCORDIA.

q Vartam honorum cupido: ut plebei quoq; magiſtratus crearentur. Fabius Ambuſtus duarum pater, alteram A. Sulpitio patricij ſanguinis dederat: alteram plebeio, Stoloni. Hæc quodam tempore, quod lictoriæ uirgæ ſonum ignotum penatibus ſuis expauerat: à ſorore ſatis inſolenter irriſa, iniuriam non tulit. Itaq; nactus tribunatum honorum & magiſtratuum conſortium, quamuis inuito ſenatui extorſit. Verum in his ipſis ſeditionibus principem populum non immerito ſuſpexeris. ſiquidem nunc libertatem, nunc pudicitiam, tum natalium dignitatem, honorum decora, & inſignia uindicauit. Inter omnia hæc, nullius acrior cuſtos, quàm libertatis fuit: nullaq; in pretium eius potuit largitione corrumpi: cum ut in magno, & in dies maiore populo iterim pernicioſi ciues exiſterent. Sp. Caſſium agraria lege, Melium largitione ſuſpectum regiæ dominationis præſenti morte mulctauit. Ac de Caſſio quidem ſupplicium pater ipſius ſumpſit. Hunc Quintij dictatoris imperio in medio foro magiſter equitum Seruilius Hala confodit. Manlium uero capitolij uindicem, quia pleroſq; debitorum liberauerat: altius ſe, & inciuilius efferentem, ab illa, quam defenderat, arce deiecit. Talis domi ac foris, talis pace belloq; populus Ro. fretum illud adoleſcentiæ, ideſt ſecundam imperij ætatem habuit: in qua totam inter Alpes, fretumq; Italiam armis ſubegit.

Liber ſecundus.

d OMITA, *ſubactaq́; Italia populus* Ro. *propè quingenteſimum annum agens, cum bona fide adoleuiſſet: ſi quod eſt robur, ſi qua iuuentus: tum ille uere robuſtus, & iuuenis, & par orbi terrarum eſſe cœpit. Itaq; (mirum, & incredibile dictu) qui prope quingentis annis domi luctatus eſt: adeo difficile fuerat dare Italiæ caput: his ducentis annis, qui ſequuntur: Africam, Europam, Aſiam, totum deniq; orbem terrarum bellis uictorijsq́; peragrauit.*

PRIMVM BELLVM PVNICVM.

i Gitur *uictor Italiæ populus* Ro. *cum à terra fretum uſq; ueniſſet: more ignis, qui obuias populatus incendio ſyluas, interueniente flumine abrumpitur: pauliſper ſubſtitit. mox cum uideret opulentiſſimam in proximo prædam quodammodo Italiæ ſuæ abſciſſam, & quaſi reuulſam, adeo cupiditate eius exarſit: ut quatenus nec ob mare iungi, nec pontibus poſſet: armis, belloq́; iungenda, & ad continentem ſuam reuocanda bello uideretur. Sed ecce, ultro ipſis uiam pandentibus fatis; nec occaſio defuit: cum de Pœnorum impotentia fœderata Siciliæ ciuitas Meſſana quereretur. affectabat enim ut Romanus, ita Pœnus Siciliam: & eodem tempore paribus uterq; uotis, ac uiribus imperium orbis agi-*

tabat. Igitur ſpecie quidem ſocios iuuandi, re autem uera ſollicitante præda, quanquam territaret nouitas rei: tanta tamen in uirtute fiducia eſt: ille rudis, ille paſtorius populus, uereq; terreſtris, oſtendit nihil intereſſe uirtutis: equis, an nauibus, terra, an mari dimicaretur. Populus romanus Ap. Claudio conſule primum fretum ingreſſus eſt, fabuloſis infame monſtris, æſtuq́; uiolentum. ſed adeo non eſt exterritus: ut ipſam illam ruentis æſtus uiolentiam pro munere amplectaretur: ſtatimq;, ac ſine mora Hyeronē ſyracuſanū Regē tanta celeritate uicit: ut ipſe ille ſe prius uictū, q̃ hoſtem uideret, fateretur. Duillio, Cornelioq́; cōſulibus, ēt marì congredi auſus eſt. Tum quidem ipſa uelocitas claſſis comparatæ uictoriæ auſpicium fuit. intra enim ſexageſimum diem, quam cæſa ſylua fuerat: CLX nauium claſſis in anchoris ſtetit: ut non arte factæ, ſed quodam munere deorum conuerſæ in naues, atq; mutatæ arbores uiderētur. Prælij uero forma mirabilis: cum illas celeres, uolucresq́; hoſtium naues hæ graues, tardæq́; comprehenderent. Longe illis nauticæ artes: detorquere remos: & ludificari fuga roſtra. iniectæ enim ferreæ manus machinæq́; aliæ, ante certamen multum ab hoſte deriſæ. coactiq́; hoſtes quaſi in ſolido decernere. Victor ergo apud Liparas merſa, aut fugata hoſtium claſſe, primum illum maritimum egit triumphum. Cuius quod gaudiū fuit? cum Duillius imperator non contentus unius diei triumpho, per uitam omnem, ubi à cœna rediret: prælucere funalia, & præcinere ſibi tibias iuſſit: quaſi quotidie triumpharet. Pro tanta uictoria leue huius prælij damnum fuit. Alter conſulum intercœptus. Cn. Cor

nelius Aſina. qui ſimulato colloquio euocatus, atq; oppreſſus, fuit perfidiæ punicæ documentum. Calatino dictatore fere omnia præſidia Pœnorum Agrigento, Drepano, Panormo, Eryce, Lilybæo detraxit. Trepidatum eſt ſemel circa Camarinenſium ſaltum. ſed eximia uirtute Calpurnij Flāmæ tribuni militum euaſimus: qui lecta trecentorum manu, infeſtum & inſeſſum ab hoſtibus tumulum occupauit: adeoq; moratus hoſtes: dum exercitus omnis euaderet. ac ſic pulcherrimo exitu Termopylarum & Leonidæ famam adæquauit: hoc illuſtrior noſter: quod expeditioni tantæ ſuperfuit: et ſuperuixit: licet nihil ſcripſerit ſanguine. Lutio Cornelio Scipione, cum iam Sicilia ſuburbana eſſet populi Ro. prouincia: ſerpente latius bello, in Sardiniā, annexāq; ei Corſicam tranſit. ubi & hic Caralæ urbis excidio incolas terruit: adeoq; omneis terra mariq; Pœnos expugnauit: ut iam uictoriæ nihil, niſi Africa ipſa reſtaret. M. Attilio Regulo duce iā in Africam nauigabat bellū. nec deerāt: qui ipſo punici maris nomine, ac terrore deficerent: augente inſuper Tribuno Mānio metu. in quē, niſi paruiſſet: ſecuri diſtricta imperator, metu mortis nauigandi fecit audaciam. mox deuentis, remiſq; properatum eſt. tantuſq; terror hoſtici aduentus Pœnis fuit: ut apertis pene portis Carthago caperetur. Belli prima premium fuit ciuitas Clypea. prima enim à Punico litore quaſi arx, & ſpecula procurrit. Et hæc, & trecenta amplius caſtella uaſtata ſunt. Nec cum hominibus modo, ſed cū monſtris quoq; dimicatum eſt: cū quaſi in uindictā Africæ nata miræ magnitudinis ſerpēs poſita apud Bragadā caſtra uexaret. Sed omniū uictor Regu

lus cum terrorem nominis ſui late circuntuliſſet: cūq; magnam uim iuuentutis, ducesq; ipſos aut cecidiſſet: aut haberet in uinculis: claſſemq; ingenti præda onuſtam, & triumpho grauem in urbem præmiſiſſet: etiā ipſam caput belli Charthaginē urgebat obſidione: ipſisq; portis inhærebat. Hic paulum circumacta fortuna eſt: tanta: ut plura eſſent romanæ urbis inſignia: cuius ferè magnitudo calamitatibus approbatur. nam conuerſis ad externa auxilia hoſtibus, cum Xantippum illis ducem Lacedæmon miſiſſet: à uiro militiæ peritiſſimo uincimur, cum fœda clade, Romanisq; uſu incognita. Viuus in manus hoſtium uenit fortiſſimus imperator. ſed ille quidem par tantæ calamitati fuit. nam nec punico carcere fractus eſt: nec legatione ſuſcepta. quippe diuerſa, quàm hoſtes mandauerant, cenſuit: ne pax fieret: ne commutatio captiuorum reciperetur. Sed nec illo uoluntario ad hoſtes ſuos reditu, nec ultimo ſiue carceris, ſeu crucis ſupplicio deformata maieſtas. immo his omnibus admirabilior quid aliud, quàm uictus de uictoribus, quia Carthago non ceſſerat: de fortuna triumphauit. Populus autem Ro. multo acrior, infeſtiorq; pro ultione reguli, quàm pro uictoria fuit. Metello igitur conſule, ſpirantibus altius Pœnis, & reuerſo in Siciliā bello, apud Panormum ſic hoſtes cecìdit: ut ne amplius ea in iſula cōcitaretur. Argumentum ingentis uictoriæ, centum circiter elephantorum captiuitas. Sic quoq; magnas prædas egit: ut gregem illū non bello, ſed uenatione cepiſſet. Claudius Pulcher conſul non ab hoſtibus, ſed à dijs ipſis ſuperatus eſt: quorū auſpicia contempſerat: ibi ſtatim claſſe demerſa: ubi ille præcipitari pullos iuſſerat:

quod pugnare ab his uetaretur. M. Fabio Buteone conſule, claſſem hoſtium in africo mari apud Egimurū iam in Italiam ultro nauigantem cecidit. Quantusq; tum triumphus tempeſtate intercidit: cum opulenta præda claſſis aduerſis acta uentis naufragio ſuo Africam, & Syrtes, omnium imperia gentium, inſularum litora impleuit. Magna clades: ſed non ſine aliqua principis populi dignitate: interceptam tempeſtate uictoriam, et triūphum periiſſe naufragio. Et tamen, cum punicæ prædę omnibus promontorijs, inſulisq; fluitarent: populus Ro. triumphauit. Luctatio Catulo conſule tandem bello finis impoſitus apud inſulas: quibus nomen Aegateis. Nec maior aliâs in mari pugna. aderat quippe commeatibus, exercitu, propugnaculis, armis grauis hoſtium claſſis: et in eis quaſi tota Carthago. quod ipſum exitio fuit. Romana claſſis prompta, leuis, expedita, & quodam genere Caſtrenſis, ad ſimulitudinem pugnæ equeſtris, ſic remis quaſi habenis agebatur: & in hos, uel illos ictus mobilia roſtra ſpeciem uiuentium præferebant. Itaq; momento temporis laceratæ hoſtium rates totum inter Siciliam, Sardiniamq; pelagus naufragio ſuo operuerūt. Tanta deniq; fuit illa uictoria, ut de excidēdis hoſtiū mœnibus nō quæreretur. Superuacuū uiſum eſt in arcem, muroſq; ſæuire: cum iam in mari eſſet deleta Carthago.

BELLVM LIGVSTICVM.

p Eracto punico bello, ſecuta eſt breuis ſanè, & quaſi ad recipiendum ſpiritum requies, argumentumq; pacis, & bona fide ceſſantium armorum. Tunc primum poſt Numā

clauſa fuit porta Iani: ſed ſtatim, ac ſine mora patuit. quippe iam ligures, iam Inſubres Galli, necnon et Illyrici laceſſebant. Sic de ſub Alpibus, ideſt de ſub ipſis Italiæ faucibus gentes, deo quodam aſſidue incitante, ne rubiginem, ac ſitum arma ſentirent: deniq; ita quotidiani, & quaſi domeſtici hoſtes Tyrocinia militum imbuebant. Nec aliter utraq; gente, quaſi cote quadam populus Ro. ferrum ſuæ uirtutis acuebat. Ligures imis Alpium iugis adhærentes inter Varum, & Macram flumen, implicitos dumis ſylueſtribus maior labor erat inuenire, quàm uincere. Tutum locis, & fuga durum atq; uelox genus ex occaſione magis latrocinia, quàm bella faciebat. Itaq; cum diu, multumq; eluderent ſaltu, uijs, latebris Deceates, Oxybij, Euburiates: incognitas tandẽ Fuluius latebras eorum ignibus ſepſit: Bebius in plana deduxit: Poſthumius ita exarmauit: ut uix reliquerit ferrum: quo terra coleretur.

BELLVM GALLICVM.

g Allis Inſubribus, & his accolis Alpium, animi ferarum, corpora pluſquam humana erant. ſed experimento deprehenſum eſt: quippe ſicut primus impetus eis maior, quàm uirorum eſt: ita ſequens minor, quàm fœminarũ. Alpina corpora humenti cœlo educata habent quiddam ſimile niuibus ſuis. cum mox caluere pugna: ſtatim in ſudorem eunt: & leui motu, quaſi ſole laxantur. Hi ſæpe & aliàs, ſed Britomaro duce non prius ſoluturos ſe baltea, quàm Capitolium aſcendiſſent, iurauerant. Factum

autem eſt. uictos enim eos Aemilius in Capitolio diſcin xit. Mox Ariobiſtone duce, uouêre de noſtrorum militũ præda Marti ſuo torquem. Intercœpit Iuppiter uotum. nam de torquibus eorum aureum trophæum Ioui Flã minius erexit. Rex quoq; eorum Viridomarus Romana arma Vulcano promiſerat. aliorſum uota ceciderũt. occiſo enim eo Marcellus tertius poſt Romulum patrem Feretrio Ioui ſpolia ſuſpendit.

BELLVM ILLYRICVM.

Illyrij, ſeu Liburni ſub extremis Alpium radicibus agunt inter Arſiam, Tytiumq; flumen, longiſſime per totum Adriatici maris littus effuſi. Hi regnante Teuca muliere populationibus non contenti, licentiæ ſcelus addiderunt. Legatos quippe noſtros ob ea, quæ deliquerant, iure agentes, nec gladio quidem, ſed ut uictimas ſecuri percutiunt: præfectos nauium igne comburunt: idq; quo indignius foret, mulier imperabat. Itaq; Cn. Fuluio Centimalo duce late domantur. Strictæ in principũ colla ſecures legatorum manibus litauere.

BELLVM PVNICVM SECVNDVM.

Poſt primum punicum bellum uix quadriennis requies. Ecce alterum bellum, minus quidem ſpatio, (nec enim amplius q̃ XVIII annos habet) ſed adeo cladium atrocitate terribilius: ut ſi quis conferat damna utri-

uſq; populi: ſimlior uicto ſit populus: qui uicit. At pu- debat nobilem populum: ablatum mare: raptæ inſulæ: dare tributa, quæ iubere conſueuerat. Hinc in ultionem puer Annibal ad aram patri iurauerat: nec remoraba tur. Igitur in cauſa belli Saguntus delata eſt Hiſpaniæ ciuitas opulenta: fideíq; erga Romanos magnũ quidem, ſed triſte monumentum. quam in libertate communi fœdere excœptam Annibal cauſas nouorum motuum quærens, & ſuis, & ſuorum manibus euertit: ut Italiã ſibi rupto fœdere aperiret. Summa fœderum Romanis religio eſt. Itaq; ad auditum ſociæ ciuitatis obſidium, me mores icti cum Pœnus quoq; fœderis, non ſtatim ad arma procurrunt: dum prius more legitimo queri malunt. Interim iam nouem menſibus feſſi fame, machinis, fer ro, & igne, uerſa deniq; in rabiem fide, immanem in foro excitant rogum. tum deſuper ſe, ſuoſq; cum omni- bus opibus ſuis ferro, et igne corrumpunt. Huius tantæ cladis author Annibal poſcitur. Terguerſantibus Pœ- nis, dux legationis Romanorum, Quæ, inquit, mora eſt? Fabius. in hoc ego ſinu bellum affero, et pacem: utrũ eligitis, utrum placet, ſummite. Succlamantibus bel- lum, bellum igitur, inquit, accipite. et excuſſo in media curia togæ gremio non ſine horrore, quaſi planè ſinu bellum ferret., effudit. Simlis exitus belli initio fuit. nam, quaſi has inferias ſibi Saguntinorum ultimæ di- ræ in illo publico parricidio, incendioq́; mandaſſent: ita manibus eorum uaſtatione Italiæ, captiuitate Africæ, ducum, & regum, qui id geſſere bellum: exitio paren- tatum eſt. Igitur ubi ſemel ſe in Hiſpaniã mouit illa grauis, & luctuoſa punici belli uis, atq; tempeſtas: de-

ſtinatumq́; Romanis iam diu fulmen ſaguntino igne cō flauit: ſtatim quodam impetu rapta medias perfregit Alpes: & in Italiam ab illis fabuloſæ altitudinis niuibus uelut cœlo miſſa deſcendit: ac primi quidem impetus turbo inter Padum, & Ticinum ualido ſtatim fragore detonuit. Tunc Scipione duce fuſus exercitus. ſaucius & ipſe ueniſſet in hoſtiū manus imperator: niſi protectum patrem prætextatus admodum filius ab ipſa morte rapuiſſet. Et hic erit Scipio: qui in exitium Africæ creſcit: nomen ex malis eius habiturus. Ticino Trebia ſuccedit. Hic ſecunda belli punici procella deſæuit, Sempronio conſule. tunc callidiſſimi hoſtes frigidum, & niualem nacti diem, cum ſe ignibus prius, oleoq́; fouiſſent: (horribile dictu) homines à meridie, & ſole uenientes noſtra nos hyeme uicerunt. Traſimenus lacus tertium fulmen Annibalis, imperatore Flaminio. Ibi quoq; ars noua punicæ fraudis. q̃ppe nebula lacus, paluſtribusq́; uirgultis tectus equitum terga ſubito pugnantium inuaſit. Nec de dijs poſſumus queri. imminentem temerario duci cladem prædixerant inſidentia ſignis agmina, & aquilæ prodire nolentes, & commiſſam aciem ſecutus ingens terræ tremor: niſi illum horrorem ſoli, equitum uirorumq́; diſcurſus, & mota uehementius arma fecerunt. Quartum, ideſt penè ultimum uulnus imperij Cannæ, ignobilis Apuliæ uicus: ſed magnitudine cladis emerſit: & XL millium cæde parta nobilitas. Ibi in exitium infelicis exercitus dux, terra, cœlum, dies, tota deniq; rerum natura conſenſit. Siquidem non contentus ſimulatis transfugis Annibal, qui mox terga pugnantium ceciderant: inſuper callidiſſimus impera-

tor patentibus in campis obſeruato loci ingenio, quod & ſol ibi acerrimus, & plurimus puluis, & eurus ab oriẽte ſemper quaſi ad conſtitum: ita inſtruxit aciem: ut Romanis aduerſus hæc omnia aduerſis, quaſi ſecum cœlum tenens, uento, puluere, ſole pugnaret. Itaq; duo maximĩ exercitus cæſi ad hoſtium ſacietatem: donec Annibal dĩceret militi ſuo parce ferro. Ducum effugit alter: Alter occiſus eſt: dubium uter maiore animo. Paulum puduit: Varro non deſperauit. Documenta cladis, cruentus aliq̃diu Aufidus, pons de cadaueribus iuſſu ducis factus in torrente Gelo, modij duo annulorum Carthaginem miſſi, dignitasq́; equeſtris taxata menſura. Dubium deinde non erat: quin ultimum illum diem habitura fuerit Roma: quintumq́; intra diẽ epulari Annibal in Capitolio potuerit: ſi (quod pœnũ illũ dixiſſe Maharbalẽ Bomilcaris ferunt) Annibal quemadmodũ ſciret uincere, ſic uti uictoria ſciſſet. Sed tum quidẽ illũ (ut dici uulgo ſolet) aut fatũ urbis imperaturæ, aut ipſius mens mala, et auerſi à Carthagine dij in diuerſum abſtulerunt: cũ uictoria poſſet uti: frui maluit: relictaq́; Roma, Campaniã, Tarẽtumq́; peragrare. ubi mox et ipſe, et exercitus ardor elanguit: adeo, ut uerũ dictum ſit: Capuã Annibali Cannas fuiſſe. ſiquidem inuictum Alpibus, indomitum armis campani, (quis crederet?) ſole, & tepentes fontibus Baiæ ſubegerunt. Permiſſum eſt interim reſpirare Romanis, & quaſi ab inferis emergere. Arma non erant: detracta ſunt templis. deerat iuuentus: in ſacramentum militiæ liberata ſeruitia. egebant ærario: opes ſuas libens ſenatus in medium protulit: nec præter quod in bullis, ſingulisq́; annulis erat, quicquam ſi

bi auri reliquere. eques ſecutus exemplum, imitatæq; equitem tribus. deniq; uix ſufficere tabulæ, uix ſcribarum manus, Leuino, Marcelloq; conſulibus: cum priuatæ opes in publicum deferentur. Quid autem in eligendis magiſtratibus, quæ centuriarum ſapientia? cum iuniores à ſenioribus conſilium de creandis conſulibus petiuere. quippe aduerſus hoſtem toties uictorem, tam callidum non uirtute tantum, ſed ſuis etiam pugnare conſilijs oportebat. Prima redeuntis, & (ut ſic dixerim) reuiuiſcentis imperij ſpes Fabius fuit: qui nouam de Annibale uictoriã commentus eſt: non uelle pugnare. Hinc illi cognomen nouum, & reipub. ſalutare, Cunctator: hinc illud ex populo: ut imperij ſcutum uocaretur. Itaq; per Samnium totum, per Falernos, Gauranosq; ſaltus ſic macerauit Annibalem: ut qui frangi uirtute non poterat: mora comminueretur. Inde Claudio Marcello duce etiam congredi auſus eſt. Cominus uenit: et pepulit ex Campania ſua: et ab obſidione Nolæ urbis excluſit. Auſus & Sempronio Gracco duce per Lucaniam ſequi, & premere terga cedentis: quamuis tunc (o pudor) manu ſeruili pugnaret. nam hucuſq; tot mala compulerãt ſed libertate donati fecerant de ſeruitute Romanos. O horribilem in tot aduerſis fiduciam: o ſingularem animum, ac ſpiritum populi romani. tam arctis, afflictisq; rebus cum de Italia ſua dubitaret: auſus eſt tamen in diuerſa reſpicere. cumq; hoſtes in iugulo per Cãpaniã, Apuliamq; uolitarẽt: mediãq; de Italia Africã facerẽt: eodẽ tẽpore et hũc ſuſtinebat: et in Siciliã, Sardiniã, Hiſpaniã diuiſa ꝑ terrarũ orbẽ arma mittebat. Sicilia mandata Marcello: nec diu reſtitit. tota enim In-

ſula in una urbe ſuperata eſt. Grāde illud, et ante id tē pus inuictum caput, Syracuſæ, q̄uis Archimedis ingenio defenderentur: aliquando ceſſerūt: longe illi triplex murus, totidemq́; arces, portus ille marmoreus, & fons celebratus Arethuſæ: niſi quod hactenus profuere: ut pulchritudini uictæ urbis parceretur. Sardiniam Graccus arripuit. nihil illi gentiū feritas, inſanorumq́; (nam ſic uocantur) immanitas montium profuere. Sæuitum in urbes, urbemq́; urbium Caralim: ut gens contumax, uilisq́; mortis ſaltem deſyderio patrij ſoli domaretur.

In Hiſpaniam uero miſſi Cn. & P. Scipiones penè totam Pœnis eripuerant prouinciam. ſed inſidijs Punicæ fraudis oppreſſi rurſus amiſerant. Magnis quidem illi prælijs cum punicas opes cecidiſſent: ſed Punicæ inſidiæ alterum ferro caſtrametantem, alterum cum euaſiſſet in turrim: cinctum facibus oppreſſerunt. Igitur in ultionem patris, ac patrui miſſus cum exercitu Scipio, cui iam grande de Africa nomen fata decreuerant: bellatricem illam uiris, armisq́; nobilem Hiſpaniam, illam ſeminarium hoſtilis exercitus, illam Annibalis eruditricem (incredibile dictu) totam à pyrenæis montibus in Herculis columnas, & Oceanum recuperauit: neſcias citius: an facilius. quam uelociter: quatuor anni fatentur. quam facile: uel una ciuitas probat. eodem quippe quo obſeſſa eſt die, capta eſt: omenq; africanæ uictoriæ fuit: quod tam facile capta eſt Hiſpanica Carthago. Certum eſt tamen ad profligandam prouinciam maxime profeciſſe ſingularem ducis ſanctitatem. quippe qui captiuos pueros, puellasq́; præcipuæ pulchritudinis barbaris reſtituerit: ne in conſpectum quidē ſuum paſſus ad-

duci: ne quid de uirginitatis integritate delibaſſe ſaltem uel oculis uideretur. Hæc inter diuerſa terrarum populus romanus. nec ideo tamen Italiæ uiſceribus inhærentem ſummouere poterat Annibalem carthaginēſem. Pleraq; ad hoſtem defecerant: & dux acerrimus contra Romanos italicis quoq; uiribus utebatur. iam tamen eum pleriſq; oppidis, & regionibus excuſſeramus. Tarentinus ad nos redierat. Iam & Capua, ſedes & domus & patria altera Annibalis tenebatur. cuius amiſſio tantum pœno duci dolorem dedit: ut inde totis uiribus in Romam conuerteretur. O' populum dignum orbis imperio, dignum omnium fauore, & admiratione hominum, ac deorum. Compulſus ad ultimos metus ab incœpto non deſtitit: & de ſua urbe ſolicitus, Capuam tamen non omiſit: ſed parte exercitus ſub Appio conſule relicta, parte Flaccum in urbem ſecuta, abſens ſimul, præſensq; pugnabat. Quid ergo miramur? mouenti caſtra à tertio lapide Annibali iterum ipſos deos, deos inquam (nec fateri pudebit) reſtitiſſe. tanta enim ad ſingulos illius motus uis imbrium effuſa eſt: tanta uentorum uiolentia coorta: ut diuinitus hoſtem ſummoueri, non à cœlo, ſed ab urbis ipſius mœnibus, & Capitolio uideretur. Itaque fugit: & ceſſit: & in ultimum ſe Italiæ recipit ſinum: cum urbem tantū non adortam reliquiſſet. Parua res dictu: ſed ad magnanimitatem populi Ro. probandam ſatis efficax: quod illis ipſis, quibus obſidebatur, diebus ager, quē Annibal caſtris inſiderat: uenalis Romæ fuit: haſtæq; ſubiectus inuenit emptorē. Voluit Annibal contra fiduciam imitari: ſubiecitq; argētarias urbis tabernas: nec emptor

inuentus eſt. ut ſcias etiam præſagia fatis fuiſſe. Nihil actum erat tanta uirtute ſine tanto fauore deorũ. Siquidem ab Hiſpania Haſdrubal frater Annibalis cum exercitu nouo, nouis uiribus, noua belli mole ueniebat. Actum erat proculdubio: ſi uir ille ſe cum fratre iunxiſſet. ſed hunc quoq; caſtrametantem Claudius Nero cum Liuio Salinatore debellat. Nero in ultimo Italiæ angulo ſummouebat Annibalem: Liuius in diuerſiſſimam partem, & in ipſas naſcentis Italiæ fauces ſigna conuerterat: tanto, qua omnis longiſſima Italia ſolo interiacet. Quo conſilio, qua celeritate conſules caſtra coniunxerint: inopinanterq; hoſtem collatis ſignis compreſſerint: neq; id fieri Annibal ſenſerit: difficile dictu eſt. Certe Annibal re cognita, cum proiectum fratris caput ad ſua caſtra uidiſſet: agnoſco, inquit, infelicitatem Carthaginis. Hæc fuit illius uiri non ſine præſagio quodam fati imminentis prima confeſſio. Iam certum erat Annibalem etiã ipſius confeſſione poſſe uinci: ſed tot rerum proſperarum fiducia plenus populus romanus magni extimabat aſperrimum hoſtem in ſua Africa debellare. Duce igitur Scipione in ipſam Africam tota mole conuerſus imitari cœpit Annibalem: & Italiæ ſuæ clades in Africa uindicare. Quas ille (dij boni) Haſdrubalis copias? quos Syphacis exercitus fudit? quæ, quantaq; utriuſq; caſtra facibus illatis una nocte deleuit? Deniq; iam non à tertio lapide, ſed ipſas Carthaginis portas obſidione quatiebat. ſic factum eſt: ut inhærentem, atq; incubantem Italiæ extorqueret Annibalem. Non fuit maior ſub imperio romano dies: quàm ille: cum duo omnium & antea, & poſtea ducum maximi, ille Ita-

liæ hic Hiſpaniæ uictor collatis cominus ſignis direxere aciem. Sed & colloquium fuit inter ipſos de legibus pacis. Steterunt diu mutua admiratione defixi. ubi de pace non conuenit: ſigna cecinere. Conſtat utriuſq; confeſſione: nec melius inſtrui aciem, nec arcius potuiſſe pugnari. Hoc Scipio de Annibalis, Annibal de Scipionis exercitu prædicauerunt. Sed tamen Annibal ceſſit. præmiumq; uictoriæ Africa fuit, & ſecutus Africam ſtatim terrarum orbis.

BELLVM MACEDONICVM PRIMVM.

Poſt Carthaginem uinci neminem puduit. Secutæ ſunt ſtatim Africam gentes, Macedonia, Græcia, Syria, cæteráq; omnia quodam quaſi æſtu, & torrente fortunæ. Sic primi omnium Macedones, affectator quondam imperij populus. Itaq; quamuis tunc Philippus regno præſideret: Romani tamen dimicare ſibi cum rege Alexandro uidebantur. Macedonicum bellum nomine amplius, quàm ſpectatione gentis fuit. Cauſa cœpit à fœdere Philippi: quo Rex iampridem dominantem in Italia Annibalem ſibi ſociauerat. poſtea creuit, implorantibus Athenis auxilium contra Regis iniurias. Cũ ille ultra ius uictoriæ in tẽpla, aras, et ſepulchra ipſa ſæuiret: Placuit ſenatui opẽ tantis ferre ſupplicibus. qppe iã gẽtiũ Reges, duces, populi, natiões præſidia ſibi ab hac urbe petebãt. Primũ igitur Leuino cóſule populus romanus Ioniũ mare ĩgreſſus tota Græciæ litora ueluti triũphãti claſſe peragrauit. ſpolia quippe Siciliæ, Hiſpaniæ, Sardiniæ,

Africæ præferebat. Et manifeſtam uictoriam nata in prætoria puppe laurus pollicebatur. Aderat ſponte in auxilium Attalus Rex Pergamenorum: aderant Rhodij, nauticus populus. quibus à mari conſul, à terris omnia equis, uiris'q; quatiebat. Bis uictus Macedonum Rex: bis fugatus: bis exutus caſtris, cum tamen nihil terribilius Macedonibus fuit ipſo uulnerum aſpectu: quæ nõ ſpiculis, neq; ſagittis, nec ullo græculo ferro, ſed ingentibus pilis, nec minoribus adacta gladijs ultra mortem patebant. Enimuero Flaminio duce populus Ro. inuios antea Chaonum montes, Pindum'q; amnem per abrupta uadentem, & ipſa Macedoniæ clauſtra penetrauimus. Introiſſe, uictoria fuit. nam poſtea nunquam auſus congredi Rex, ad tumulos, quos Cynocephalos uocãt: uno, ac ne hoc qdem iuſto prælio opprimitur. Et illi quidem conſul pacem dedit: regnum'q; conceſſit. mox, nequid eſſet hoſtile: Thebas, & Euboeam, & graſſantem ſub Nabide ſuo Lacedæmona compeſcuit. Græciæ uero ueterem ſtatum reddidit: ut legibus uiueret ſuis: & auita libertate frueretur. Quæ gaudia? quæ uociferationes fuerunt? cum hoc forte Nemeæ in Theatro quinquennalibus ludis à præcone caneretur? quo certauere plauſu? quid Florum in conſulẽ profuderunt? Et iterũ, iterum'q; præconẽ repetere illam uocem iubebant: qua libertas Achaiæ pronunciabatur. nec aliter illa conſulari ſentẽtia, quàm modulatiſſimo aliquo tibiarum, aut fidium cantu fruebantur.

Bellum Syriacum

BELLVM SYRIACVM REGIS ANTIOCHI.

*M*acedoniam ſtatim, & Regem Philippum Antiochus excœpit: quodam caſu, quaſi industria ſic gubernante fortuna: ut quemadmodum ab Africa in Europam, ſic ab Europa in Aſiam, ultro ſe ſuggerentibus cauſis, imperiũ procederet: & cum terrarum orbis ſitu ipſe ordo uictoriarum nauigaret. Non aliud formidoloſius fama bellum fuit: quippe cum Perſas, et orientem Xerxem, atq; Darium cogitarent: quando perfoſſi inuij montes, quando uelis opertum mare nunciaretur. ut hos cœleſtes minæ territabant: cum humore continuo Cumanus Apollo ſudaret. ſed hic fauentis Aſiæ ſuæ numinis timor erat. Sed nec ſanè uiris, opibus, armisq; quicquam copioſius Syria. ſed in manibus tam ignaui Regis inciderat: ut nihil fuerit in Antiocho ſpecioſius: quàm quod à Romanis uictus eſt. Impulere Regem in id bellum, illinc Thoas Aetholiæ princeps, inhonoratam apud Romanos querens aduerſus Macedones militiæ ſuæ ſocietatem, hinc Annibal: qui in Africa uictus, profugus, et pacis impatiens hoſtem populo romano toto orbe querebat. Et quod illud fuiſſet periculum: ſi ſe conſilijs eius Rex tradidiſſet? ſi Aſiæ uiribus uſus fuiſſet miſer Annibal? Sed Rex ſuis opibus, & nomine regio fretus, ſatis habuit bellum mouere. Europa iam dubio procul iure ad Romanos pertinebat. Hinc Lyſimachiam urbem in litore Tracio poſitam à maioribus ſuis Antiochus hæreditario iure repetebat. Hoc uelut ſydere Aſiatici

belli mota tempeſtas, et maximus Regum conuentus for titer indicto bello, cum ingenti ſtrepitu, ac tumultu mouiſſet ex Aſia: occupatis ſtatim inſulis, Græcisq́; litoribus, ocia, & luxus tanquam uictor agitabat. Euboeam inſulam continenti adhærentem tenui freto reciprocantibus aquis Euripus abſcidit. Hic ille poſitis aureis, ſericisq́; tentorijs ſub ipſo freti murmure, cum inter fluenta tibijs, fidibusq́; concineret: collatis undiq; quamuis ꝑ hyemem roſis. ne cum aliquo ducum genere agere uideretur: uirginum, puerorumq́; delectus habebat. Talem ergo Regem iam ſua luxuria debellatum populus Ro. Attilio Glabrione conſule, in inſula aggreſſus, ipſo ſtatim aduentus ſui initio coegit ab inſula fugere. Tam præcipitem apud Thermopylas aſſecutus, locum CCC Laconum ſpecioſa cæde memorãdum, ne ibi qdem fiducia loci reſiſtentem mari ac terra cedere coegit. Statim, & eueſtigo itur in Syriam. claſſis regia Polixenidi, Annibaliq́; commiſſa. nam Rex prælium nec ſpectare poterat. Igitur duce Aemilio Regillo à remigantibus Rhodijs tota laceratur. Ne ſibi placeant Athenæ. in Antiocho uicimus Xerxẽ: in Aemilio Alcibiadẽ æquauimus. Epheſiis Salamina penſauimus. Conſule Scipione, cui frater ille modo uictor Carthaginis Africanus uoluntaria legatione aderat: debellari regem placet. et iam toto ceſſerat mari. ſed nos imus ulterius. Meandrũ ad amnem, montemq́; Sypilũ caſtra ponuntur. Hic rex, incredibile dictu quibus auxilijs, quibus copijs, conſederat. Trecenta millia peditum, equitum, falcatorumq́; curruum non minor numerus. elephantis ad hoc immenſæ magnitudinis, auro, purpura, argento, & ſuo ebore

fulgentibus aciem utrinq; uallauerat. Sed hæc omnia præpedita magnitudine ſua: ad hoc imbre: q ſubito ſuperfuſus mira felicitate perſicos arcus corruperat. Primum trepidatio, mox fuga, dehinc triumphus fuerunt. Victo & ſupplici pacem atq; partem regni dari placuit, eo libentius: quod tam facile ceſſiſſet.

BELLVM AETOLICVM.

s *Yriaco bello ſucceſſit, ut debebat, Aetolicum. uicto quippe Antiocho Romanus, faces Aſiatici belli perſequebatur. Ergo Fuluio nobilori mandata ultio eſt. Hic protinus caput gentis Ambraciam regiam Pyrrhi machinis quatit. Secuta deditio. Aderant Aetolorum precibus attici, Rhodij. et memineramus auxilij. ſic placuit ignoſcere. Serpit tamen latius in proximos bellum, omnéq; late Cephaleniam, Zacynton. & quicquid inſularum in eo mari inter Ceraunios montes, iugumq; Maleum, ætolici belli acceſſio fuerunt.*

BELLVM ISTRICVM.

i *Stri ſequuntur Aetolos. quippe bellantes eos nuper adiuuerant. Et initia pugnæ proſpera hoſti fuerunt: eadémq; exitij cauſa. nam cum Cn. Manlij caſtra cepiſſent: opimæq; prædæ incubarent: epulantes, ac ludibundos pleroſque, aut ubi eſſent, præ poculis neſcientes Appius Pulcher inuadit. Sic cum ſanguine, & ſpiritu*

male portam reuomuere uictoriam. Ipſe Rex apulo equo impoſitus, cum ſubinde crapula, & capitis errore lapſaret: captum ſeſe uix, & ægre, poſtquam experrectus eſt: didicit.

BELLVM GALLOGRAECVM.

Gallogræciam quoq; Syriaci belli ruina cóuoluit. Fuerant inter auxilia Regis Antiochi. An fuiſſet cupidus triumphi Manlius: an eos inuiſos ſimulauerit: dubium certe. Negatus eſt uictori triumphus: quia cauſam belli non approbauit ſenatus. Cæterum gens Gallogræcorum, ſicut ipſum nomen inditio eſt: mixta, & adulterata eſt. Reliquiæ Gallorum, quibus etiam Brenno duce uaſtauerant Græciam: mox Orientem ſecuti, in media Aſiæ parte etiam ſedere. Itaq; ut frugum ſemina mutato ſolo degenerant: ſic illa genuina feritas eorum Aſiatica amœnitate mollita eſt. Duobus itaq; prælijs fuſi, fugatiq; ſunt: quamuis ſub aduentu hoſtis relictis ſedibus, in altiſſimos ſe montes recepiſſent: quos Toloſtobogi, Tectoſagiq; inſederant. Vtrinq; fundis, ſagittiſq; acti in perpetuam ſe pacem dediderunt. Sed alligati miraculo quodam fuere: cum cathenas morſibus, & ore tentaſſent: cum offocandas inuicem fauces præbuiſſent. Nam Ortiagontis Regis uxor à Cẽturione ſtuprum paſſa memorabili exemplo cuſtodiam euaſit: Reuulſumq; militis caput ad maritum ſuum retulit.

BELLVM MACEDONICVM SECVNDVM.

Dvm aliæ aliæq; gentes ſyriaci belli ſequũtur ruinam: Macedonia ſe rurſus erexit. fortiſſimum populum memoria & recordatio ſuæ nobilitatis agitabat. Succeſſerat Philippo filius Perſes: qui ſemel in perpetuum uictam eſſe Macedoniam non putabat ex gentis dignitate. multo uehementius ſub hoc Macedones, quàm ſub patre conſurgunt. quippe Thraces in uires ſuas traxerant. Atq; ita induſtria Macedonum, uiribus Thracum diſciplinã macedonicam tentauere. Acceſſit his conſiliũ ducis. qui ſitum regionum ſuarum ſummo ſpeculatus Aemo, poſitis per abrupta caſtris, ita Macedoniam ſuam armis, ferroq; uallauerat: ut non reliquiſſe aditum niſi à cœlo uenturis hoſtibus uideretur. Nam Marcio Philippo conſule, eam prouinciam ingreſſus populus romanus exploratis diligenter acceſſibus, per Aſtrudem paludem, per acerbos dubiosq; tumulos, illa, quæ uolucribus quoq; uidebantur inuia: acceſſit: regemq; ſecurum, & nihil tale metuentem ſubita belli eruptione terruit. cuius tanta trepidatio fuit: ut pecuniam omnem in mare iuſſerit mergi: ne periret: claſſem cremari: ne incẽderetur. Paulo conſule cum maiora, & crebra eſſent impoſita præſidia: per alias uias Macedonia depreſſa eſt ſumma quidem arte, & induſtria ducis: cum aliâs minatus, aliâs irrepſiſſet. cuius aduentus ipſe eò terribilis Regi fuit: ut intereſſe non auderet: ſed gerenda ducibus bella mandauerit. Abſens ergo uictus fugit in maria, inſu-

lamq́; Samothracem, fretus celebri religione: quaſi tem pla, & aræ poſſent defendere, quem nec montes ſui, nec arma potuiſſent. Nemo Regum diutius amiſſæ for tunæ conſcientiam retinuit. Supplex cum ſcriberet ad imperatorem ab illo, quo confugerat templo: nomenq́; epiſtolæ notaret ſuum: Regem addidit. Sed nec reueren tior captæ maieſtatis alius Paulo fuit: cum in conſpectu ueniſſet hoſtis: in templum recepit: & in conuiuijs adhi buit: liberosq́; admonuit ſuos: ut fortunam, cui tantum liceret: reuererentur. Inter pulcherrimos hunc quoq; populus romanus de Macedonia duxit, atq; uidit triũ phum. quippe cuius ſpectaculo triduum impleuerit. Primus dies ſigna, tabulasq́;, ſequens arma, pecuniasq́; tranſuexit: tertius captiuos, ipſumq; Regem attonitum adhuc, tanquã ſubito malo ſtupentem. Sed multo prius gaudium uictoriæ populus romanus, quam epiſtolis ui ctoris perceperat. quippe eodem die, quo uictus eſt Per ſes in Macedonia: Romæ cognitum eſt. Duo iuuenes can didis equis apud Iuturnæ lacum puluerem, & cruo rem abluebant. Hi nunciauere Caſtorem, & Pollucem fuiſſe: (creditum uulgo: quod gemini fuiſſent) interfuiſſe bello: quod ſanguine maderent: à Macedonia uenire: quod adhuc anhelarent.

BELLVM ILLYRICVM.

m Acedonici belli contagio traxit Illyricos. Ipſi quidem ut Romanum à tergo diſtrin gerent, à Perſæ Rege conducti pecunia militauere. Sine mora ab Anitio prætore

ſubiguntur. Loſcordam caput gentis deleſſe ſuffecit. Statim ſecuta deditio eſt. Deniq; hoc bellum ante finitum eſt: quàm geri Romæ nunciaretur.

BELLVM MACEDONICVM TERTIVM.

q Vodam fato, quaſi ita conueniſſet inter Pœnos, et Macedonas: ut tertio quoq; uincerentur: eodem tempore utriq; arma mouēre. Sed prior iugum excutit Macedo, aliquanto, quàm ante grauior: dum contēnitur. Cauſa belli prope erubeſcenda. Quippe regnum pariter, & bellum uir ultimæ ſortis Andriſcus inuaſerat: dubium liber, an ſeruus: mercenarius certe. ſed q̄a uulgo Philippus, & ſimilitudine Pſeudo Philippus uocabatur: regiā formam, regium nomen animo quoq; regio impleuit. Igitur dum hæc ipſa contemnit populus romanus: Iuuentio Prætore contentus, uirum non macedonicis modo, ſed Thraciæ quoq; auxilijs ingentibus ualidū temere tētauit. Inuictus quoq; nō à ueris regibus, ſed ab illo imaginario, & ſcenico Rege ſuperatus. Sed conſule Metello, amiſſum cum legione prætorem pleniſſime ultus eſt. nam & macedoniam ſeruitute mulctauit: et ducem belli deditum ab eo, ad quem confugerat: Thraciæ Regulo in urbem in cathenis reduxit: hoc quoq; illi in malis ſuis indulgente fortuna: ut de eo populus Ro. quaſi de Rege uero triumpharet.

BELLVM PVNICVM TERTIVM.

t Ertium cum Africa bellum, & tempore exiguum fuit. nam quadriennio patratum eſt: & in comparatione priorum minimũ labore. non enim tam cum uiris, quàm cũ ipſa urbe pugnatum eſt: ſed planè maximo euentu. q̃ppe eo tandem Carthago finita eſt. Atq; ſiquis trium temporum momenta conſyderet: primo commiſſum eſt bellum: profligatum ſecundo: tertio uero confectum eſt. Sed huius cauſa belli: quod contra fœderis legem aduerſus Numidas quidem ſemel paraſſet claſſem, & exercitum: frequens autem Maſaniſſæ fines territaret. Sed huic bono, ſocioq́; Regi fauebatur. Cum bellum ſederet: de belli fine tractatum eſt. Cato inexpiabili odio delendam eſſe Carthaginem. & cum de alio conſuleretur: pronunciabat Scipio Naſica ſeruandã: ne metu ablato æmulæ urbis luxuriari felicitas urbis inciperet. Medium ſenatus elegit: ut urbs tantum loco moueretur. nihil enim ſpecioſius uidebatur: quàm eſſe Carthaginem: quæ non timeretur. Igitur Manilio, Cenſorinoq́; conſulibus, populus romanus aggreſſus Carthaginem, ſpe pacis iniecta, traditam à uolentibus claſſem ſub ipſo ore urbis incendit. Tum euocatis principibus, ſi ſalui eſſe uellent: ut migrarent finibus, imperatũ quod pro rei atrocitate adeo mouit iras: ut extrema mallent. Comploratum igitur publice ſtatim: & pari uoce clamatum eſt ad arma: ſeditq́; ſententia quoquo modo rebellandũ: non quia ſpes ulla iam ſupereſſet: ſed quia patriam ſuam mallent hoſtium, quàm ſuis manibus euerti. Qui rebellantum fue

rit furor, uel hinc intelligi poteſt: quod in uſum nouæ claſſis tecta, domuſq; reſciderunt: & in armorum officinis aurum, & argentum pro ære, ferroq; conflatum eſt: in tormentorum uincula matronæ crines ſuos contulerunt. Mancino deinde conſule, terra mariq; feruebat obſidio. Operis portus nudatus: & primus, & ſequens iam murus: cum tantum Byrſa, quod nomen arci fuit: quaſi altera ciuitas reſiſtebat. Quamuis profligato urbis excidio, tamen fatale Africæ nomen Scipionum uidebatur. Igitur in aliū Scipionem conuerſa reſpub. finem belli repoſcebat. Hūc Paulo Macedonico procreatum Africani illius magni filius in decus gentis aſſumpſerat: hoc ſcilicet fato: ut quam urbem conceſſerat auus: nepos euerteret. Sed quammaxime mortiferi eſſe morſus ſolent morientium beſtiarum: ſic plus negocij fuit cum ſemiruta ciuitate Carthagine, quàm integra. Compulſis in unam arcem hoſtibus, portum quoq; maris Romanus obſederat. Illi alterum ibi portum ab alia urbis parte foderunt: nec ut fugerent: ſed quia nemo illos nec euadere poſſe credebat. inde quaſi enata ſubito claſſis erupit. Tum interim iam diebus, iam noctibus noua aliqua moles, noua machina, noua perditorum hominum manus quaſi ex obrupto incendio ſubita de cineribus flamma prodibat. Deploratis nouiſſime rebus, XL ſe millia uirorum dediderunt, (quod minus credas) duce Aſdrubale. Quanto fortius fœmina, et uxor ducis? quæ comprehenſis duobus liberis, à culmine ſe domus in medium miſit incendium, imitata reginam: quæ Carthaginem condidit. Quanta urbs deleta ſit: ut de cæteris taceam: uel ignium mora probari poteſt.

quippe per continuos decem & ſeptem dies uix potuit incendium extingui: quod domibus, ac templis ſuis ſponte hoſtes immiſerant: ut quatenus urbs eripi Romanis non poterat: triumphis arderet.

BELLVM ACHAICVM.

q

Vaſi ſæculum illud euerſionibus urbium curreret: ita Carthaginis ruinam ſtatim Corinthos excepit, Achaiæ caput, Græciæ decus, inter duo maria, Ionium, & Aegeum quaſi ſpectaculo expoſita. Hæc (facinus indignũ) ante oppreſſa eſt: quàm in numero certorum hoſtium referretur. Critolaus cauſa belli. qui libertate à Romanis data aduerſus ipſos uſus eſt. legatos Romanos, dubium an et manu, certe oratione uiolauit. Igitur Metello ordinanti, cui tum maxime Macedoniæ mandata eſt ultio: & hinc Achaicum bellum. ad primam Critolai manum Metellus conſul per patentis Elidis campos toto cecîdit Alphæo. Et uno prælio peractum erat bellum: iam & urbem ipſam terrebat obſidio. ſed fato rerum, cum Metellus dimicaſſet: ad uictoriã Mumius uenit. Hic alterius ducis dignitate exercitum ſub ipſis Iſthmi faucibus fudit: geminosq; portus ſanguine infecit. Tandem ab incolis deſerta ciuitas, direpta primum, deinde tuba præcinente deleta eſt. Quid ſignorum? quid ueſtium? quid'ue tabularũ raptum, incenſum, atq; proiectum eſt? Quantas opes & abſtulerit, et cremauerit, hinc ſcias: quod quicquid Corinthi æris toto orbe laudatur: incendio ſuperfuiſſe comperimus. nam & æris notam precio

ſiorem ipſa opulentiſſimæ urbis fecit iniuria: quia incœndio peruſtis plurimis ſtatuis, atq; ſimulachris, æris, auri, argentiq; uenæ in commune fluxere.

RES IN HISPANIA GESTAE.

Ut Carthaginem Corinthos, ita Corinthum Numantia ſecuta eſt. nec deinde toto orbe quicquam tantum in armis fuit. Poſt illa duo clariſſima urbium incœndia late atq; paſſim, nec per uices, ſed ſimul pariter, quaſi unum undiq; bellum fuit: prorſus ut inde quaſi agitantibus uentis diffudiſſe quædam belli incœndia toto orbe uideretur. Hiſpaniæ nunq̃ animus fuit aduerſus nos uniuerſæ conſurgere: nunquam conferre uires ſuas libuit: neq; aut imperare, aut libertatẽ tueri ſuam publicæ. alioquin ita undiq; mari, Pyrenæoq; uallata eſt: ut ingenio ſitus ne adiri q̃dem potuerit. Sed antea à Romanis obſeſſa eſt: quàm ſeipſa cognoſceret: et ſola omniũ prouinciarum uires ſuas, poſtq̃ uicta eſt: intellexit. In hac propè ducentos per annos dimicatum eſt, à primis Scipionibus in primũ Cæſarem Auguſtum, nõ continue, nec cohærenter: ſed prout laceſſierant: nec cũ Hiſpanis initio: ſed cum Pœnis in Hiſpania. Inde contagio, et ſeries, cauſaq; bellorũ. Prima p̃ Pyrenæũ iugũ ſigna Romana P. et Cn. Scipiones intulerunt: prælijsq; ingentibus Hannonẽ, et Haſdrubalem fratrem Annibalis ceciderunt. raptaq; erat impetu Hiſpania: niſi fortiſſimi uiri ĩ ipſa ſua uictoria oppreſſi punica fraude cecidiſſent, terra mariq; uictores. Igitur quaſi nouam, integramq; prouinciam ultor patris, & patrui

Scipio ille mox Africanus inuaſit. Iſq; ſtatim capta Carthagine, & alijs urbibus, non contentus Pœnos expuliſſe, ſtipendiariam nobis prouinciam fecit: omnem citra, ultráq; iberum ſubiecit imperio: primus Romanorum ducum uictor ad Gades, & oceani oram peruenit. plus etiam prouinciam retinere, quàm facere ſtuduit. Itaq; per partes iam huc, iam illuc miſſi duces: qui ferociſſimas, & ad id temporis iberas gentes adeo impatientes iugi multo labore, nec incruentis certaminibus ſeruire docuerunt. Cato ille Cenſorinus Celtiberos, ideſt robur Hiſpaniæ, aliquot prælijs fregit. Gracchus pater ille Gracchorum eoſdē centum et quinquaginta urbium euerſione mulctauit. Metellus ille, q ex Macedonia cognomen meruerat: & Celtibericus fieri: cum & contrebiam memorabili cœpiſſet exemplo: et Verſobrigis maiori gloria pepercit. Lucullus Turdulos, atq; Vaceos. de quibus Scipio ille poſterior ſingulari certamine, cum à Rege fuiſſet prouocatus: opima retulerat. D. Iunius Brutus aliquando latius Galleccos, Luſitanoſq;, omnis Galletiæ populos, formidatumq; militibus flumen obliuionis: peragratoq; uictor oceani litore, non prius ſigna conuertit: quàm cadentem in maria ſolem, obruptumq; aquis ignem non ſine quodam ſacrilegij, metu & horrore deprehendit. Sed tota certaminum moles cum Luſitanis fuit, & Numantinis: nec inmerito. quippe ſolis gentium duces contigerunt. Fuiſſet & cum omnibus Celtiberis: niſi dux illius motus initio belli oppreſſus eſſet, ſummæ uir aſtutiæ, & audaciæ, ſi res ceſſiſſet: Salondicus. qui haſtam argenteā quatiens uelut cœlo miſſam uaticinanti ſimilis omnium in

ſe mentes conuerterat. Sed cum pari temeritate ſub nocte caſtra conſulis adiſſet: iuxta tentorium ipſum pilo uigilis exceptus eſt. Cæterum Luſitanos Viriatus erexit, uir calliditatis acerrimæ. qui ex uenatore latro, ex latrone ſubito dux, atq; imperator, & ſi fortuna ceſſiſſet: Hiſpaniæ Romulus, non contentus libertatem ſuorum defendere, per XIIII annos omnia citra ultráq; Iberum, & Tagum igni, ferróq; populatus, caſtra etiam prætorum, & præſidium aggreſſus, cum Claudium Vnimanum pené ad internitionem exercitus cecidiſſet: inſignia trabeis, & faſcibus noſtris, quæ ceperat: in montibus ſuis trophæa fixiſſet: tandem eum Fabius Maximus conſul oppreſſerat. Sed à ſucceſſore Seruilio uiolata uictoria eſt. quippe qui conficiendæ rei cupidus fractum ducem, et extrema deditionis agitantem per fraudem, et inſidias, et domeſticos percuſſores aggreſſus, hâc hoſti gloriã dedit: ut uideretur aliter uinci non potuiſſe.

BELLVM NVMANTINVM.

n Vmantia, quantum Carthaginis, Capuæ, Corinthi opibus inferior: ita uirtutis nomine, et honore par omnibus: ſummumq;, ſi uiros æſtimes: Hiſpaniæ decus. Quippe quæ ſine muro, ſine turribus modice edito in tumulo apud flumen Durium ſituata quatuor millibus Celtiberorum XXXX milliũ exercitum, per annos XIIII ſola ſuſtinuit: nec ſuſtinuit modo: ſed ſæuius aliquanto pertulit: pudendis fœderibus affecit. Nouiſſime cum inuictam eſſe conſtaret: opus quoq; eo fuit: qui Carthagi-

nem euerterat. Nõ temere (ſi fateri licet) ullius cauſa belli iniuſtior. Segedenſes ſocios, & conſanguineos Romanorum manibus elapſos exceperant. habita pro eis deprecatio nihil ualuit. cum ſe ab omni bellorum contagione remouerent: in legitimi fœderis precium iuſſi arma deponere. Hoc ſic à Barbaris acceptum: quaſi manus abſcinderentur. Itaq; ſtatim Megara uiro fortiſſimo duce, ad arma conuerſi, Pompeium prælio aggreſſi, fœdus tamen maluerunt: cum debellare potuiſſent. Hoſtiliũ deinde Mancinũ, hũc quoq; aſſiduis cædibus ita ſubegerunt: ut ne oculos quidem, aut uocẽ Numantini uiri quiſquã ſuſtineret. tamen cum hoc quoq; fœdus maluere, contenti armorũ manubijs: cum ad internitionem ſæuire potuiſſent. Sed non minus numantini, quàm caudini illius fœderis flagrans ignominia, ac pudore populus romanus, dedecus quidem præſentis flagitij deditione Mancini expiauit. Cæterum duce Scipione Carthaginis incendijs ad excidia urbium imbuto, tandem etiam in ultionem excanduit. Sed tunc acrius in caſtris, quàm in campo noſtro cum milite, quàm cum numantino præliandũ fuit. quippe aſſiduis, et iniuſtis, & ſeruilibus maxime operibus attriti, ferre plenius uallum, qui arma neſcirent: luto inquinari, qui ſanguine nollent: iubebantur. ad hoc ſcorta, et Calones, ſarcinæ, niſi ad uſum neceſſariæ, amputantur. Tanti eſſe exercitum, quanti imperatorem, uere proditum eſt. Sic redacto in diſciplinam milite, commiſſa acies. quodq; nemo uiſurum ſe unquam ſperauerat: factum eſt: ut fugientes Numantinos quiſquam uideret. dedere etiam ſeſe uolebant: ſi tolleranda imperarentur. Sed cum Scipio ueram uellet, et ſine exceptione uictoriã:

eo neceſſitatum compulſi primum: ut deſtinata morte in prælium ruerēt: cum ſeſe prius epulis, quaſi inferijs im pleuiſſent: carnis ſemicrudæ, & Celiæ: ſic uocant indigenæ ex frumento potionem. Intellectum ab imperatore conſilium. itaq; non eſt permiſſa pugna morituris: cum foſſa, atq; lorica, quatuorq́; caſtris circundatos fame præmeret, ab duce orantes prælium: ut tanquam uiros occideret. ſed ubi non impetrabant: placuit eruptio. Sic conſerta manu plurimi occiſi. & cum urgeret fames: aliquātiſper inde uixere. Nouiſſime conſilium fugæ ſedit. ſed hoc quoq; eruptis equorum cingulis uxores ademere ſummo ſcelere per amorem. Itaq; etiam exitu deplorato, in ultimam rabiem furoremq́; conuerſi, poſtremo mori hoc genere deſtinarunt. Duces ſuos, ſeq́;, patriamq́; ferro, et ueneno, ſubiectoq́; undiq; igne peremerunt. Macte eſſe fortiſſimam, & meo iudicio beatiſſimam in ipſis malis ciuitatē aſſeruit: cum fide ſocios, populū orbis terrarum uiribus fultum ſua manu ætate tam longa ſuſtinuit. Nouiſſime maximo duce oppreſſa ciuitas nullū de ſe gaudiū hoſti reliquit: unus enim uir numantinus non fuit: q in cathenis duceretur. præda, ut de pauperibus, nulla. arma cremauerunt. triumphus fuit tantum de nomine.

ANACEPHALEOSIS.

h

Actenus populus Ro. pulcher, egregius, pius, ſanctus, atq; magnificus. reliqua ſeculi ut grandia, æque ita, uel magis turbida, & fœda: creſentibus cum ipſa magnitudine imperij uitijs. adeo: ut, ſiquis hanc tertiam eius

ætatem tranſmarinam, quam ducentorum annorum fecimus: diuidat: centum hos priores, quibus Africam, Macedoniam, Siciliam, Hiſpaniā domuit: aureos (ſicut Poetæ canunt) iure, meritoq; fateatur: centum ſequentes ferreos plane, & cruentos: & ſiquid immanius. quippe qui Iugurtinis, Cymbricis, Mithridaticis, parthicis bellis, Gallicis, atq; Germanicis, quibus cœlum ipſum gloria aſcendit: graccanas, Druſianaſq; cædes, ad hæc ſeruilia bella miſcuerunt. et ne quid turpitudini deſit: gladiatorijs deniq; in ſe conuerſis marianis, atq; ſyllanis, nouiſſime Pompei, & Cæſaris manibus quaſi per rabiem, & furorē, et nefas ſemetipſe lacerauit. Quæ et ſi inuoluta inter ſe ſunt omnia, atq; confuſa: tamen quo melius appareant: ſimul & ne ſcelera uirtutibus obſtrepant: ſeparatim proferentur. priuſquam cœpimus: iuxta illa memorabimus: ut et pia cum exteris gentibus bella, & magnitudo creſcentis in dies imperij appareat. tum ad illa ciuium ſcelera, turpeſq; & impias pugnas reuertemur.

BELLVM ASIATICVM.

u Icta ad occaſum Hiſpania populus Ro. ad orientem pacem agebat: nec pacem modo: ſed inuſitata, et incognita quadam felicitate relictæ regijs hæreditatibus opes, & tota inſimul regna ueniebant. Attalus enim Rex Pergamenorum Regis Eumenis filius, ſocij quondam, commilitioniſq; noſtri teſtamentum reliquit. Populus Ro. bonorum meorū hæres eſto. In bonis Regis hæc fuerūt.

Adita igitur

Adita igitur hæreditate prouinciam populus Ro. non quidem bello, nec armis, ſed (quod eſt æquius) teſtamenti iure retinebat. Sed hanc difficile dictu eſt utrum facilius amiſerit populus romanus: an recuperauerit. Ariſtonicus regij ſanguinis, ferox iuuenis urbes Regibus parere conſuetas partim facile ſollicitat: paucas reſiſtentes, Mindum, Samon, Colophonem ui recepit. Craſſi quoq; prætoris cæcidit exercitum: ipſum quoq; cepit. Sed ille memor & familiæ, & romani nominis cuſtodem ſui barbarum uirgula excæcat in exitũ ſui: quod uolebat. ita concidit. Mox à Perpenna domitus, et captus: & per deditionem in uinculis habitus. Aquilius Aſiatici belli reliquias confecit: mixtis (nephas) ueneno fontibus ad deditionem quarundam urbium. quæ res ut maturam, ita infamen fecit uictoriam. quippe cum contra fas deûm, mores'q; maiorum medicaminibus impuris in id tempus ſacroſancta romana arma uiolaſſet.

BELLVM IVGVRTINVM.

h AEC ad orientem. Sed non ad meridionalem plagam eadem quies. Quis ſperaret poſt Carthaginem aliquod in Africa bellum? Atqui non leuiter ſe Numidia concuſſit. & fuit in Iugurtha: quod poſt Annibalem timeretur. Quippe Rex callidiſſimus populum romanum armis inclytum, & inuictum opibus aggreſſus eſt. & citra ſpē omniū fortuna ceſſit: ut Rex fraude præcipuus fraude caperetur. Hic auo Maſaniſſa, & Micypſa patre per adoptionem, cum interficere fratres ſtatuiſſet, agitatus regni cupiditate: nec illos magis, quàm ſenatum, populumq́; romanum, quorum in fide, & clientela regnum erat: metueret: primum ſcelus mandat inſidijs. potitusq́; Hiempſalis capite, cum ſe in Adherbalem conuertiſſet: isq́; Romam profugiſſet: miſſa per legatos pecunia, traxit in ſententiam ſuam ſenatum. Et hæc fuit de nobis eius prima uictoria. Miſſos deinde qui regnum inter illum, Adherbalēq́; diuiderent, ſimiliter aggreſſus, cum in Scauro ipſos romani imperij mores expugnaſſet: inchoatum nephas perficit audacius. Sed diu nō latent ſcelera. Corruptæ nephas legationis erupit: placuitq́; bello perſeq parricidam. Primus ī Numidiā Calpurnius Beſtia Conſul immittitur. Sed Rex præmonitus fortius aduerſus Romanos aurum eſſe, q̄ ferrū, pacem emit. Cuius flagitij reus cū interueniente

publicа fide à ſenatu acerſiretur: pari audacia: et uenit: et competitorem imperij Maſaniſſæ Maſſiuam immiſſo percuſſore confecit. Hæc altera contra Regem fuit cauſa bellandi. Igitur ſequens ultio mandatur Albino. ſed huius quoq; (pro dedecus) ita corrupit exercitum: ut uoluntaria noſtrorũ fuga uinceret Numida: caſtriſq; potiretur: addito etiam turpi fœdere in precium ſalutis: quẽ, quod prius emerat, dimiſit exercitum. Eodẽ tempore in ultionem non tam imperij Romani, q̃ pudoris Metellus aſſurgit. qui callidiſſime hoſtem nunc precibus, nunc minis, iam quaſi ſimulata uera fuga eludentem artibus ſuis aggreſſus eſt. Agrorum, atq; uicorum populatione non contentus, in ipſa Numidiæ capita impetum fecit: & Zamam quidem fruſtra diu uoluit. cæterũ Thalam grauẽ armis, theſauroq; Regis diripuit. tunc urbibus exutũ Regem, etiam finium ſuorum, regniq; fugitiuum per Mauros, atq; Getuliam ſequebatur. Poſtremo Marius auctis admodũ copijs, cum pro obſcuritate generis ſui capite cẽſos ſacramento adegiſſet: iam fuſum, et ſaucium Regem adortus, non facilius tamen uicit: quàm ſi integrũ et recentem. Hic et urbem Herculi conditã Capſam in media Africa ſitam, anguibus areniſq; uallatam mira quadã felicitate ſuperauit: et ſaxeo inditam monti Muluchã urbem per Ligurem aditu arduo, inacceſſoq; penetrauit. mox non ipſum modo, ſed Bocchũ Mauritaniæ Regem iure ſanguinis Numidiam uindicantem, apud oppidum Cirthã grauiter cecîdit. Qui ubi diffiſus rebus ſuis alienæ cladis acceſſionem fieri timet: precium fœderis, atq; amicitiæ Regem facit. ſic fraudulentiſſimus Regũ fraude ſoceri ſui in inſidias deductus eſt: & Syllæ in ma-

num traditus. Tandemq́; opertum cathenis Iugurtham in triumpho populus romanus aſpexit. ſed ille quoque quamuis uictus, & uinctus uidit urbem: quàm uenalem, & quandoq; perituram, ſi habuiſſet emptorem: fruſtra cecinerat: tamen ut uenalis fuiſſet, habuit emptorem: & cum ille non euaſerit: certum erit eam non eſſe perituram.

BELLVM ALLOBROGICVM.

S Ic ad meridiem populus romanus. Multo atrocius, & multipliciter, & magis à ſeptentrione (ſæuiente nihil hac plaga infeſtius) atrox cælum peruicaci ingenio. Omni igitur tractu uiolentus hoſtis à dextris, atq; læuis, & medio ſeptentrionis erupit. Prima trans alpes arma noſtra ſenſere Salyi: cum de incurſionibus eorum fidiſſima, atq; amiciſſima ciuitas Maſſilia quereretur. Allobroges deinde, et Aruerni: cum aduerſus eos ſimiles Heduorum querelæ opem, & auxilium noſtrum flagitarēt. Varus uictoriæ teſtis, Iſara, et Vindelicus amnis, & impiger fluminum Rhodanus. Maximus barbaris terror elephanti fuere, immanitati gentium pares. Nil tam conſpicuum in triumpho: quàm Rex ipſe bis uiſus diſcoloribus in armis, argenteoq́; carpento: qualis pugnauerat. Vtriuſq; uictoriæ quantum gaudium fuerit, uel hinc extimari poteſt: quod & Domitius Enobarbus, & Fabius maximus ipſis, quibus dimicauerant, locis ſaxeas erexere turres: & deſuper exornata armis hoſtilibus trophæa fixere: cum hic mos inuſitatus fue-

rit noſtris. nunquam enim populus Ro. hoſtibus domitis uictoriam ſuam exprobrauit.

BELLVM CYMBRICVM, TEVTONICVM, AC TIGVRINVM.

CYmbri, Teutoni, atq; Tigurini ab extremis Galliæ profugi cum terras eorum inundaſſet oceanus: nouas ſedes toto orbe quærebant: excluſiſq; ex Gallia, et Hiſpania, cum in Italiam remigrarent: miſerunt legatos in caſtra Syllani, inde ad ſenatum, petentes: ut Martius populus aliquid ſibi terræ daret, quaſi ſtipendium: cæterum ut uellet: manibus, atq; armis ſuis uteretur. Sed quas daret terras populus romanus, agrarijs legibus intra ſe dimicaturus? Repulſi igitur, quod nequiuerant precibus, armis petere conſtituunt. Sed nec primum impetum Barbarorum Syllanus, nec ſecundum Manlius, nec tertium Cepio ſuſtinere potuerunt. Omnes fugati: exuti caſtris. Actum erat: niſi Marius illo ſæculo contigiſſet. Ille quoq; non auſus congredi ſtatim, militem tenuit in caſtris: donec inuicta illa rabies, & impetus, quem pro uirtute Barbari habent: conſeneſceret. Receſſere igitur increpantes, & (tanta erat capiendæ urbis fiducia) conſulentes ſiquid ad uxores ſuas mandarent. Nec ſegnius, quàm minati fuerant, tripartito agmine ꝑ Alpes, ideſt clauſtra Italiæ ferebantur. Marius mira ſtatim uelocitate occupatis cõpendijs, præuenit hoſtem. prioreſq; Theutonos ſub ipſis Alpium radicibus aſſecutus, in locum, quem aquas Sextias uocant: qua fide

numinum prælio oppreſſit? Vallem, fluuium'q; hoſtes tenebant: noſtris aquarum nulla copia. conſulto'ne id egerit Imperator: an errorē in conſilium uerterit: dubium. Certe neceſſitate acta uirtus cauſa uictoriæ fuit. Nam flagitante aquam exercitu, uiri, inquit, eſtis: en illic habetis. Itaq; tanto ardore pugnatum eſt: eaq; cædes hostium fuit: ut uictor Romanus de cruento flumine non non plus aquæ biberit: quàm ſanguinis. Barbarorum certe Rex ipſe Theutobochus quaternos, ſenos'q; equos tranſilire ſolitus, uix unum, cum fugeret, aſcendit: proximo'q; in ſaltu compræhenſus inſigne ſpectaculū fuit. quippe uir proceritatis eximiæ ſuper trophæa ipſa eminebat. Sublatis funditus Theutonis, in Cymbros conuertitur. Hi iam (quis crederet?) per hyemem, quæ altius Alpes leuat: Tridentinis iugis in Italiam prouoluti ruina deſcenderant. Atheſim flumen non ponte, nec nauibus, ſed quadam ſtoliditate barbarica primum corporibus aggreſſi, poſtquam retinere amnem manibus, & clypeis fruſtra tentauerant: ingeſta obrutum ſylua tranſiluere. et ſi ſtatim infeſto agmine urbem petiſſent: grande diſcrimen eſſet. ſed in Venetia, quo ferè tractus Itallia molliſſima eſt: ipſa ſoli cœli'q; clementia robur elanguit. Ad hoc panis uſu, carnis coctæ, & dulcedine uini mitigatos Marius in tempore aggreſſus eſt. Iam diē pugnæ à Mario imperatore petierunt. & ſic proximum dedit. In patentiſſimo, quem Caudium uocant: campo procurrêre. millia deinde ad XL ceciderunt. Hinc campus tertio per omnem diem conciditur Barbaris. Iſti quoq; Imperator addiderat uirtuti dolum, ſecutus Annibalem, artem'q; Cannarum. Primum nebulo-

ſum nactus diem: ut hoſti inopinatus occurreret: tum uentoſum quoq;: ut puluis in oculos, et ora ferretur: tum acie conuerſa in orientem: ut, quod ex captiuis mox cognitum eſt: ex ſplendore galearum, ac repercuſſu quaſi ardere cœlum uideretur. Nec minor cum uxoribus eorũ pugna, quàm cum ipſis fuit: cum obiectis undiq; plauſtris, atq; carpentis, alte deſuper quaſi e turribus lanceis, contiſq; pugnarent. Proinde plus ſpecioſa mors earum fuit: quàm pugna. nam cum miſſa ad Marium legatione, libertatem, ac ſacerdotium non impetraſſent: nec fas erat: ſuffocatis, eliſiſq; paſſim infantibus ſuis, aut mutuis concidêre uulneribus: aut uinculo è crinibus ſuis facto ab arboribus, iugiſq; plauſtrorum pependerunt. Beleus Rex in acie dimicans impigre: nec inultus occubuit.

Tertia Tigurinorum manus, quæ quaſi ſubſidio Noricos inſederat Alpium tumulos: in diuerſa lapſi, fuga ignobili, & latrocinijs euanuit. Hunc tam lætum, tamq; felicem libertatis Italiæ, aſſertiq; imperij nuncium non per homines, ut ſolebat, populus accepit: ſed per ipſos (ſi credere fas eſt) deos. quippe eodem die, quo geſta res eſt: uiſi pro æde Caſtoris, & Pollucis iuuenes laureati prætori literas dare: frequenſq; in ſpectaculo rumor uictoriæ Cymbricæ feliciter dixit. Quo quid admirabilius, quidq; inſignius fieri poteſt? quippe uelut elata montibus ſuis Roma ſpectaculo belli intereſſet: quod in gladiatorio munere fieri ſolet: uno eodemq; momento cum in acie Cymbri occumberent: populus in urbe plaudebat.

BELLVM THRACIVM.

POſt Macedonas (ſic dijs placet) Thraces rebellabant, ipſi quondam tributarij Macedonum. nec in proximas modo prouincias contenti incurrere, Theſſaliam, atq; Dalmaciam, in Adriaticum mare uſq; uenerunt: eoq; fine contenti quaſi interueniente natura, contorta in ipſas aquas tela miſerunt. Nihil interim per id omne tempus reſiduum crudelitatis fuit in captiuos ſæuientibus. Litare dijs ſanguine humano: bibere in oſſibus capitum: & huiuſcemodi ludibrio fœdare mortem tam igni, quàm fumo. partus quoq; grauidarum extorquere tormentis. Sæuiſſimi omnium Thracum Scordiſci fuere. Sed calliditas quoq; ad robur acceſſerat. ſyluarum & montium ſitus cum ingenio conſentiebant. Itaq; non fuſus modo ab his, aut fugatus, ſed ſimili prodigio omnino totus intercœptus exercitus: quem duxerat Cato. Didius uagos, & libera populatione diffuſos intra ſuã repulit Thraciam. Druſus ulterius egit: & uetuit trãſire Dannubium. Minutius toto uaſtauit Hebro: multis quidem amiſſis: dum per perfidum glacie flumen equitatur. Piſo Rhodopẽ, Caucaſumq; penetrauit. Curio Daciã tenus uenit: ſed tenebras ſaltuum expauit. Appius in Sarmatas uſq; peruenit. Lucullus ad terminum gentium Tanain, lacumq; Meotin. Nec aliter cruentiſſimi hoſtium, quàm ſuis moribus domiti. quippe in captiuos igne, ferroq; ſæuitum eſt. Sed nihil barbaris atrocius uiſum eſt: quàm quod abſciſſis manibus relicti uiuere ſuperſtites pœnæ ſuæ uidebantur.

BELLVM MITHRIDATICVM.

P Onticæ gentes ad ſeptentrionem in mare ſiniſtrum iacent, à Pontico cognominatæ mari. Harum gentium, atq; regionum Rex antiquiſſimus Atheas: poſt Artabazes, à ſeptem Perſis oriundus: inde Mithridates omniũ longe maximus. quippe cum quatuor Pyrrho, XVII anni Annibali ſuffecerunt: ille per quadraginta annos reſtitit: donec tribus ingentibus bellis ſubactus, felicitate Syllę, uirtute Luculli, magnitudine Pompei conſumeretur. Cauſam quidem illius belli prætenderat apud Caſſium legatum: attrectari terminos ſuos à Nicomede Bithynio. cæterum elatus animis ingentibus, Aſiæ totius, &, ſi poſſet, Europæ cupiditate flagrabat. Spem, ac fiduciam dabant noſtra uitia. quippe cum ciuilibus bellis diſtingueremur: inuitabat occaſio. nudumq; imperij latus oſtendebant procul Marius, Sylla Sertorius. Inter hæc Reip. uulnera, & hos tumultus repente quaſi captato tempore in laſſos ſimul, atq; diſtrictos ſubitus turbo pontici belli ab ultima ueluti ſpecula ſeptentrionis erupit. Primus ſtatim impetus belli Bithyniam rapuit. Aſia inde pari terrore correpta eſt. Nec cunctanter ad Regem ab urbibus noſtris, populisq; deſcitum eſt. Aderat: inſtabat: ſæuitia quaſi uirtute utebatur. nam quid atrocius uno eius edicto? cum omnes, qui in Aſia forent, romanæ ciuitatis homines interfici iuſſit? tum quidem domus, templa, & aræ humana omnia, atq; diuina iura uiolata ſunt. Sed hic terror Aſiæ Europã quoq; Regi aperiebat. Itaque miſſis Archelao, Neoptolemoq;

præfectis, excepta Rhodo, quæ pro nobis firmius ſtetit cæteris: Ciclades, Delos, Euboea, & ipſum Græciæ decus Athenæ tenebantur. Italiam iam, ipſamq́; urbem Romã regius terror afflabat. Ita L. Sylla feſtinat: uir armis optimus: parique uiolentia ruentem ulterius hoſtem manu quadam quaſi ipſius reppulit. primúq; Athenas urbem (quis crederet?) frugum parentem obſidione, ac fame ad humanos cibos compulit. ſic illos quoq; ante, mox ſubruto Pyrei portu, ſex quoq; & amplius muris, poſtquam domuerat: ingratiſſimos hominum (ut ipſe dixit) in honorem tamen mortuorum ſacris ſuis, famæq; donauit. Mox cum Euboea, atq; Bœotia præſidia Regis diſpuliſſet: omneis copias, uno apud Cheroniã, apud Orchomenon altero bello diſſipauit. Statimq́; in Aſiam tranſgreſſus, ipſum opprimit. & debelltum etiam foret: niſi de Mithridate triumphare cito quàm uere maluiſſet.

Ac tum quidem hunc Aſiæ ſtatum Sylla dederat. Ictum cum Ponticis fœdus: recepit Bythiniam à Rege Nicomede, ab Ariobarzane Cappadociam. ac ſic erat Aſia rurſus noſtra: ut cœperat. Mithridates tantum repulſus. Itaq; non fregit ea res Ponticos: ſed incendit. quippe Rex Aſia, & Europa quodammodo ineſcatus, non iam quaſi alienam, ſed quia amiſerat: quaſi captam belli iure repetebat. Igitur ut extincta parum fideliter incendia maiore flãma reuiuiſcunt: ita ille dein tegro auctis maiorem immodum copijs, tota deniq; regni ſui mole in Aſiam rurſus mari, terra, fluminibusq́; ueniebat. Cizicum nobilis ciuitas arce, mœnibus, portu, turribusq́; marmoreis aſiaticæ plagæ litora illuſtrat. Hanc ille quaſi alteram Romam toto inuaſerat

bello. Sed fiduciam oppidanis reſiſtendi nuncius fecit, docens aduentare Lucullum. qui (horribile dictu) per medias hoſtium naues utre ſuſpenſus, & pedibus iter ad gubernans, uidentibus procul, quaſi marina priſtis euaſerat. Mox clade conuerſa, cum ex mora obſidentem Regem, & ex fame peſtilentia urgeret: recedentem Lucullus aſſequitur: adeoq; cecidit: ut Granicus, & Aſopus amnes cruenti redderentur. Rex callidus, romanæq; auaritiæ peritus, ſpargi à fugientibus ſarcinas, et pecuniam iuſſit: qua ſequentes moraretur. Nec infelicior in mari, quàm in terra fuga. quippe centum amplius nauium claſſem, apparatumq; belli grauẽ in Pontico mari aggreſſa tempeſtas tam fœda ſtrage lacerauit: ut naualis belli inſtar efficeret: planè quaſi Lucullus quodam cum fluctibus, procellisq; commertio debellandum tradidiſſe Regem uentis uideretur. Attritæ iam omnes ualidiſſimi regni uires erant. ſed animus malis augebatur. Itaq; conuerſus ad proximas gentes, totum penè orientem, ac ſeptentrionem ruina ſua inuoluit. Hiberi, Caſpij, Albani, & utræq; ſollicitabantur Armeniæ. perq; omnia & decus, & nomen, & titulos Pompeio ſua fortuna quærebat. Qui ubi nouis motibus ardere Aſiã uidet: aliosq; ex alijs prodire Reges: nihil cũctandũ ratus, priuſq̃ inter ſe gentiũ robora coirent: ſtatim ponte nauibus facto omnium ante ſe primus tranſit Euphratẽ: regemq; fugientem media nactus Armenia (quanta felicitas uiri) uno prælio confecit. Nocturna ea dimicatio fuit. & luna in partibus, quippe quaſi commilitans, cũ à tergo hoſtibus, à facie Romanis ſe præbuiſſet: Pontici per errorem longius cadentes umbras ſuas quaſi hoſtium

corpora petebant. Et Mithridates quidem nocte illa debellatus eſt. nihil enim poſtea ualuit, quanquam omnia expertus, more anguium: qui obtrito capite poſtremum cauda minantur. quippe cum effugiſſet hoſtem: Colchos, Siciliæ quoq; litora, & Campaniam noſtram ſubito aduentu terrere uoluit: mox ſubruto Pyrei portu, Colchis tenus iungere Boſphoron: inde per Thraciam, Macedoniam, & Græciam tranſilire. Sic Italiam nec opinatus inuadere tantum cogitauit. Nam per defectionem ciuium, Pharnacisq; filij ſcelere præuentus male tentatum ueneno ſpiritum ferro expulit. Cn. interim Magnus rebelles Aſiæ reliquias ſequens, per diuerſa gentium, terrarumq; uolitabat. Nam ſub orientem ſecutus Armenios, captis in ipſo capite gentis Artaxatis, ſupplicem iuſſit regnare Tigranem. At in ſeptentrionem ſchyticum iter tanquam in mari ſtellas ſecutus, Colchos cecidit: ignouit Hyberiæ: pepercit Albanis: regem Colchorum Orodem poſitis etiam ſub ipſo Caucaſo caſtris, iuſſit in plana deſcendere: Arthocen, qui Hiberis imperabat: & obſides liberos dare. Orodem etiam remuneratus eſt, ultro ab Albania ſua lectulum aureum, et alia dona mittentem. Nec non et in meridiẽ uerſo agmine, Libanum Syriæ, Damaſcumq; transgreſſus, per nemora illa odorata, per thuris & balſami ſyluas romana ſigna circuntulit. Arabes ſiquid imperaret, præſto fuere. Hieroſolyma defendere tentauere Iudæi. Verũ hæc quoq; & intrauit: & uidit illud grande impiæ gentis archanum patens, aureo uti cœlo. Diſſidentibus de regno fratribus, arbiter factus, regnare iuſſit Hircanum. Ariſtobolo, quia renuebat eam rem: cathenas dedit.

Sic Pompeio duce populus Ro. totam, qua latiſſima eſt: Aſiam peruagatus, quam extremam imperij habebant prouinciam: mediam fecit. exceptis quippe Parthis, qui fœdus maluerunt: & Indis, qui adhuc nos non nouerant: omnis Aſia inter Rubrum, et Caſpium, et Oceanum Pompeianis domita, uel oppreſſa ſignis tenebatur.

BELLVM PIRATICVM.

i Nterim dum populus romanus per diuerſa terrarum diſtractus eſt: Cilices inuaſerant maria: ſublatisq; commertijs, rupto fœdere generis humani, ſic maria bello quaſi tempeſtate præcluſerant. Audaciam perditis, furioſisq; latronibus dabat inquieta Mithrydatis prælijs Aſia. Dum ſub alieni belli tumultu, exteriq; Regis inuidia impune graſſantur: ac primum duce Iſodoro contenti, proximo mari Cretam inter, atq; Cyrenas, Pyreum, & Achaiam, ſinumq; Maleum, quem à ſpolijs aureũ ipſi uocauere: latrocinabãtur: miſſusq; in eos P. Seruilius quamuis leues & fugaces myoparones graui, & martia claſſe turbaret: non incruenta uictoria ſuperat. ſed nec mari ſummouiſſe contentus, ualidiſſimas urbes eorum, & diutina præda abundantes, Phaſelim, & Olimpon euertit: Iſauronq; ipſam, arcem Ciliciæ. unde conſcius ſibi magni laboris Iſaurici cognomen adamauit. Non ideo tamen tot cladibus domiti terra ſe continere potuerunt: ſed ut quædam animalia, quibus aquã terramq; incolendi gemina natura eſt: ſub ipſo hoſtis receſſu impatientes ſoli in aquas ſuas reſiluerunt: & ali-

quanto latius: quàm prius. Sic felix ille & dignus ui-ctoria Pompeius uiſus eſt: & Mithridaticæ prouinciæ facta acceſſio. Ille diſperſam toto mari peſtem ſemel, et in perpetuum uolens extinguere, diuino quodam apparatu aggreſſus eſt. quippe cum claſſibus ſuis, & ſocialibus Rhodiorum abundaret: pluribus legatis, atq; præfectis utraq;, Ponti, & Oceani ora complexus eſt. Gellius Tuſco mari impoſitus: Plotius Siculo. Gratillius Liguſticum ſinum, Pompeius Gallicum obſedit: Torquatus Balearicum: Tiberius Nero Gaditanũ fretum, quà primum maris noſtri limen aperitur: Lentulus Libycum: Marcellinus Aegyptium: Pompei iuuenes Adriaticum: Varro Terentius Aegæum, & Ponticum, & Pamphylium: Metellus Aſiaticum: Cœpio ipſas propontidis fauces. Portius Cato ſic obditis nauibus, quaſi portum obſeruauit. Sic per omnis æquoris portus, ſinus, latebras, receſſus, promontoria, freta, peninſulas, quicquid Piratarum fuit: quadam indagine incluſum, et oppreſſum eſt. Ipſe Pompeius in originem, fontem'q; belli Ciliciam uerſus eſt. Nec hoſtes detrectauere certamen: non ex fiducia: ſed quia oppreſſi erant: auſi uidebantur: ſed nihil tamen amplius: quàm ut primũ ictum concurrerent. Mox ubi circumfuſa undiq; roſtra uiderunt: abiectis ſtatim telis, remis'q;, plauſu undiq; pari, quod ſupplicantibus ſignum fuit: uitam petiuerunt. Non alia tam incruenta uictoria uſi unquam ſumus. ſed nec fidelior in poſterum reperta gens ulla eſt. Id'que proſpectum ſingulari conſilio ducis: qui maritimum genus à conſpectu longe remouit maris: & mediterraneis quaſi obligauit. Eodem'q; tempore, & uſum maris nauibus re-

ſuperauit: & terræ homines ſuos reddidit. Quid pri us in hac mirere uictoria? uelocitatem? quod quadrageſimo die parta eſt? An felicitatem? quod ne una quidem nauis amiſſa eſt? an perpetuitatem? quod amplius Piratæ non fuerunt?

BELLVM CRETICVM.

Reticum bellum, ſi uera uolumus noſcere: nos fecimus: ſola uincendi nobilem inſulam cupiditate. Fauiſſe Mithridati uidebatur. hoc placuit armis uindicare. Primus inuaſit inſulam Marcus Antonius cum ingenti quidẽ uictoriæ ſpe, atq; fiducia: adeo, ut plures cathenas in nauibus, quàm arma portaret. Dedit itaq; pœnas uecordiæ. nam pleraſq; naues intercepere hoſtes: captiuáq; corpora religata uelis, ac funibus pependere. ac ſic uelificantes triumphantium in modum Cretes portubus ſuis adremigauerunt. Metellus deinde totam inſulam igni, ferróq; populatus, intra caſtella, & urbes redegit: & Gnoſon, & Eritream, & (ut Græci dicere ſolent) urbium matrem Cydonam. Adeóq; ſæue in captiuos conſulebatur: ut ueneno ſe pleriq; conficerent: alij deditionem ſuam ad Pompeium abſentem mitterent. & cum ille res in Aſia gerens, eò quoq; præfectum miſiſſet Antonium: in illa prouincia irritus fuit. eoque infeſtior Metellus in hoſtes ius uictoris exercuit: uictis'que Iaſthene, & Panare Cydonæ ducibus, uictor rediit: nec quicquam amplius tamen de tam famoſa ui-

ctoria, quam cognomen Creticum reportauit.

BELLVM BALEARICVM.

q Vatinus Metelli Macedonici domus bellicis nominibus aſſueuerat altero ex liberis eius Cretico facto: mora non fuit, quin alter quoq; Balearicus uocaretur. Baleares per idem tempus inſulæ Piratica rabie corruperãt maria. Homines feros, atq; ſyluestres mireris auſos à ſcopolis ſuis ſaltem maria proſpicere. Aſcendêre etiam inconditas rates: & prænauigantes ſubinde inopinato impetu terruere. Sed cum uenientem ab alto romanam claſſem proſpexiſſent: prædam putantes, auſi etiã occurrere. & primo impetu ingenti lapidum, ſaxorumq; nimbo claſſem operuere. tribus quiſq; fundis præliatur. certos eſſe quis miretur ictus: cum hæc ſola genti arma ſint? id unum ab infantia ſtudium? cibum puer à matre non accipit: niſi quem ipſa monſtrante percuſſit. Sed non diu lapidatione Romanos terruere. Poſtq̃ cominus uentum eſt: expertiq; roſtra, & pila uenientia: pecudũ in morẽ clamore ſublato petierunt fuga litora: dilapſiq; in proximos tumulos, quærendi fuerunt: ut uincerentur.

EXPEDITIO IN CYPRON.

a Derat fatum inſularum. Igitur & Cypros recepta ſine bello. Inſulam ueteribus diuitijs abundantem, & ob hoc Veneri ſacram, Ptolemæus regebat. & diuitiarum

tanta erat fama: nec falſo: ut uictor gentium populus, & donare regna conſuetus P. Clodio Tribuno duce, ſocij uiuiq; Regis confiſcationem mandauerit. & ille quidem ad rei famam ueneno fata præcepit. Cæterum Portius Cato Cyprias opes Liburnis per Tyberinum hoſtiũ inuexit. quæ res latius ærarium populi romani, quàm ullus triumphus impleuit.

BELLVM GALLICVM.

a Sia Pompei manibus ſubacta, reliqua, quæ reſtabant in Europa: fortuna in Cæſarem tranſtulit. Reſtabant autem immaniſſimi gentium Galli, atq; Germani. & quamuis toto orbe diuiſa, tamen qui uinceret, habuit Britannia. Primus Galliæ motus ab Heluetijs cœpit. qui Rhodanum inter, & Rhenum ſiti, non ſufficientibus terris uenêre ſedes petitum, incenſis mœnibus ſuis. Hoc ſacramentum fuit: ne redirent. Sed petito tempore ad deliberandum, cum inter moras Cæſar Rhodani ponte reſciſſo abſtuliſſet fugam: ſtatim bellicoſiſſimam gentem ſic in ſedes ſuas, quaſi greges in ſtabula paſtorum deduxit. Sequens longeq; cruentior pugna Neruiorum, quippe pro libertate pugnantium. Hic cum multa Romanorum militum inſignia: tum illud egregium ipſius ducis: quod nutante in fugam exercitu, rapto è fugientis manu ſcuto, in primam uolitans aciem manu prælium reſtituit. Inde cum Venetis etiam nauale bellum. ſed maior cum Oceano, quàm cum ipſis nauibus rixa. quippe illæ rudes, & informes, & ſtatim naufragæ roſtra

ſenſiſſent·ſed hærebat in uadis pugna: cum æſtibus ſolitis, cum ipſo certamine ſubductus Oceanus intercedere bello uideretur. Illæ quoq; acceſſere diuerſitates pro gentium, locorumq́; natura. Aquitani callidum genus in ſpeluncas ſe recipiebant: iuſſit includi: mox dilabebãtur in ſyluas: iuſſit incendi. nemo tantum feroces dixerit Gallos. fraudibus agunt. Induciomarus Treuiros, Ambiorix conuocauit Eburones. utrinq; abſente Cæſare coniuratione facta inuaſere legatos. ſed ille fortiter à Dolobella ſummotus eſt: relatumq; Regis caput. Hic inſidijs in ualle diſpoſitis dolo perculit. itaq; & caſtra direpta ſunt: & aurum ablatum. Cottam cum Titurio Sabino legato amiſimus. Nec ulla de Rege mox ultio. quippe perpetua trans Rhenum fuga latuit. nec Rhenus ergo immunis. nec etiam fas erat: ut liber eſſet receptator hoſtium, atq; defenſor. Sed prima contra Germanos illius pugna iuſtiſſimis quidem ex cauſis. Hedui enim de incurſionibus eorũ querebantur. Quæ Arioui ſti Regis ſuperbia? cum legati dicerent: ueni ad Cæſarem: quis eſt autem Cæſar? & ſi uult: ueniat, inquit. & quid ad illum: quid agat noſtra Germania? num ego me interpono Romanis? Itaque tantus gentis nouæ terror in caſtris: ut teſtamenta paſſim, & in principijs ſcriberentur. Sed illa immania corpora, quo erant maiora: eo magis gladijs ferroq́; patuerunt. Qui calor in præliando militum fuerit: nullo magis exprimi poteſt: quàm quod elatis ſuper caput ſcutis, cum ſe ueluti teſtudine barbarus tegeret: ſuper ipſa Romani ſcuta ſalierunt: & inde in iugulos gladijs deſcendebant. Iterum ubi de Germanis Tenchateri que-

rebantur. Hic uero iam Cæſar ultro Moſulam nauali põ
te tranſgreditur, ipſumq; Rhenum: & Hercinijs hoſtẽ
querit in ſyluis. Sed in ſaltus, et paludes genus omne dif
fugerat. tantum pauoris incuſſit intra ripam ſubito ro-
mana uis. nec ſemel Rhenus, & iterum quoq;, & qui-
dem ponte facto penetratus eſt: ſed maior aliquanto trepi
datio. quippe cum Rhenum ſuum ſic ponte quaſi iugo
captum uiderent: fuga rurſus in ſyluas, & paludes.
ſed, quod acerbiſſimum Cæſari fuit: non fuere, qui uin
cerentur. Omnibus terra mariq; captis, reſpexit Ocea
num: & quaſi hic Romanis orbis non ſufficeret: alte-
rum cogitauit. Claſſe igitur comparata, Britanniam pe=
tit. in Britanniam tranſit mira celeritate. quippe qui
tertia uigilia Morino ſoluiſſet à portu: minus quàm me
dio die inſulam ingreſſus eſt. Plena erant tumultu hoſti
co litora: et trepidantia ad conſpectum rei nouæ carpẽ
ta uolitabant. Itaque trepidatio pro uictoria fuit. Ar=
ma, & obſides accepit à trepidis. & ulterius iſſet:
niſi improbam claſſem naufragio caſtigaſſet Oceanus.
Reuerſus igitur ad Galliam claſſe maiore, auctis'que
copijs, in eundem rurſus Oceanum, eoſdemq; rurſus
Britannos Calydonias ſecutus in ſyluas. Vnum quoq;
è regibus Caſſiuellaunum in uincula dedit. Con-
tentus his (non enim prouinciæ, ſed nomini ſtude-
batur) cum maiore, quàm prius, præda reuectus eſt:
ipſo quoque Oceano tranquillo magis, & propicio:
quaſi imparem ſe fateretur. Sed maxima omnium,
eademq; nouiſſima coniuratio fuit Galliarũ: cum omnes
pariter Aruernos, atq; Biturigas, Carnutes ſimul, Sequa
nos'que contraheret ille corpore, armis, ſpiritu'que

terribilis, nomine et quaſi terrore compoſito Vercingetotrix. Ille feſtis diebus, et comitialibus, cum frequentiſſimos in lucis haberet: ferocibus dictis ad ius priſtinum libertatis erexit. Aberat tunc Cæſar, Rauennæ delectum agens. & ut hyeme creuerant Alpes: ſic intercluſum putabant iter. Sed ille qualis erat ad nuncium rei feliciſſimæ temeritatis? Per inuios ad id tempus montium tumulos, per intactas uias, & niues expedita manu emenſus occupat Galliam. ex diſtantibus hibernis caſtra contraxit: & ante in media Gallia fuit: quàm ab ultima timeretur. Tum ipſa capita belli aggreſſus urbes, Auaricum cum quadraginta millium propugnantium ſuſtulit: Alexiam ducentorum quinquaginta millium iuuentute ſubnixam flammis adæquauit. Circa Gorgoniam tota belli moles fuit. quippe quam cum LXXX millia, muro, & arce, & abruptis defenderent. Maximam ciuitatem uallo, ſudibus, & foſſa, inductoq; foſſæ flumine, ad hoc XVIII caſtellis, ingentiq; quaſi lorica circundatam primum fame domuit: Mox audentem eruptiones, in uallo gladijs ſudibuſq; concidit: nouiſſime in deditionem redegit. Ipſe ille Rex, maximum uictoriæ decus, ſupplex cũ in caſtra ueniſſet: tum et faleras, & ſua arma ante Cæſaris genua proiecit Habes, inquit, fortem uir fortiſſime uiciſti.

BELLVM PARTHICVM.

CVm Gallos per Cæſarem in ſeptentrione debellat: interim ad orientem graue uulnus à Parthis populus romanus accepit. Nec de fortuna queri poſſumus. caret ſola-

ſtio clades. Aduerſa & dijs, & hominibus cupiditas conſulis Craſſi, dum Parthico inhiat auro: ſtrage XI legionum, & ipſius capite mulctata eſt: quod tribunus plebis Metellus exeuntem ducem hoſtilibus diris deuouerat. & cum Zeugma tranſiſſet exercitus: rapta ſubitis ſigna turbinibus hauſit Euphrates. Et cum apud Nicœforium caſtra poſuiſſet: miſſi ab Orode Rege legati denunciauere percuſſorum cum Pompeio fœderum: cũ Syllaq́;, quæ meminiſſet. Regijs inhians ille theſauris nihil ne imaginario quidem iure, ſed Seleuciæ ſe reſponſurum eſſe reſpondit. Itaq; dij fœderum ultores nec inſidijs, nec uirtuti hoſtium defuerunt. Iam primum, qui ſolus & ſubuehere commeatus, & munire poterat: à tergo relictus Euphrates: dum ſimulato transfugæ cuidam Mezeræ Syro creditur: cum in mediam camporum uaſtitatem eodem duce ductus exercitus undiq; hoſti exponeretur. Itaq; uixdum uenerat Carras: cum undiq; præfecti Regis Sylaces, & Surenas oſtendêre ſigna, auro, ſericisq; uexillis uibrantia. Tum ſine mora circunfuſi undiq; equitatus in modum grandinis, atq; nimborum denſa tela pariter fuderunt. Sic miſerabili ſtrage deletus exercitus. ipſe in colloquium ſollicitus ſigno dato uiuus in hoſtium manus incidiſſet: niſi tribunis reluctantibus fugam ducis barbari ferro occupaſſent. Sic quoq; relatum caput ludibrio hoſti fuit. Filium ducis penè in conſpectu patris eiſdem telis operuere. Reliquiæ infelicis exercitus, quò quenq; rapuit fuga: in Armeniã, Ciliciam, Syriamq́; diſtractæ uix nuncium cladis rettulerunt. Caput eius reciſum cum dextra manu ad Regem reportatum ludibrio fuit: neq; indigno. aurum

enim liquidum in rictum oris infuſum eſt: ut cuius animus arſerat auri cupiditate: eius etiam mortuum, et exangue corpus auro uteretur.

ANACEPHALEOSIS.

h Aec eſt illa tertia ætas populi romani trãſmarina: qua Italia progredi auſus, orbe toto arma circumtulit. Cuius ætatis ſuperiores centũ anni ſancti, pij, et (ut diximus) aurei, ſine flagitio, ſine ſcelere: dum ſincera adhuc, & innoxia paſtoriæ illius ſectæ integritas, dumq; Pœnorũ hoſtium imminens metus diſciplinam ueterẽ continebat. poſtremi centũ, quos à Carthaginis, Corinthi, Numantiæq; excidijs, et Attali Regis in Aſiatica hæreditate deduximus in Cæſarẽ, et Pompeium, ſecutũq; hos, de quo dicemus: Auguſtum: ut claritate rerum bellicarũ magnifici, ita domeſticis cladibus miſeri, et erubeſcendi. quippe ſicut Galliã, Thraciam, Ciliciã, uberrimas ualidiſſimasq; prouincias, Armenios etiam, & Britannos, ut non in uſum ita ad imperij ſpeciem magna nomina acquiſiſſe, pulchrum, atq; decorum: ita eodem tempore dimicaſſe domi cum ciuibus, ſocijs, mancipijs, gladiatoribus, totoq; inter ſe ſenatu, turpe, atq; miſerandum. ac neſcio an ſatius fuerit populo romano: Sicilia, et Africa contentũ fuiſſe: aut his etiam ipſis carere dominanti Italia ſua: quàm eò magnitudinis creſcere: ut uiribus ſuis cõficeretur. quæ enim res alia furores ciuiles peperit: quàm nimia felicitas? Syria prima nos uicta corrupit: mox aſiatica pergameni Regis hæreditas. Illæ opes, atq; diuitiæ afflixere ſæ

culi mores: merſamq́; uitijs ſuis quaſi ſentina rem publi cam peſſum dedêre. unde enim populus romanus agros, & cibaria flagitaret: niſi per famem: quam luxus fecerat? Hinc ergo gracchana & prima, et ſecunda, et illa tertia apuleiana ſeditio. Vnde ut regnaret de iudiciarijs legibus diuulſus à ſenatu eques: niſi ex auaritia? ut uectigalia reipublicæ, atq; ipſa iudicia ī quæſtu haberētur? Hinc rurſus & promiſſa ciuitas latio, & per hoc arma ſociorum. Quid autem bella ſeruilia? unde nobis: niſi ex abundatia familiarium? unde gladiatorij aduerſus dominos ſuos exercitus: niſi ad conciliandū plebis fauorem effuſa largitio? cum ſpectaculis indulget: ſupplicia quondam hoſtium artem facit. iam ut ſpecioſiora uitia tā gamus: non'ne ambitus honorum ab hiſdem diuitijs incitatus? (Atqui inde mariana, inde ſyllana poteſtas) aut magnificus apparatus conuiuiorum, & ſumptuoſa largitio, non'ne ab opulentia paritura mox egeſtatem? Hæc Catilinā hoſtē patriæ ſuæ impegit. Deniq; illa ipſa principatus, et dominandi cupido unde, niſi ex nimijs opibus uenit? Hæc Cæſarem, atq; Pompeium furialibus in exitium reipublicæ facibus armauit. Hos igitur populi romani omnes domeſticos motus ſeparatos ab externis, iuſtisq́; bellis ex ordine proſequemur.

DE LEGIBVS GRACCHANIS.

S Editionum omnium cauſam Tribunitia poteſtas excitauit: quæ ſpecie quidem, plebis tuendæ, cuius in auxilium comparata eſt: re autem dominationem ſibi acqui

rens,ſtudium populi,ac fauorem agrarijs,frumentati-tijs,iudiciarijs legibus aucupatur. Inerat omnibus ſpes æquitatis.quid enim tam iuſtum:quàm recipere plebem ius ſuum à patribus?ne populus gentium uictor,orbisq; poſſeſſor,extorris laribus ac focis ageret? Quid tam æquum:quàm inopem populum uiuere ex ærario ſuo? Quid ad ius libertatis æquandæ magis efficax: quàm ut ſenatu regente prouincias, ordinis equeſtris au-thoritas ſaltem iudiciorũ regno niteretur?Sed hæc ipſa in perniciem redibant:& miſera reſpublica in exitiũ ſuum merceſſerat:& à ſenatu in equitem translata iu-diciorum poteſtas,uectigalia,ideſt imperij patrimonium ſupprimebat:& emptio frumenti ipſos reipublicæ ner-uos exhauriebat,ærarium.reduci plebs in agros unde poterat ſine poſſidentium euerſione:qui ſibi pars po-puli erant?& tamen relictas ſibi à maioribus ſedes ætate quaſi iure hæreditario poſſidebant.

SEDITIO TYBERII GRACCHI.

PRimam certaminũ facem Tyberius Gracchus accendit,genere,forma,eloquentia fa-cile princeps.Sed hic,ſiue Mancinianæ de-ditionis,quia ſponſor fœderis fuerat: con-tagium timens,& inde popularis,ſiue æquo & bono ductus,quia depulſam agris ſuis plebem miſeratus eſt: ne populus Ro.gentium uictor, orbisq; poſſeſſor lari-bus,ac focis ſuis exularet:aut quacunq; mente rem au-ſus ingentem,poſtquam rogationis dies aderat: ingen-ti ſtipatus agmine roſtra conſcendit.nec deerat obuiam ma

nu tota inde nobilitas, & tribuni in partibus. ſed ut intercedentem legibus ſuis M. Octauium uidet Gracchus, contra fas collegij, ius poteſtatis iniecta manu depulit roſtris: adeoq; præſenti metu mortis exterruit: ut abdicare ſe magiſtratu cogeretur. Sic triumuir creatus diuidendis agris, cum ad perpetranda cœpta, die comitiorum prorogari ſibi uellet imperium: obuia nobilium manu, eorumq́; quos agris mouerat: cædes à foro cœpit. inde cum in Capitolium profugiſſet: plebemq́; ad defenſionem ſalutis ſuæ manu caput tangens hortaretur: præbuit ſpeciem regnum ſibi, & diadema poſcentis: atq; ita duce Scipione Naſica concitato in arma populo quaſi iure oppreſſus eſt.

SEDITIO C. GRACCHI.

Tatim & mortis, & legum fratris ſui uin-
s dex non minore impetu incaluit. C. Gracchus. qui cum pari tumultu, atq; terrore plebem in auitos agros arceſſeret: & recentem Attali hæreditatem in alimenta populo polliceretur: iamq́; nimius, & potens altero tribunatu ſecunda plebe uolitaret: abrogare auſo legibus ſuis Minutio tribuno, fretus comitum manu fatale familiæ ſuæ Capitoliũ inuaſit. inde proximorum cæde pulſus, cum ſe in Auẽtinum recepiſſet: inde quoque obuia ſenatus manu ab Opimio conſule oppreſſus eſt. Inſultatum quoq; mortis reliquijs: & illud ſacroſanctum caput tribuni plebis percuſſoribus auro penſatum eſt.

LVCII FLORI SEDITIO APVLEIANA.

Nihilominus Apuleius Saturninus gracchanas aſſerere leges non deſtitit. tantum animorum uiro Marius dabat. qui nobilitati inimicus, conſulatu ſuo præterea cõfiſus, occiſo palàm comitijs Annio competitore tribunatus, ſubrogare conatus eſt in eius locum C. Gracchum, hominem ſine tribu, ſine nomine: ſed ſubito titulo in familiã ipſe ſe adoptabat. cum tot, tantiſq; ludibrijs exultaret impune: rogandis Gracchorum legibus ita uehementer incubuit: ut ſenatum quoq; cogeret in uerba iurare: cum abnuentibus aqua, & igni interdicturum ſe minaretur. Vnus tamen extitit: qui mallet exilium. Igitur poſt Metelli fugam omni nobilitate percuſſa, iam cum tertium dominaretur: eò ueſaniæ progreſſus eſt: ut conſularia quoq; comitia noua cæde turbaret. quippe ut Satellitem furoris ſui Glauciam conſulem faceret: C. Memmium competitorem interfici iuſſit. et in eo tumultu Regem ex ſatellitibus ſuis appellatum lætus accepit. Tum uero iam conſpiratione ſenatus, ipſo quoq; iã Mario conſule, quia tueri non poterat: aduerſo, directæ in foro acies. repulſus inde Capitolium inuaſit. ſed cum abruptis fiſtulis obſideretur: ſenatuiq; per legatos pœnitentiæ fidem faceret: ab arce digreſſus cum ducibus factionis receptus in curiam eſt. ibi in eum facta irruptione populus fuſtibus, ſaxiſq; coopertum in ipſa quoq; morte lacerauit.

DRVSIANA SEDITIO.

P Oſtremo Liuius Druſus non Tribunatus modo uiribus, ſed ipſius etiam ſenatus authoritate totiusq; Italiæ conſenſu eaſdem leges aſſerere conatus, dum aliud captat ex alio: tantum conflauit incendium: ut ne prima illius flamma poſſet ſuſtineri: & ſubita morte correptus hæreditarium in poſteros ſuos bellum prorogaret iudiciaria lege C. Gracchi. Diuiſerant populum romanum: & bicipitem ex una fecerant ciuitatem equites romani, tanta poteſtate ſubnixi: ut qui fata, fortunasq; patrum, uitasq; principum haberent in manu: interceptis uectigalibus peculabantur ſuo iure rempublicam. ſenatus exilio metelli, damnatione Rutilij debilitatus, omne decus maieſtatis amiſerat. In hoc ſtatu rerum pares opibus, animis, dignitate, unde & nata Liuio Druſo æmulatio acceſſerat: equitem Seruilius Cæpio, ſenatum Liuius Druſus aſſerere. ſigna, & aquilæ, & uexilla aderant. Cæterum ſic urbe in una, quaſi in binis caſtris diſſidebatur. Prior Cæpio in ſenatum impetu facto, reos ambitus Scaurum, & Philippum principes nobilitatis eligit. His ut motibus reſiſteret Druſus: plebem ad ſe Gracchanis legibus, eiſdem ſocios ad plebem ſpe ciuitatis erexit. Extat uox ipſius: nihil ſe ad largitionem ulli reliquiſſe: niſi ſi quis aut cœnum diuidere uellet: aut cœlum. Aderat promulgandis dies: cum ſubito tanta uis hominum undiq; apparuit: ut hoſtiū aduentu obſeſſa ciuitas uideretur. Auſus tamen abro

gare de legibus conſul Philippus. ſed apprehenſum fau cibus uiator non ante dimiſit: quàm ſanguis & in ora, & in oculos redundaret. Sic per uim datæ, iuſſæq; leges. ſed precium rogationis ſtatim ſocij flagitare: cum interim imparem Druſum, ægrumq́; rerum temere motarum matura ut in tali diſcrimine mors abſtulit. nec ideo minus ſocij promiſſa Druſi à populo Romano repoſcere armis deſierunt.

BELLVM: QVOD ADVERSVS SOCIOS GESTVM EST.

S Ociale bellum uocetur licet: ut extenuemus inuidiam: ſi uerum tamen uolumus: illud ciuile bellum fuit. quippe cum populus romanus Hetruſcos, Latinos, Sabinosq́; miſcuerit: & unum ex omnibus ſanguinem ducat: corpus fecit ex membris: & ex omnibus unus eſt. Nec minore flagitio ſocij intra Italiam, quàm intra urbem ciues, rebellabant. Itaq; cum Tuſciæ ciuitates, quas uiribus auxerant: ſocij iuſtiſſime poſtularent: ad quam ſpem eos cupidine dominationis Druſus erexerat: poſtquam ille domeſtico ſcelere oppreſſus eſt: eadem fax, quæ illum cremauit: ſocios in arma, & in expugnationem urbis accendit. Quid hac clade triſtius? quid calamitoſius? cũ omne latium, atq; Picenum, Hetruria omnis, atq; Campania, poſtremo Italia contra matrem ac parentem ſuã urbem conſurgerent? cum omne robur fortiſſimorum, fideliſſimorumq́; ſociorum ſub ſuis quiſq; ſignis haberent municipalia iſta prodigia? Popedius Marſos, &

etiam Latinos, Afranius Vmbros, Totus ſenatus et conſules Sannium, Lucaniamq; Theleſinus? cum Regum et gentium arbiter populus ipſum ſe regere nec poſſet: ut uictrix Aſiæ, Europæq; à Corfinio Roma peteretur. Primum fuit belli in Albano monte conſilium: ut feſto die Latinarum Sex. Iulius Cæſar, & Martius Philippus conſules inter ſacra, & aras immolarentur. Poſtquam id nephas proditione diſcuſſum eſt: Aſculo furor omnis erupit: in ipſa quidem ludorum frequentia trucidatis, qui tum aderant ab urbe, legatis. Hoc fuit impij belli ſacramentum. Inde iam paſſim ab omni parte Italiæ, duce & authore belli diſcurſante Popedio diuerſa per populos, & urbes ſigna cecinere. Nec Annibalis, nec Pyrrhi fuit tanta uaſtatio. Ecce Otriculum, ecce Grumentum, ecce Feſulæ, Carſeoli reſeratæ: Nuceriæ, et Picentij cædibus ferro, & igne uaſtantur. Fuſæ Rutilij copiæ: fuſæ Cœpionis. Nam ipſe Iulius Cæſar exercitu amiſſo cum in urbem cruentus referretur: miſerabili funere mediam etiam urbem peruiam fecit. Sed magna populi romani fortuna, & ſemper in malis maior, totis denuo uiribus inſurrexit. aggreſſiq; ſinguli populos, Cato diſcutit Hetruſcos: Gabinius Marſos: Carbo Lucanos: Sylla Sannites. Strabo uero Pompeius omnia flammis ferroq; populatus, non prius finem cædium: quàm Aſculi euerſione manibus tot exercituum conſularium, direptarum'que urbium dijs litaretur.

BELLVM SERVILE.

u

Tcunq;, & ſi cum ſocijs nephas: cum liberis tamen, & ingenuis dimicatum eſt. Quis æquo animo ferat in principe gentium populo bella ſeruorũ? Primum ſeruile bellũ inter initia urbis duce Herdonio Sabino ĩ ipſa urbe tentatum eſt: cum occupata Tribunitijs ſeditionibus ciuitate Capitolium obſeſſum eſt: & à conſule captum. Sed hic tumultus magis fuit, quàm bellum. Mox imperio per diuerſa terrarum occupato, quis crederet Siciliã molto cruentius ſeruili, quàm punico bello eſſe uaſtatam? Terra frugum ferax, & quodammodo ſuburbana prouincia late fundis ciuium latinorum tenebatur. Hic ad cultum agri frequentia ergaſtula, cathenatiq́; cultores materiam bello præbuere. Syrus quidã nomine Eunus (magnitudo cladium facit ut meminerimus) fanatico furore ſimulato, dum Syriæ deæ cærimonias iactat: ad libertatem, & arma ſeruos quaſi numinum imperio concitauit. id ut diuinitus fieri probaret: in ore abdita nuce, quam ſulphure, & igne ſtipauerat: leuiter inſpirans flammã inter uerba fundebat. Hoc miraculum primum duo millia ex obuijs, mox iure belli refractis ergaſtulis, LX amplius millium fecit exercitum. regijsq́;, nequid malis deeſſet: decoratus inſignibus caſtella, oppida, uicos miſerabili direptione uaſtauit. Illud quoq; in ultimum belli dedecus: capta ſunt caſtra prætorum: (nec nominare ipſos pudet) caſtra Manilij, Lentuli, Piſonis, Hipſei. Itaq; qui per fugitiuos diſtrahi debuiſſent: prætorios duces profugos prælio ipſi ſequebantur.

Tandem Perpenna imperatore ſupplicium de eis ſumptum eſt. hic enim uictos, & apud Ennam nouiſſime obſeſſos cum fame quaſi peſtilentia conſumpſiſſet: reliqas latronum compedibus cathenis religauit: crucibuſq; puniuit. Fuitq; de ſeruis ouatione contentus: ne dignitatē triũphi ſeruili inſcriptione uiolaret. Vixdum reſpirauerat inſula: cum ſtatim à ſeruis, & à Syro reditur ad Ciliscem. Athenio paſtor interfecto domino familiam ergaſtulo liberatā ſub ſignis ordinat. ipſe ueſte purpurea, argenteoq; baculo, et regium in morem fronte redimita non minorem, quàm ille fanaticus prior, conflat exercitum: acriuſq; multum, quaſi & illum uindicaret: uicos, caſtella, oppida diripiens, in dominos, in ſeruos infeſtius, quàm in transfugas ſæuiebat. Ab hoc quoq; prætorij exercitus cæſi: capta Seruilij caſtra: capta Luculli. Sed Aquilius Perpennæ uſus exemplo, interclusum hoſtem commeatibus ad extrema compulit: communitaſq; copias armis, fame facile deleuit. dediſſentq; ſe: niſi ſuppliciorum metu uoluntariam mortem prætuliſſent. Ac ne de duce quidem ſupplicium exigi potuit: quamuis in manus uenerit. quippe dum circa ad deprehendendum eum multitudo contendit: inter rixantium manus præda lacerata eſt.

BELLVM SPARTACVM.

e Nimuero ſeruilium armorum dedecus feras? nam & ipſi per fortunam in omnia obnoxij, tamen quaſi ſecundum hominum genus ſunt: et ĩ bona libertatis

noſtræ adoptantur. Bellum Spartaco duce concitatum quo nomine appellem, neſcio. quippe cum ſerui militauerint: gladiatores imperauerint: illi infimæ ſortis homines: hi peſſimam auxere ludibrio calamitatem. Spartacus, Cryſus, & Oenomaus, effracto Lentuli ludo, cum ſeptuaginta, aut amplius eiuſdem fortunæ uiris eruperunt Capua: ſeruiſq; ad uexillum, & ad auxilium uocatis, cum ſtatim decem amplius millia coiſſent hominũ: non modo effugiſſe contenti, iam uindicari etiam uolebant. Prima uelut ara Iuris mons Veſuuius placuit. ibi cum etiam obſiderentur à Clodio Glabro: per fauces caui montis uitigneis delapſi uinculis, ad imas eius deſcendêre radices: & exitu in uno nihil tale opinantis ducis ſubito impetu caſtra rapuere: inde alia caſtra. deinceps Thoram, totamq; peruagantur Campaniam: nec uillarum, atq; uicorũ uaſtatione contenti, Nolam, atq; Nuceriam, Turios, atq; Metapontum terribili ſtrage populantur, affluentibus indiem copijs. Cum iã eſſet iuſtus exercitus, è uiminibus pecudumq; tegumentis inconditos ſibi clypeos, & ferro ergaſtulorum recocto gladios, ac tela fecerunt. ac nequod decus iuſto deeſſet exercitui: domitis obuijs gregibus paratur equitatus: captaq; de prætoribus inſignia, & faſces ad ducem detulere. nec abnuit ille de ſtipendiario thrace miles, de milite deſertor, inde latro, deinde in honore uirium gladiator: qui defunctorum quoque prælio ducum funera imperatoris celebrauit exequijs: captiuosq; circa rogum iuſſit armis depugnare: quaſi planè expiaturus omne præteritum dedecus: ſi de gladiatore munerator fuiſſet. Inde iam conſules quoq; agrreſſus, in Apennino Lentuli exercitum cecidit:

tum cecidit:

tum cecidit: apud Mutinam C. Craſſi caſtra deleuit. quibus elatus uictorijs, de inuadenda urbe Romana, quod ſatis eſt turpitudini noſtræ: deliberauit. Tandem etiam totis uiribus contra Mirmulonem conſurgitur: pudoreq́; romanum Licinius Craſſus aſſeruit. à quo pulſi, fugatiq́; (pudet dicere hoſtes) in extrema Italiæ conſurrexerunt. ibi circa Brutium angulum cluſi, cum fugam in Siciliam pararent: neq; nauigia ſuppeterent: rateſq; ex cratibus, & dolia connexa uirgultis in rapidiſſimo freto fruſtra experirentur: tandem eruptione facta, dignam uiris obiere mortem. &, quod ſub gladiatore duce oportuit: ſine miſſione pugnatum eſt. Spartacus ipſe in primo agmine fortiſſime dimicans, quaſi imperator occiſus eſt.

BELLVM CIVILE MARIANVM.

Hoc deerat unum populi romani malis: iam ut ipſe intra ſe parricidiale bellum domi ſtringeret: & in urbe media, ac foro, quaſi arena, ciues cum ciuibus ſuis gladiatorio more concurrerent. Aequiore animo utcunq; ferrem: ſi plebei duces, aut ſi nobiles mali ſaltem ducatum ſceleri præbuiſſent. cum uero (prò facinus) qui uiri? qui imperatores? decora, & ornamenta ſæculi ſui Marius, & Sylla peſſimo facinori ſuam etiam dignitatem præbuerunt: tribus (ut ſic dixerim) ſyderibus agitatum eſt: primo & leui, & modico tumultu: maiore quàm bello intra ipſos armorum duces ſubſiſtente ſæuitia: mox atrocius, et cruentius per totius uiſcera ſena

tus graſſante uictoria. Vultimum non ciuicum modo, ſed hoſtilem quoq; rabiem ſupergreſſum eſt: cum armorum furor totius Italiæ uiribus niteretur: couſq; odijs ſæuientibus: donec deeſſent, qui occiderentur. Initiū, et cauſa belli, inexplebilis honorum Marij fames: dum decretam Syllæ prouinciā Sulpitia lege ſollicitat. Sed impatiēs iniuriæ ſtatim Sylla legiones circumegit: dilatóq; Mithridate, Exquilina, Collinaq; porta geminum agmen urbi infudit. Vnde cum ſubito Sulpitius, & Albinouanus obieciſſent caternas: ſudesq;, et ſaxa undiq; à mœnibus, ac tela iacerentur: ipſe quoq; iaculatus incendio uiam fecit: arcemq; Capitolij, quæ Pœnos quoq;, Gallos etiam Senonas euaſerat: quaſi captiuam uictor inſedit. Tum ex ſenatus conſulto, aduerſarijs hoſtibus iudicatis, in præſentem tribunum, aliosq; diuerſæ factionis iure ſæuitum eſt. Marium ſeruilis fuga exemit: immo fortuna alteri bello reſeruauit. Cornelio Cinna, Cn. Octauio conſulibus, male obrutum reſurrexit incendium: & quidem ab ipſorum diſcordia: cum de reuocandis, quos ſenatus hoſtes iudicauerat: ad populum referretur. Cincta quidem gladijs concione. ſed uincentibus quibus pax & quies potior: profugus patria ſua Cinna confugit ad partes. Redit ab Africa Marius clade maior. ſiquidem carcer, cathenæ, fuga, exilium horrificauerant dignitatem. Itaque ad nomen tanti uiri late concurritur: ſeruitia (prò nephas) & Ergaſtula armantur: & facile inuenit exercitum miſer imperator. Itaque ui patriam repoſcens, unde ui fuerat expulſus: poterat uideri iure agere: niſi cauſam ſuam ſæuitia corrumperet. Sed cum dijs, homi-

ribusq; infeſtus rediret, ſtatim primo impetu cliens, & alumna urbis Hoſtia nefanda ſtrage diripitur: mox in urbem quadruplici agmine intratur. Diuiſere copias, Cinna, Marius, Carbo, Sertorius. Hic poſtquam manus omnis Octauij depulſa Ianiculo eſt: ſtatim ad principum cædem ſigno dato aliquanto ſæuius, quàm aut in punica, aut in Cymbrica urbe, ſæuitur. Octauij conſulis caput pro roſtris exponitur: Antonij conſularis in Marij ipſius menſis. Cn. Cæſar, & Fimbria in penatibus domorum ſuorum trucidantur. Craſſi pater, & filius in mutuo alter alterius aſpectu. Bebium, atque Numitorium per medium forum unci traxere carnificum. Catulus ſe ignis hauſtu ludibrio hoſtium exemit. Merula flamem Dialis in Capitolio Iouis ipſius oculos uenarum cruore reſperſit. Acharius ipſo uidente Mario confoſſus eſt: quia fatalem illam ſcilicet manum non porrexerat ſalutanti. Hæc tot ſenatus funera intra calendas, & idus Ianuarij menſis ſeptima illa Marij purpura dedit. Quid futurum fuit: ſi annum conſularis impleſſet? Scipione, Norbano'que conſulibus tertius ille turbo ciuilis inſaniæ toto furore detonuit: quippe cum hinc VIII legiones, inde quingentæ cohortes ſtarent in armis. Inde ab Aſia cum uictore exercitu Sylla properat. & ſanè cum tam ferus in Syllanos Marius fuiſſet: quanta ſæuitia opus erat: ut Sylla de Mario uindicaretur? Primum apud Capuam ſub amne Vulturno ſigna concurrunt. & ibi ſtatim Norbani fuſus exercitus: ſtatim omnes Scipionis copiæ oſtentata ſpe pacis oppreſſæ. Tum Marius iuuenis, & Carbo conſules,

quaſi deſperata uictoria, ne multi perirent: ſanguine ſenatus ſibi parentabant: obſeſſáq; curia, ſic de ſenatu, quaſi de carcere, qui iugularentur, educti. Quid funerum in foro, in circo, in patentibus templis? nam Mutius Scæuola pontifex ueſtales amplexus aras tantum non eodem igne ſepelitur. Lamponius, atq; Theleſinus Sannitum duces atrocius Pyrrho, & Annibale Campaniam, Hetruriamq; populantur: & ſub ſpecie partium ſe uindicant Apud Sacriportum, Collinamq; portam debellatæ omnes hoſtium copiæ. Ibi Marius, hic Theleſinus oppreſſi. nec idem tamen cædium, qui bello, finis fuit. Stricti enim & in pace gladij: animaduerſumq; in eos: qui ſe ſponte dederant. Non minus eſt: quod apud Sacriportum, apud Collinam L X X amplius millia Sylla cecidit. Bellum erat. quatuor millia deditorum inermium ciuium in uia publica interfici iuſſit. iſti tot in pace, non plures ſunt. quis autem illos poteſt computare: quos in urbe paſſim quiſquis uoluit, occidit? donec admoneret Furſidius uiuere aliquos debere: ut eſſent, quibus imperarent? Propoſita eſt ingens illa tabula. et ex ipſo equeſtris ordinis flore, ac ſenatu duo millia electi: qui mori iuberentur. noui generis edictum. Piget poſt hæc referri ludibrio abdita fata Carbonis, fata Sorani prætoris, atq; Venuleij: Bebium ſine ferro ritu ferarum inter manus laceratum: Marium ducis ipſius fratrem apud Catuli ſepulchrum oculis, manibus, cruribuſq; defoſſis ſeruatum aliquandiu: ut per ſingula membra moreretur: poſitis ſingulorum hominum ferè pœnis. Municipia Italiæ ſplendidiſſima ſub haſta uenierunt, Spoletum, Interamnum, Præneſte, Fluentia. nam Sulmo-

nem uetus oppidum ſocium atq; amicum (facinus indignum) nondum expugnatum, ut obſides iure belli modo, morte damnati duci iubentur: ſic damnatam ciuitatem iuſſit Sylla deleri.

BELLVM SERTORIANVM.

b Bellum Sertorianum quid aliud, quàm Syllanæ proſcriptionis hæreditas fuit? hoſtile potius, an ciuile dixerim, neſcio. quippe quod Luſitani, Celtibériq; romano geſſerint duce. Exul, & profugus feralis illius tabulæ uir ſummæ quidem, ſed calamitoſæ uirtutis malis ſuis maria, terraſq; permiſcuit, etiam Africæ iam, & Balearibus inſulis fortunam expertus. miſſuſq; in Oceanum fortunatas inſulas penetrauit: tandem Hiſpaniam armauit. ubi uir cum uiris facile conuenit. nec aliter magis apparuit hiſpani militis uigor: quàm romano duce. quá quam ille non contentus Hiſpania, ad Mithridatē quoq;, Ponticoſq; reſpexit: regemq; claſſe iuuit. & quid futurum fuit ſatis tanto hoſti? uno imperatore reſiſtere res romana non potuit. Additus Metello Cn. pompeius. hi copias uiri diu, & ancipiti ſemper acie atriuere. Nec tamen prius bello, quàm ſuorum ſcelere, & inſidijs extinctus. Copias eius propè tota Hiſpania perſecuti, diu et ancipiti ſemper acie domitauerunt. Prima per legatos certamina habita. Cum hinc Domitius & cohortes, inde Herculeij proluderent: mox his apud Segoniam, illis apud Anam flumen oppreſſis, ipſi duces comminus inuicē experti apud Lauronem, atq; Sucronem æquauere

clades. Tum illis ad populationem agrorum, his ad urbium excidia conuerſis, miſera inter romanos duces Hiſpania diſcordiæ pœnas dabat. donec oppreſſo domeſtica fraude Sertorio, uicto deditoq; Perpenna, ipſæ quoq; in romanam fidem uenêre urbes, Oſca, Terme, Tutia, Valentia, Auxima, & in fame nihil non experta Calagurtis. Sic recepta in pacem Hiſpania, uictores duces externum id magis, quàm ciuile bellum uidere uoluerunt: ut triumpharent.

BELLVM CIVILE SVB LEPIDO.

M Arco Lepido, Quinto Catulo conſulibus, ciuile bellũ penè citius oppreſſum eſt, quàm inciperet. Sed quantum, lateq; fax illius motus ab ipſo Syllæ rogo exarſit. cupidus nanq; rerum nouarum per inſolentiam Lepidus, acta tanti uiri reſcindere parabat: nec immerito: ſi tamen poſſet ſine magna clade reipublicæ. nam cum iure belli Sylla dictator proſcripſiſſet inimicos, q̃ ſuperãt: reuocante Lepido, q̃d aliud, quàm ad bellum uocabantur? cum damnatorum ciuium bona addicente Sylla, quàm uis male capta, iure tamen, repetitio eorum proculdubio labefactabat compoſitam ciuitatem. Expediebat ergo quaſi ægræ, ſauciæq; reipub. requieſcere quomodocunq;: ne uulnera curatione ipſa reſcinderentur. Ergo cum turbidis contionibus uelut claſſico ciuitatem terruiſſet: profectus in Hetruriam, arma inde, & exercitum urbi admouerat. Sed iam Miluium pontem, collemq; Ianiculũ

Luctatius Catulus, Cn. Pompeius, ſyllanæ dominationis duces, atq; ſigniferi alio exercitu inſederant. à quibus primo ſtatim impetu retropulſus, hoſtisq; à ſenatu iudicatus incruenta fuga in Hetruriam, inde in Sardiniam receſſit: ibiq; morbo, & pœnitentia interijt. Victores, quod non tenuere alijs in ciuilibus bellis: pace contenti fuerunt.

LIBER QVARTVS.

BELLVM CATILINAE.

CATILINAM Luxuria primum, tum hinc conflata egeſtas rei familiaris, ſimul occaſio, quod in extremis finibus mundi arma romana peregrinabantur: in nefaria conſilia opprimendæ patriæ ſuæ compulere: ſenatum confodere: cōſules trucidare: diſtringere incēdijs urbem: diripere ærariū: totam deniq; rempublicam funditus tollere: et quicquid nec Annibal uideretur optaſſe. Quibus id nephas ſocijs aggreſſus eſt? Ipſe patricius: ſed hoc minus eſt. Curij, Portij, Syllæ, Cethegi, Antonij, Varguntei, atq; Longini: quæ familiæ? quæ ſenatus inſignia? Lentulus quoq; tunc maxime prætor hos omnes immaniſſimi facinoris ſatellites habuit. Additum eſt pignus coniurationis ſanguis humanus: quem circunlatum pateris bibêre: ſummum nephas: niſi amplius eſſet, propter quod biberunt. Actum erat de pulcher-

rimo imperio: niſi illa coniuratio in Ciceronem, et Antonium conſules incidiſſet: quorum alter induſtria rem patefecit: alter manu oppreſſit. Tanti ſceleris indicium per Fuluiam emerſit: uiliſſimum ſcortum: ſed parricidij innocens. Conſul Cicero habito ſenatu in præſentem parricidam reum perorauit. ſed non amplius profectum: quàm ut hoſtis euaderet: ſeq; palàm profeſſo, incendium ſuum reſtincturum ruina minaretur. Et ille quidem ad præparatum à Manlio in Hetruria exercitum proficiſcitur, ſigna illaturus urbi. Lentulus deſtinatum familiæ ſuæ ſybillinis uerſibus regnum ſibi uaticinans, ad præſtitutum à Catilina diem urbe tota uiros, faces, tela diſponit: nec ciuili conſpiratione contentus, legatis Allobrogum, qui tum forte aderant: in arma ſollicitatis. Et iſſet ultra Alpes furor: niſi altera proditione Vulturij prætoris literæ tenerentur. Statim Ciceronis imperio iniecta eſt Barbaris manus. Palàm prætor in ſenatu conuincitur. De ſupplicio agentibus, Cæſar parcendum dignitati, Cato animaduertendum pro ſcelere, cenſebat. quam ſententiam ſecutis omnibus, in carcere parricidæ ſtrangulantur. Quamuis parte coniurationis oppreſſa, tamen ab incœpto Catilinam non deſtitit. ſed infeſtis ab Hetruria ſignis patriam petens obuio Antonij exercitu opprimitur. Quàm atrociter dimicatū ſit, exitus docuit. Nemo hoſtium bello ſuperfuit. quem quis in pugnando cœperat locum: eum amiſſa anima, corpore tegebat. Catilina longe à ſuis inter hoſtium cadauera repertus eſt: pulcherrima morte: ſi pro patria ſic concidiſſet.

BELLVM CAESARIS: ET POMPEII.

IAm pene toto orbe pacato, maius erat imperium romanum: quàm ullis externis uiribus extingui poſſet. Itaq; inuidens fortuna principi gentium populo, ipſum illum in exitium ſuum armauit: ac mariana quidē, cinnanáq; rabies intra urbem præcluſerat: quaſi experiretur. Syllana tempeſtas latius intra Italiam tum detonuerat. Cæſaris furor, atq; Pompeij urbem, Italiam, gentes, nationes, totum deniq;, qua patebat, imperium quodam quaſi diluuio, & cum inflammatione corripuit: adeo ut non recte tantum ciuile dicatur, ac ne ſociale quidem, ſed nec externum, ſed potius commune quoddam ex omnibus, & pluſquam bellum. Quippe ſi duces eius inſpicias: totus ſenatus in partibus: Si exercitus: hinc XI legiones: inde XVIII: flos omnis & robur italici ſanguinis: ſi auxilia ſociorum: hinc Gallici, Germaniq; delectus: inde Deiotarus, Ariobarzanes, Tharchon, Dimotus Corinthius, omne Thraciæ, Cappadociæq;, Ciliciæ, Macedoniæ, Græciæ, Italiæ, totiusq; robur orientis: ſi moram belli: quatuor annis: & pro clade rerum breue tempus: ſi locum, & ſpacium, ubi commiſſum eſt: intra Italiam, inde ſe in Galliam, Hiſpaniamq; deflexit: reuerſumq; ab occaſu totis uiribus in Epyro, Theſſaliaq; conſedit: hinc in Aegyptum ſubito tranſilijt: inde reſpexit Aſiam: Africæ incubuit: poſtremo in Hiſpaniam remigrauit: & ibi aliquando defecit.

Sed non & odia partium finita cum bello. non enim prius quieuere: quàm in urbe ipſa medio ſenatu eorũ, q uicti erant: odia uictoris ſeſe cæde ſaciarent. Cauſa tantæ calamitatis eadem, quæ omnium: nimia felicitas. Si quidem Q. Metello, & L. Affranio conſulibus, cum romana maieſtas toto orbe polleret: recentesq; uictorias Ponticos, & Armenios triumphos in pompeianis theatris Roma cantaret: nimia Pompeij potentia apud ocioſos (ut ſolet) ciues mouit inuidiam. Metellus ob imminutum Cretæ triumphum, Cato aduerſus potentes ſemper obliquus, detractare Pompeium: actisq; eius obſtrepere. Hic dolor tranſuerſum egit: & ad præſidia dignitati paranda impulit. Forte tunc Craſſus genere, diuitijs, dignitate florebat: uellet tamen auctiores opes. C. Cæſar eloquentia, & ſpiritu, & iam conſulatu eleuabatur. Pompeius tamen ſuper utrunq; eminebat. Sic igitur Cæſare dignitatem comparare, Craſſo augere, Pompeio retinere cupientibus, omnibusq; pariter potentiæ cupidis, de inuadenda rep. facile conuenit. Ergo cum mutuis uiribus in ſuum quiſq; decus niteretur: Galliam Cæſar inuadit: Craſſus Aſiam: Pompeius Hiſpaniam. Tres maximos exercitus. & iam ſic orbis imperium ſocietate trium principum occupatur. decem annos traxit iſta dominatio. Exinde quoniam mutuo metu tenebantur: Craſſi morte apud Parthos, & morte Iuliæ Cæſaris filiæ, quæ nupta Pompeio, generi, ſocerìq; concordiam matrimonij fœdere tenebat: ſtatim æmulatio erupit. Iã Pompeio ſuſpectæ Cæſaris opes: & Cæſari pompeiana dignitas grauis: nec hic ferebat parem: nec ille ſuperiorẽ. (nefas) ſic de principatu laborabant: tanquam

duos tanti imperij fortuna non caperet. Ergo Lentulo, Marcelloq́; conſulibus, rupta prima Coniurationis fide, de ſucceſſione Cæſaris ſenatus, idemq́; Pompeius agitabat. nec ille abnuebat: ſi ratio ſui proximis comitijs haberetur conſulatus: abſenti quem decem tribus fauente Pompeio nuper decreuerant. tum diſſimulante eodem negabant. ueniret: & peteret maiorum more. Ille contra, flagitare decreta: ac niſi in fide permanerent: non ſe dimiſſurum exercitum. Ergo ut in hoſtem decernitur. His Cæſar agitatus, ſtatuit præmia armorum armis defendere. Prima ciuilis belli arena Italia fuit: cuius arces leuibus præſidijs Pompeius inſederat. ſed omnia ſubito Cæſaris impetu oppreſſa ſunt. Prima Arimino ſigna cecinerunt. Tum pulſus Hetruria Libo: Vmbria Thermus: Domitius Corfinio. & peractum erat bellum ſine ſanguine: ſi Pompeium Brunduſij opprimere, ut cœperat, potuiſſet. Sed ille per obſeſſi clauſtra portus nocturna fuga euaſit. turpe dictu: modo princeps patrum, pacis belliq́; moderator per triumphatum à ſe mare lacerata, & penè inermi naui fugiebat. Nec Pompeius ab Italia, quàm ſenatus ab urbe fugatur prior. quàm penè uacuam metu Cæſar ingreſſus, conſulem ſe ipſe facit. ærarium quoq; ſanctum, quod quia tardius aperiebant Tribuni: iuſſit effringi: cenſumq́;, & patrimonium populi romani ante rapuit: quam imperium. Pulſo, fugatoq́; Pompeio, maluit prius ordinare prouinciā: quàm ipſum ſequi. Siciliam, & Sardiniam Annone pignora per legatos habuit. Nihil hoſtile erat in Gallia: pacem ipſe fecerat. Sed ad hiſpanienſes Pompeij exercitus

tranſeunti per eam duci portas claudere auſa Maſſilia eſt. Miſera, dum cupit pacem: belli metu in bellum incidit. ſed quia tutis muris erat: uinci eam ſibi iuſſit abſenti. græcula ciuitas non pro mollicia nominis, et uallum cædere, & incendere machinas auſa: & congredi nauibus. Sed Brutus, cui mandatum erat bellum: uictos terra, mariq; perdomuit. mox dedentibus ſeſe ablata omnia: præter, quàm potiorem omnibus habebant: libertatem. Anceps, uariumq́;, & cruentum in Hiſpania bellum cum legatis Cn. Pompeij, Petreio, et Afranio. quos Ilerdæ caſtra habentes apud Sycorim amnem obſidere, & ab oppido intercludere aggreditur. Interim ab undatione uerni fluminis commeatibus prohibet. ſic fame caſtra tentata ſunt: obſeſſorq́; ipſe quaſi obſidebatur. Sed ubi pax fluminis redit: populationibus & pugna campos aperuit. iterum ferox inſtat. & cedentes ad Celtiberiam conſecutus, aggere, & uallo, & per hæc ſiti ad deditionem compulit. Sic citerior Hiſpania recepta eſt. nec ulterior moram fecit. quid enim una poſt quinq; legiones? Itaq; ultro cedente Varrone, Gades, fretum, oceanus, omnia felicitatem Cæſaris ſequebãtur. Aliquid tamen aduerſus abſentem ducem auſa fortuna eſt circa Illyricum, & Africam: quaſi de induſtria proſpera eius aduerſis raderentur. Quippe cum fauces Adriatici maris iuſſi occupare Dolobella, & Antonius, ille Illyrico, hic Corcyræo litore caſtra poſuiſſent: iam maria late tenente Pompeio, repente caſtra legatus eius Octauius Libo ingentibus copijs claſſicorum utrunq; circumuenit. deditionem fames extorſit Antonio. Miſſæ quoq; à Baſilo in auxilium eius rates, qua

les inopia nauium fecerat noua pompeianorum arte Cilicum: actis ſub mare funibus captæ quaſi per indaginem. duas tamen æſtus explicuit. una, quæ Opitergi-nos ferebat: in uadis hæſit: memorandumq́; poſteris exitum dedit. quippe uix mille iuuenum manus circunfuſi undiq; exercitus per totum diem tela ſuſtinuit: & cum exitum uirtus non haberet: tamen, ne in deditionem uenirent: hortante tribuno Vulteio mutuis ictibus in ſe concurrit. In Africa quoq; par & uirtus, & calamitas Curionis fuit: qui ad recipiendam prouinciam miſſus, pulſo fugatoq́; Varrone iam ſuperbus, ſubitum Iubæ Regis aduentum, equitatumq́; Maurorum ſuſtinere non potuit. Patebat uicto fuga. ſed pudor ſuaſit: ut amiſſum ſua temeritate exercitum morte ſequeretur. Sed iam debitum pari fortuna flagitante, ſedem bello Pompeius Epiron elegerat. Nec Cæſar moratus. quipe ordinatis à tergo omnibus, quamuis hyems media prohiberet tempeſtate: ad bellum nauigauit. poſitisq́; ad Oricum caſtris, cũ pars exercitus ob inopiam nauium cum Antonio dimiſſa Brunduſij moram faceret: adeo impatiens erat: ut ad acerſſendos eos, ardente uentis mari, nocte concubia ſpeculatorio nauigio ſolus ire temptauerit. Extat ad trepidum tanto diſcrimine gubernatorem uox ipſius. Quid times? Cæſarem uehis. Contractis in unum undiq; omnibus copijs, poſitisq́; cominus caſtris, diuerſa erant ducum conſilia. Cæſar pro natura ferox, & conficiendæ rei cupidus, oſtentare aciem: prouocare: laceſſere nunc obſidione caſtrorum: quæ erant ſexdecim millium uallo obducta: (ſed quid his obeſſet obſidio: qui patente mari omnibus copijs abundarent? (nunc expugnatione Dyr-

rachij irrita: quippe quam uel ſitus inexpugnabilem faceret: ad hoc aſſiduis in eruptionem hoſtiū prælijs. quo tempore egregia uirtus Scæuæ Centurionis emicuit: cuius in ſcuto centum, atq; uiginti tela ſedêre. Iam uero direptione urbium ſociarum cum Oricum, & Gomphos, & alia caſtella Teſſaliæ uaſtarent: Pompeius aduerſus hæc nectere moras: terguerſari ſimul: ut hoſtem interclusum undiq; inopia commeatuum terreret: utq; ardentiſſimi ducis conſeneſceret impetus. Nec diutius profuit duci ſalutare conſilium. Milites otium, ſocij moram, principes ambitum ducis increpabant. Sic præcipitantibus fatis prælio functa eſt Theſſalia: & Philippicis campis urbis, imperij, generis humani fata commiſſa ſunt. Nunquam ullo loco tantum uirium populi romani, tantum dignitatis fortuna uidit. trecenta amplius millia hinc, & illinc, præter auxilia Regum, & ſenatus. nunquam immmnentis ruinæ manifeſtiora prodigia. fuga uictimarum exanima: inſignes interdiu tenebræ. Dux ipſe, & nocturna imagine theatri ſui audiens plauſum in modum planctus circunſonare: & mane cum pullo amiculo (nefas) apud principia conſpectus eſt. Nunquam acrior, neque alacrior exercitus Cæſaris fuit. Inde claſſica prius: inde tela. annotatum quoq; committentis aciem Craſtini pilum: qui mox adacto in os gladio ſic inter cadauera repertus libidinem ac rabiem, qua pugnauerat: ipſa nouitate uulneris præferebat. Sed nec minus admirabilior illius exitus belli. Quippe cum Pompeius adeo equitum copia abundaret: ut facile circumuenturus ſibi Cæſarem uideretur: circumuentus ipſe eſt. nam cum diu æquo marte con=

tenderet: iuſſuq; Pompei fuſus à cornu erupiſſet equitatus: repente hic ſigno dato germano cohortes tantum in effuſos equites fecere impetum: ut illi eſſe pedites, ij uenire in equis uiderentur. Hanc ſtragem fugientis equitatus leuis armaturæ ruina comitata eſt. Tunc terrore latius dato, turbantibus inuicem copijs, reliqua strages quaſi una manu facta eſt. Nec ulla res magis exitio fuit: quàm ipſa exercitus magnitudo. Multus in eo prælio Cæſar fuit: mediuſq; inter imperatorem, & militem. uoces quoque obequitantis exceptæ: altera cruenta, ſed docta, & ad uictoriam efficax: Miles, faciem feri: altera ad iactationem compoſita: Parce ciuibus. cum ipſe ſequeretur. Felicem utcunque in malis Pompeium: ſi eadem ipſum, quæ exercitum eius, fortuna traxiſſet. ſuperſtes dignitati ſuæ uixit: ut cum maiore dedecore per Theſſalica Tempe equo fugeret: pulſus in deſerto Ciliciæ ſcopulo fugam in Parthos, Africam, uel Aegyptum agitaret: ut denique in pelusiaco litore imperio uiliſſimi Regis, conſilijs ſpadonum, & nequid malis deſit: Septimij deſertoris ſui gladio trucidatus ſub oculis uxoris ſuæ, liberorumq; moreretur. Quis non peractum eſſe cum Pompeio crederet bellum? atqui acrius multo, atq; uehementius Theſſalici incendij cineres recaluere: & in Aegypto quidem aduerſus Cæſarem ſine partibus bellum. Quippe cum Ptolemæus Rex Alexandriæ ſummũ ciuilis belli ſcelus peregiſſet: fœduſq; amicitiæ cum Cæſare medio Pompeij capite ſanxiſſet: ultionem clariſſimi uiri manibus quærente fortuna, cauſa non defuit. Cleopatra Regis ſoror affuſa Cæſaris genibus partem regni

repoſcebat. Aderat puellæ forma: & quæ duplicaretur ex illo: quod talis paſſa uidebatur iniuriam: odium ipſius Regis: qui Pompeij cædem partium fato, non Cæſari dederat, haud dubie idem in ipſum auſurus: ſi expediſſet. Quam ubi Cæſar reſtitui iuſſit in regnum: ſtatim ab eiſdem percuſſoribus Pompeij obſeſſus in regia, quã uis exigua manu, ingentis exercitus molem mira uirtute ſuſtinuit. ac primum ædificiorum proximorum, atq; naualium incendio infeſtorum hoſtium tela ſubmouit. mox peninſulam Pharon ſubitus euaſit. inde depulſus in maria, mira felicitate ad proximam claſſem enatauit: relicto quidem in fluctibus paludamento, ſeu fato, ſeu conſilio: ut illud ingruentibus hoſtium telis, ſaxisq; peteretur. Tamen receptus à claſſicis ſuis undiq; ſimul hoſtes adortus de imbelli, ac perfida gente iuſta generi manibus dedit. quippe & Theodotus magiſter author totius belli, &, ne uirilia quidem portenta, Photinus, atq; Ganymedes, diuerſi per mare & transfugio, & morte, comſumpti. Regis ipſius corpus obrutum in limo repertũ eſt in aureæ loricæ honore. In Aſia quoq; nouus rerum motus à Ponto: planè quaſi de induſtria captante fortuna hũc mithridati regno exitum: ut à Pompeio pater, à Cæſare filius uinceretur. Rex Pharnaces magis diſcordiæ noſtræ fiducia, quàm uirtutis ſuæ, infeſto in Cappadociam agmine ruebat. Sed hunc Cæſar aggreſſus, uno, et (ut ſic dixerim) non toto prælio obtriuit: more fluminis: quod uno, eodem'q; momento uenit, percuſſit, abſceſſit. Nec uana de ſe prædicatio eſt Cæſaris: ante uictum hoſtem eſſe, quàm uiſum. Sic cum exteris. At in Africa cum ciuibus multo atrocius, quàm in Pharſalia.

in Pharſalia. Huc reliquias partium naufragi quidam furoris æſtus expulerat. nec reliquias diceres: ſed integrum bellum. Sparſæ magis, quàm oppreſſæ uires erát. Auxerat ſacramentum ipſa clades imperatoris. Nec degenerabat ducum ſucceſſio. quippe ſatis ample ſonabant in Pompeiani nominis locum, Cato & Scipio. Acceſſit copijs Mauritanius Rex Iuba: uidelicet ut latius uinceret Cæſar. Nihil ergo inter Pharſaliam, & Thapſon: niſi quod amplior, eoq; acrior Cæſarianorum impetus fuit, indignantium poſt Pompeium creuiſſe bellum: deniq; quod aliter nunquam ante imperium ducis ſua ſpóte ſigna cecinerunt. Strages à Iuba cœpit. Et elephanti bellorum rudes, & nuper à ſylua conſternati ſubito clangore: ſtatim & exercitus in fugam: & duces fortius, quàm ut effugerent: non in conſpicua tamen morte omnium. Iam Scipio naue fugiebat: & aſſecutis hoſtibus, gladium per uiſcera exegit: & ubi eſſet quodam requirente, reſpondit hoc ipſum. Bene ſe habet imperator. Iuba cum ſe recepiſſet in regiam: magnifice epulatus, poſtero die cum Petreio fugæ comite, ſuperq; menſas & pocula interficiendum ſe ei præbuit. Ille & Regi ſuffecit: & ſibi: cum interim ſemeſi in medio Cyphi, & parentalia fercula regio ſimul, romanoq; ſanguine madebant. Cato non interfuit bello: poſitisq; Bragadam caſtris, Vticam uelut altera Africæ clauſtra ſeruabat. ſed accepta partium clade nihil cunctatus (ut ſapiente dignum erat) mortem etiam lætus acciuit. Nam poſtquá filium, comitesq; ab amplexu dimiſit: in nocte lecto ad lucernam Platonis libro, qui immortalitatem animæ docet: paulum quieuit. tum circa primam uigiliam ſtri-

cto gladio reuelatum manu pectus ſemel,iterumq́; percuſſit. Auſi poſt hoc uirum medici uiolare fomentis. Ille paſſus,dum abſcederent:reſcidit plagas:ſecutaq́; uis ſanguinis moribundas manus in ipſo uulnere reliquit.

Quaſi non eſſet uſquam dimicatum:ſic arma rurſus, & partes. quantoq́; Africa ſupra Theſſaliam fuit: tanto Africam ſuperabat Hiſpania: plurimum quantum fauoris partibus dabat fraternitas ducum: et pro uno duos ſtare Pompeios. Itaque nuſquam atrocius,nec tam ancipiti marte concurſum eſt. Primum in ipſo oſtio Oceani Varus,Didiusq́; legati conflixere. Sed acrius fuit cum ipſo mari,quàm inter ſe,nauibus bellum.ſiquidem uelut furorem ciuium caſtigaret Oceanus:utranq; claſſem naufragio cecidit. Quinam ille horror?cum eodem tempore fluctus,procellæ,armamenta confligerent?adde ſitus ipſius,formidinem uergentia in unum,hinc Hiſpaniæ,inde Mauritaniæ litora:mare & inteſtinum,& externum:imminenteisq́; Herculis ſpeculas:cum omnia undiq; ſimul prælio,& tempeſtate ſæuirent.Mox circa obſidiones urbium utrinq; diſcurſum eſt:quæ miſeræ inter hos,atq; illos duces ſocietatis romanæ pœnas dabant. Omnium poſtrema certaminum Munda.Hic non pro cætera felicitate ,ſed anceps,& diu triſte prælium:ut planè uideretur neſcio quid deliberare fortuna.ſanè & ipſe ante aciem mœſtior non ex more Cæſar,ſiue reſpectu fragilitatis humanæ,ſiue nimiam proſperorum ſuſpectam habens continuationem,uel eadem timens:poſtquam idem eſſe cœperat:quod Pompeius.Sed in ipſo prælio,quod nemo unquam meminerat:cum diu pari marte acies nihil aliud,

quàm occiderent: in medio ardore pugnantium ſubito ingens inter utroſq; ſilentium. quaſi conueniſſent: hic omnium ſenſus erat. nouiſſime illud inuſitatum Cæſaris oculis. (nephas) poſt XIIII annos probata ueteranorum manus gradum retro dedit. quod & ſi nondum fugerat: apparebat tamen pudore magis, quàm uirtute reſiſtere. Itaq; ablegato equo ſimilis furenti primam in aciem procurrit. Ibi prenſare fugientes: confirmare: per totum deniq; agmen oculis, manibus, clamore uolitare. Dicitur in illa perturbatione, & de extremis agitaſſe ſecum: & ita manifeſto uultu fuiſſe: quaſi occupare manu mortem uellet: niſi cohortes hoſtium quinq; per tranſuerſam aciẽ actæ, quas Labienus periclitantibus caſtris præſidio miſerat: fugæ ſpeciẽ præbuiſſent. Hoc aut ipſe credidit: aut dux callidus attribuit in occaſionẽ: et quaſi fugientẽ inuectus, ſimul et ſuorũ erexit animos: et hoſtes ꝑculit. nam ij, dũ ſe putant uincere: fortius ſequi, inde pompeiani, dum fugere credunt ſuos: fugere cœperunt. Quanta fuerit hoſtium cædes, ira, rabieſq; uictoribus: ſic exiſtimari poteſt. Hoc à prælio profugi cum ſe Mũdæ recepiſſent: & Cæſar obſideri ſtatim uictos imperaſſet: congeſtis cadaueribus agger effectus eſt: quæ pilis, iaculiſq; confixa inter ſe tenebantur: fœdũ etiã inter Barbaros. ſed uidelicet uictoriam deſperantibus Pompeij liberis, Cneum prælio profugum, crure ſaucio deſerta & auia petentem Cenonius apud Lauronem oppidum conſecutus, pugnantem nondum deſperantem interficit. Sextum fortuna in Celtiberia interim abſcõdit: alijſq; poſt Cæſarẽ bellis reſeruauit. Cæſar in patriã uictor inuehitur. Primũ de Gallia triumphũ tranſmiſerat Rhenus,

Rhodanus, & ex auro captiuus Oceanus. Altera laurus Aegyptia tunc in ferculis Nilus, Arſinoe, & ad ſimulachrum ignium ardens Pharus. Tertius de Pharnace currus, & Ponto. Quartus Iubam, & Mauros, et his ſubactam oſtendebat Hiſpaniam. Pharſalia, et Thapſos, & Munda nuſquam. & quanto maiora erant, de quibus non triumphabat? Hic aliquando finis armis fuit. Reliqua pax incruenta: penſatumq́; clementia bellum. nemo cæſus imperio: præter Afraniũ. ſatis ignouerat ſemel. & Fauſtum Syllam didicerat generoſum timere: filiamq́; Pompeij cum patruelibus ex Sylla. hic poſteris cauebatur. Itaq; non ingratis ciuibus, omnes unum in principem congeſti honores: circa templa imagines: in Theatro diſtincta radijs corona: ſuggeſtus in curia: faſtigium in domo: menſis in cœlo: ad hoc pater ipſe patriæ: perpetuusq́; dictator: nouiſſime, dubium an ipſo uolente, oblata pro roſtris ab Antonio conſule regni inſignia. Quæ omnia uelut infulæ in deſtinatam morti uictimam congerebantur. quippe clementiam principis uicit inuidia: grauiſq; erat liberis ipſa beneficiorũ potentia. Nec diutius dilatio donata eſt. ſed Brutus, & Caſſius, aliiq; patricij conſenſerunt in cædem principis. Quanta uis fati. Manauerat late coniuratio: libellus etiam Cæſari datus eodem die. nec perlitare centum uictimis potuerat. uenit in curiam, tamen expeditionem parthicam meditans. ibi in curuli ſedentem eum ſenatus inuaſit: tribuſq; & uignti uulneribus ad terram datus eſt. Sic ille, qui terrarũ orbem ciuili ſanguine impleuerat: tandem ipſe ſanguine ſuo curiam impleuit.

CAESAR AVGVSTVS.

P Opulus romanus Cæſare, & Pompeio trucidatis, rediſſe in ſtatum priſtinæ libertatis uidebatur. & redierat: niſi aut Pompeius liberos, aut Cæſar hæredem reliquiſſet: uel, quod utroq; pernicioſius fuit: ſi non collega quondam, mox æmulus Cæſarianæ potentiæ, fax & turbo ſequentis ſeculi, ſuperfuiſſet Antonius. Quippe dum Sextus paterna repetit: trepidatum toto mari: dum Octauius mortem patris ulciſcitur: iterum fuit mouenda Theſſalia: dum Antonius uarius ingenio, aut ſucceſſorem Cæſaris indignatur Octauium: aut amore Cleopatræ deſciſcit in regem. nam aliter ſaluus eſſe non potuit: niſi confugiſſet ad ſeruitutem. Gratulandum tamen in tanta perturbatione eſt: quod potiſſimum ad Octauiũ Cæſarem Auguſtum ſumma rerum rediјt: qui ſapientia ſua atq; ſolertia perculſum undiq;, & perturbatum ordinauit imperij corpus. quod ita haud dubie nunquã coire, & conſentire potuiſſet: niſi unius præſidis nutu, quaſi anima & mente regeretur. Marco Antonio, & Publio Dolobella conſulibus, imperium romanum iam ad Cæſares transferente fortuna, uarius & multiplex motus ciuitatis fuit: quodq; in annua cœli conuerſione fieri ſolet: ut mota ſydera tonent: ac ſuo flexu tempeſtatem ſignificent: ſic cum romanæ dominationis, ideſt humani generis conuerſione penitus intremuit: omniq; genere diſcriminum ciuilibus terreſtribus, ac naualibus bellis omne imperij corpus agitatum eſt.

LVCII FLORI
BELLVM MVTINENSE.

p Rima ciuilium motuum cauſa teſtamentum Cæſaris fuit. cuius ſecundus hæres Antonius prælatum ſibi Octauium furens, inexpiabile contra adoptionem acerrimi iuuenis ſuſceperat bellum. quippe cum intra decem & octo annos tenerum, obnoxium, & opportunum iniuriæ iuuenum uideret: ipſe planè & conuitijs Cæſaris dignitatem, et furtis hæreditatem lacerare: ipſum inſectari probris. & cunctis artibus cooptationem Iuliæ gentis cum inhibere non deſineret: deniq; ad deprimendum iuuenem palàm arma moliri: & parato exercitu in Ciſalpina Gallia reſiſtentem motibus ſuis Decium Brutum obſidebat. Octauius Cæſar ætate, & iniuria fauorabilis, & nominis maieſtate, quod ſibi induerat: reuocatis ad arma Veteranis, priuatus (quis crederet?) conſulem aggreditur. obſidione Mutinæ liberat Brutum: Antonium exuit caſtris. Tum etiam manu pulcher apparuit. nam cruentus, & saucius aquilam à moriente ſignifero traditā ſuis humeris in caſtra referebat.

TRIVMVIRATVS.

c Vm ſolus etiam grauis paci, grauis reipublicæ eſſet Antonius: quaſi ignis incendio Lepidus acceſſit: quia contra duos exercitus neceſſe fuit uenire in cruentiſſimi fœderis ſocietatem. diuerſa omnium uoto incendia, Lepidum diuitiarum cupido, quarum ſpes ex turba-

tione reipublicæ: Antonium ultiones de his, qui ſe hoſtem iudicaſſent: Cæſarem inultus pater, & manibus eius graues Caſſius, & Brutus agitabant. In hoc uelut fœdus pax inter tres duces componitur. apud confluentes inter Peruſiam, & Bononiam iungunt manus: & exercitus conſalutant. Nullo bono more triumuiratus inuaditur. Oppreſſa armis republica, redit ſyllana proſcriptio: cuius attrocitas nihil in ſe minus habet: quàm numerũ CXL ſenatorum. exitus fœdi, truces, miſerabiles toto terrarum orbe fugientium. pro quibus quis pro indignitate rei nõ ingemiſcat? cum Antonius concedente Cæſare auunculum ſuum, Lepidus Lutium Paulum ſuum fratrem proſcripſerit? Romæ capita cæſorum proponere in roſtris, iam uſitatum erat. Verum ſic quoq; ciuitas lachrymas tenere non potuit: cum reſciſſum Ciceronis caput in illis ſuis roſtris uideretur: nec aliter ad uidendum eum, quàm ſolebat ad audiendum concurreretur. Hæc ſcelera in Antonij, Lepidiq; tabulis. Cæſar percuſſoribus patris contentus fuit. Hæc quoq;, niſi multa fuiſſet: etiam iuſta cædes haberetur.

BELLVM CASSII, ET BRVTI.

b Rutus, et Caſſius ſic Cæſarẽ, quaſi Tarquinium Regem depuliſſe regno uidebantur. ſed libertatẽ, quam maxime reſtitutam uoluerunt: illo ipſo parricidio perdidere. Igitur cæde perfecta, cum ueteranos Cæſaris nec immerito timerent: ſtatim e curia in Capitoliũ confugerant. Nec illis ad ultionem deerat animus: ſed ducem non habe-

bant. Igitur cum appareret quæ ſtrages reip. immineret: diſplicuit ultio cum conſulis abolitione decreta. ne tamen publici doloris oculos ferrent: in prouincias ab illo ipſo, quem occiderant, Cæſare datas, Syriam, & Macedoniam conceſſerant. Sic uindicta Cæſaris delata potius, quàm oppreſſa eſt. Igitur ordinata magis ut poterat, quàm ut decebat, in Triumuiros republica, relicto ad urbis præſidium Lepido, Cæſar cum Antonio in Caſſium, Brutumq; ſuccingitur. Illi comparatis ingentibus copijs, eãdem illam, quæ fatalis Cn. Pompeio fuit: arenam inſederant. Sed nec tum imminentia cladis deſtinatæ ſigna latuere. nam & aſſuetæ cadauerum pabulo uolucres caſtra quaſi iam ſua circũuolabãt. In acie prodeuntibus obuius ethiops nimis aperte ferale ſignum fuit. ipſiq; Bruto per noctem cum illato lumine ex more aliqua ſecum agitaret: atra quædam imago ſe obtulit: & quæ, cum eſſet interrogata: tuus, inquit, malus Genius. hoc dixit: & ſub oculis mirantis euanuit. Pari in meliora præſagio in Cæſaris caſtris omnia aues, uictimæq; promiſerant. Sed nihil illo præſentius: quàm Cæſaris medicus ſomnio admonitus: ut Cæſar caſtris excederet: quibus capi imminebat: ut factum eſt. acie nãq; commiſſa cum pari ardore aliquandiu dimicatum foret: & quamuis duces non eſſent tunc præſentes: cum alterum corporis ægritudo, illum metus & ignauia ſubduxiſſent: ſtaret tamen pro partibus inuicta fortuna & ultoris, & qui uindicabatur: primum adeo anceps fuit, & par utrunq; diſcrimen: ut exitus prælij docuit. Capta ſunt hinc Cæſaris caſtra: inde Caßij. Sed quanto efficatior eſt fortuna, quàm uirtus? & quàm uerum

eſt, quod moriens efflauit? non in re, ſed & in uerbo tantum eſſe uirtutem. Victoriam illi prælio error dedit. Caſſius inclinato cornu ſuorum cum captis Cæſaris caſtris rapido impetu recipientes ſe equites uideret: fugere arbitratus, euadit in tumulum. inde puluere & & ſtrepitu, etiam nocte uicina eximentibus geſtæ rei ſenſum cum ſpeculator quoq; in id miſſius tardius renũciaret: tranſactum de partibus ratus, uni ex proximis auferendum præbuit caput. Brutus cum in Caſſio etiã ſuum animum perdidiſſet: nequid ex conſtituti fide reſtgnaret: (ita enim par ſupereſſe bello conuenerat) ipſe quoq; uni comitum ſuorum confodiendum præbuit latus. Quis ſapientiſſimos uiros non miretur ad ultimum non ſuis manibus uſos? niſi hoc quoq; ex perſuaſione non defuit: ne uiolarent manus: ſed in abolitione ſanctiſſimarum, pientiſſimarumq; animarum iudicio ſuo ſcelere alieno uterentur.

BELLVM PERVSINVM.

Alterum bellum concitauit agrorum diuiſio: quos Cæſar ueteranis in caſtris preciũ militiæ perſoluebat. Semper aliter Antonij peſſimum ingenium gladio cincta uirilis militiæ uxor agitabat. Ergo depulſos agris colonos incitando, iterum in arma ierat. Hic uero iam non priuatis, ſed totius ſenatus ſuffragijs iudicatũ hoſtem Cæſar aggreſſus intra Peruſiæ muros redegit: cópulitq; ad extrema deditionis turpi, & nihil non experta fame.

BELLVM CVM SEXTO POMPEIO.

Vblatis percuſſoribus Cæſaris, ſupererat
s Pompeij domus. Alter iuuenum in Hiſpa
nia ociderat: alter fuga euaſerat. contra-
ctiſq; infelicis belli reliquijs, cum inſuper
ergaſtula armaſſet: Siciliam, Sardiniamq; habebat. Iam
& claſſe medium mare inſederat: o' quàm diuerſus à
patre. Ille Cilicas extinxerat: hic ſecum pyratas nauales
agitarat. Tanta mole belli penitus in Siculo freto iuue-
nis oppreſſus eſt. magniq; famam ducis ad inferos ſecum
tuliſſet: ſi nihil tentaſſet ulterius: niſi, quod magnæ indo
lis ſignum eſt: ſperare ſemper. perditis enim rebus pro
fugit: Aſiamq; uelis petit, uenturus ibi in manus hoſtiũ,
& cathenas, et, quod miſerrimum eſt fortibus uiris: ad
hoſtium arbitriũ ſub percuſſore moriturus. Non alia poſt
Xerxem miſerabilior fuga. quippe modo trecentarum
quinquaginta nauium dominus cum ſex, ſeptem'ue fu
giebat, extincto prætoriæ nauis lumine, annulis in ma
re obiectis pauens atq; reſpectans, & tamen non ti-
mens ne periret.

BELLVM PARTHICVM DVCE VENTIDIO.

Vamuis in Caſſio, & Bruto partes ſuſtu-
q liſſet: in Pompeio totum partium nomen
aboleſſet: nondum tamen ad pacis ſtabili-
tatem profecerat Cæſar: cum ſcopulus &

modus, & in ora publicæ ſecuritatis ſupereſſet Antonius. Nec ille defuit uitijs quin periret: immo omnia expertus, ambitu & luxuria primum hoſtes, deinde ciues, tandem etiam terræ ſeculum liberauit. Parthi clade Craſſiana altius animos erexerant: ciuilesq́; populi romani diſcordias læti acceperant. Itaq; ut prima affulſit occaſio: non dubitauerunt erumpere: ultro quidem inuitante Labieno: qui miſſus à Caſſio, Brutoq́; (qui furor ſcelerum?) ſollicitauerat hoſtes in auxiliũ. Et illi Pacoro duce, regio iuuene, diſſipant Antoniana præſidia. Caſca legatus ne ueniret in poteſtatem, à gladio ſuo impetrauit. Deniq; ablata Syria emanabat latius malum: hoſtibus ſub auxilij ſpem ſibi uincentibus: niſi Ventidius, & hic legatus Antonij, incredibili felicitate & Labieni copias, ipſumq́; Pacorum, et omnem Parthicum equitatum toto inter Orontem, & Euphratem ſinu late cecidiſſet. Viginti amplius millium fuit: nec ſine conſilio ducis. qui ſimulato metu adeo paſſus eſt caſtris ſuccedere: donec aſſumpto iactus ſpacio adimeret uſum ſagittarum. Rex fortiſſime dimicans cecidit. Mox circumlato eius per urbes, quæ deſciuerant, capite, Syria ſine bello recepta. Sic Craſſianam cladem Pacori cæde penſauimus.

BELLVM PARTHICVM CVM ANTONIO.

E Xpertis inuicem Parthis, atq; Romanis, cum Craſſus, atq; Pacorus utrinque uirium mutuarum documenta feciſſent: pari rurſus reuerẽtia integrata amicitia. Et

quidem ab ipſo fœdus Antonio cum Rege percuſſum: ſed immenſa uanitas hominis, dum titulorum cupidine Araxem, & Euphratem ſub imaginibus ſuis legi concupiſſet: neq; cauſa, nec conſilio, ac ne imaginaria quidē belli conditione, quaſi hoc quoq; ex arte ducis eſſet obrepere: relicta repente Syria in Parthos impetum facit. Gens præter armorum fiduciam ſimulat trepidationem, & in campos fugam. Hic ſtatim quaſi uictor ſequebatur: cum ſubito nec magna hoſtium manus ex improuiſo & in feſſos uia ſub ueſpere uelut nimbus erupit: & miſſis undiq; ſagittis duas legiones operuerunt. Nihil acciderat in comparationem cladis: quæ in poſterum diem immunebat: niſi interueniſſet deûm miſeratio. Vnus ex clade Craſſiana Parthico habitu caſtris adequitat: & ſalute latine data, cum fidem ipſo feciſſet: quid immineret docuit: iam affuturum cum omnibus copijs Regem: irent retro: peterent'q; montes: ſic quoq; hoſtem fortaſſe non defore. atq; ita ſecuta eſt minor uis hoſtium, quàm immmebat. Adfuit tamen: deletæ'q; reliquæ copiæ forent: niſi urgentibus telis in modum grandinis quadam ſorte quaſi docte procubuiſſent in genua milites: & elatis ſuper capita ſcutis, cæſorum ſpeciem præbuiſſent. Tum Parthus arcus inhibuit. deinde Romani cum ſe rurſus extuliſſent: adeo res miraculo fuit: ut unus ex barbaris miſerit uocem. Ite: & bene ualete Romani. merito uos uictores fama gentiū loquitur: qui Parthorum tela fugiſtis. Non minor ex aqua poſtea, quàm ab hoſtibus excepta clades. Infeſta primum ſiti regio: cum quibuſdam Salmacidis fluuius infeſtior, nouiſſimé'q;, cum ab inualidis & auide hauriebatur.

noxiæ etiam dulces fuere. Mox & ardores per Armeniam, & niues per Cappadociam, & utriuſq; cœli ſubita mutatio pro peſtilentia fuit. Sic uix tertia parte de XVI legionibus, reliqua cum argentum paſſim dolabris concideret: & ſubinde inter moras mortem à gladiatore ſuo flagitaſſet: egregius imperator tandem profugit in Syriam. ubi incredibili quadam mentis uecordia ferocior aliquanto factus eſt: quaſi uiciſſet: qui euaſerat.

BELLVM CVM ANTONIO, ET CLEOPATRA.

FVror Antonij quatinus per ambitum nō interiret: & luxu, & libidine extinctus eſt. quippe poſt Parthos cum exoſus arma, in ocio ageret: captus amore Cleopatræ, quaſi bene geſtis rebus in regio ſe ſinu reficiebat. Hæc mulier Aegyptia ab ebrio imperatore precium libidinum romanum imperium petit: & promiſit Antonius: quaſi facilior eſſet Partho romanus. Igitur dominationem parare: nec tacite: ſed patriæ, nominis togæ, faſciū oblitus, totus in monſtrum illud, ut mente, ita animo quoq;, cultúq; deſciuerat. Aureum in manu baculum, ad latus, & in acie purpurea ueſtis, ingentibus obſtricta gemmis diadema aderat: ut Regina Rex ipſe frueretur. Ad primam nouorum motuum famam Cæſar à Brundūſio traiecerat: ut uenienti bello occurreret: poſitísq; caſtris in Epyro, Leucadem inſulam, montemq; Leucadem, & Ambracij ſinus cornua, in-

feſta claſſe ſuccinxerat. Nobis CCCC amplius naues: CC, non minus hoſtium. ſed numerum magnitudo pẽſabat. quippe à ſenis in nouenos remorum ordines, ad hæc turribus, atq; tabulatis alleuatæ caſtellorum et urbium ſpecie, non ſine gemitu maris, et labore uentorum ferebantur: quæ quidem ipſa moles exitio fuit. Cæſaris naues à triremibus in ſenos nec amplius ordines creuerant. Itaq; habiles in omnia, quæ uſus poſcebat ad impetus, & recurſus, flexuſq; capiendos illas graueis, & ad omnia præpeditas ſingulas plures adortæ miſſilibus ſimul, tum roſtris, ad hoc ignibus iactis ad arbitriũ diſſipauere. Nec ulla re magis hoſtilium copiarum apparuit magnitudo: quàm poſt uictoriam. quippe immenſa claſſis naufragio belli facto toto mari ferebatur: Arabumq;, & Sabeorum, & mille aliarum gentium Aſiæ ſpolia, purpuram, aurumq; in ripam aſſidue mota uentis maria reuomebant. Prima dux fugæ Regina cum aurea puppe, ueloq; purpureo ſe in altum dedit: mox ſecutus Antonius. Sed inſtare ueſtigijs Cæſar. itaq; nec præparata in Oceanum fuga, nec munita præſidijs utraq; Aegypti cornua, Parethonium, atq; Peluſium profuere. propè manu tenebantur. Prior ferrum occupauit Antonius. Regina ad pedes Cæſaris prouoluta tentauit oculos ducis fruſtra. nam pulchritudo intra pudicitiam principis fuit. Nec illa de uita, quæ offerebatur: ſed de parte regni laborabat. quod ubi deſperauit à principe: ſeruariq; ſe triumpho uidit: incautiorem nacta cuſtodiam, in mauſeolum ſe (ſepulchra Regum ſic uocant) recepit. ubi maximo (ut ſolebat) induta cultu in differto odoribus ſolio iuxta ſuum ſe collocauit Antonium:

admotiſq; ad uenas ſerpentibus ſic morte, quaſi ſo=mno ſoluta eſt.

BELLA ADVERSVS GENTES EXTERAS.

Hic finis armorum ciuilium. Reliqua aduerſus exteras gentes: quæ diſtricto circa mala ſua imperio diuerſis orbis oris emicabant. noua quippe pax: nec dum aſſuetæ frenis ſeruitutis tumidæ gentium, inflatæq; ceruices ab impoſito nuper iugo reſiliebant. Ad ſeptentrionem conuerſa fermè plaga ferocius agebat. Norici, Illyrij, Pannonij, Dalmatæ, Myſij, Thraces, & Daci, Sarmatæ, atq; Germani. Noricis animos dabant alpes, atq; niues: quod bellum non poſſet aſcendere. Sed omnes illius cardinis populos Brennos, Senones, atq; Vindelicos per priuignum ſuum Claudium Druſum pacauit. Quæ fuerit callidarum gentium feritas, facile uel mulieres oſtendêre: quæ deficientibus telis infantes ipſos afflictos humo in ora militum aduerſa miſerunt. Illyrij quoq; ſub Alpibus agunt: imaſq; ualles earum, & quædam quaſi clauſtra cuſtodiunt, abruptis torrentibus implicati. In hos expeditionẽ ipſe ſumpſit: fieriq; pontem imperauit. Hic ſe & aquis et hoſte turbantibus, cunctanti ad aſcenſum militi ſcutum de manu rapuit: & in uia primus tunc agmine ſecuto, cum Illyricus multitudine pontem ſuccidiſſet: ſaucius manibus, ac cruribus ſpecioſiore ſanguine, & ipſo periculo auguſtior terga hoſtium cecîdit.

Pannonij duobus ſaltibus, ac tribus fluuijs, Dra-

no, Sauo, Hiſtroq́; uallantur. Populati proximos, intra ripas ſe recipiebant. In hos domandos Vibium miſit. cæſi ſunt in utriſq; fluminibus. Arma uictorum non ex more belli cremata, ſed capta ſunt: & in profluentes data: ut cæteris, qui reſiſtebant: uictoria ſic nunciaretur.
Dalmatæ plerunq; ſub ſyluis agunt, inde ad latrocinia promptiſſimi. Hos iam quidem Marius incenſa urbe Delminio quaſi detrũcauerat. poſtea Aſinius Pollio gregibus, armis, agris mulctauerat. hic ſecundus Orator. Sed auguſtus perdomandos Vibio mandat. qui efferum genus fodere terras coegit: aurumq́; uenis repugnare: quod alioquin gens omnium cupidiſſima ſtudioſa diligentia acquirit: ut illud in uſus ſuos ſeruare uideatur.
Myſij quàm feri, quàm truces fuerint: quàm ipſorum etiam Barbarorum Barbari, horribile dictu eſt. Vnus ducum ante aciem poſtulato ſilentio, qui uos, inquit, eſtis? Reſponſum eſt. Romani, gentium domini. & ille, ita, inquit, fiet: ſi nos uiceritis. Accepit omen Martius Craſſus. Illi ſtatim ante aciem immolato equo concepere uotum: ut cæſorum extis ducum & litarent, & ueſcerentur. Deos audiſſe crediderim. nec tubam ſuſtinere potuerunt. Non minimum terroris incuſſit barbaris Chonidius cẽturio, ſatis barbaris efficacis tamen apud pares homines ſtoliditatis: qui focum gerens ſuper caſſidem, ſuſcitatam motu corporis flammã uelut ardenti capite fundebat. Ante hos Thracum maximus populus deſciuerat. Ille barbarus & ſignis militaribus, & diſciplina, armis etiam romanis aſſueuerat. Sed à Piſone perdomiti in ipſa captiuitate rabiem oſtendêre. quippe cum cathenas morſibus tentarent: feritatem ſuam ipſi puniebant.
Daci montibus

Daci montibus inhærent. Cotiſonis Regis i͂perio, quotiens concretus gelu Danubius iunxerat ripas: decurrere ſolebant: & uicina populari. Viſum eſt Cæſari Auguſto gentem aditu difficillimam ſubmouere. Miſſo igitur Lentulo, ultra ulteriorem repulit ripam: citra præſidia conſtituit. Sic tunc Dacia non uicta, ſed ſummota, atq; dilata eſt. Sarmatæ patentibus campis inquietant. Et hos per eundem Lentulum prohibere Dannubio ſatis fuit. nihil, præter niues, raraſq; ſyluas habent. Tanta barbaria eſt: ut pacem non intelligant. Germaniam quoq; utinam uincere tanti non putaſſet. magis turpiter amiſſa eſt: quàm glorioſe acquiſita. ſed quatinus ſciebat patrem ſuum Cæſarem bis traiecto ponte Rheno, quæſiſſe bellum: in illius honorem concupijt facere prouinciam. & factum erat: ſi barbari tam uitia noſtra, quàm imperia ferre potuiſſent. Miſſus in eam prouinciam Druſus primos domuit Vſipetes: inde Tencatheros percurrit, & Cattos. nam Marcomanorum ſpolijs inſignibus quendam editum tumulu͂ in trophæi modum excoluit. inde ualidiſſimas nationes Cheruſcos, Sueuos, & Sicambros pariter aggreſſus eſt. qui XX centurionibus crematis hoc uelut ſacramento ſumpſerant bellum, adeo certa uictoriæ ſpe: ut prædam in anteceſſum pactione diuiſerint. Cheruſci equos, Sueui aurum, & argentum, Sicambri captiuos elegerant. Sed omnia retrorſum. Victor nanq; Druſus equos, pecora, torques eorum, ipſoſq; præda diuiſit, & uendidit. præterea in tutelam prouinciæ præſidia, atq; prouincias ubiq; diſpoſuit. Per Moſam flumen, per Albim, per Viſurgim, per Rheni quidem ripam quinquaginta amplius

caſtella direxit: Bonnam, & Geſoniam cum pontibus iunxit: claſſibusq́; firmauit: inuium, atq; inaceſſum in id tempus Hyrcinium ſaltum patefecit. Ea deniq; in Germania pax erat: ut mutati homines, alia terra, cœlum ipſum mitius molliusq́; ſolito uideretur. Deniq; non per adulationem, ſed ex meritis defuncto ibi fortiſſimo iuuene, ipſi, quod nunquam alteri, ſenatus cognomen ex prouincia dedit. Sed difficilius eſt prouincias obtinere: quàm facere. uiribus parantur: iure retinentur. Igitur breue id gaudium fuit. quippe Germani uicti magis, quàm domiti erãt: moresq́; noſtros magis, quàm arma ſub imperatore Druſo ſuſcipiebant. Poſtquam ille defunctus eſt: Vari Quintilij libidinem ac ſuperbiam haud ſecus, quàm ſæuitiam odiſſe cœperunt. Auſus ille agere conuentum: & in caſtris ſe dixerat: quaſi uiolentiam barbarorum & lictoris uirgis, & præconis uoce poſſet inhibere. At illi, qui iam pridem rubigine oblitos enſes, inertesq́; cernerent equos: ut primum togas, & ſæuiora armis iura uiderunt: duce Armnio arma corripiunt. Cum interim tanta erat Varo pacis fiducia: ut ne prædicta quidẽ, & prodita per Segeſtem unum ducum coniuratione commoueretur. Itaq; improuidum, & nihil tale metuentem improuiſo adorti, cum ille (o ſecuritas) ad tribunal citaret: undiq; inuadunt: caſtra rapiunt: tres legiones opprimuntur. Varus perditas res eodem, quo Cannenſem diem Paulus, & fato eſt, & animo ſecutus. Nihil illa cæde per paludes, perq́; ſyluas cruentius: nihil inſultatione barbarorum intollerantius: præcipue tamen in cauſarum patronos. alijs oculos, alijs manus amputabant. unius os ſu-

tum, reciſa prius lingua: quam in manu tenens barbarus tandem inquit. uipera ſibilare deſiſte. Ipſius quoq; conſulis corpus, quod militum pietas humi abdiderat: effoſſum. Signa, & aquilas duas adhuc barbari poſſident: tertiam ſignifer, priuſquam in manus hoſtium ueniret: euulſit: merſáq; intra baltei ſui latebras gerens in cruenta palude ſic latuit. Hac clade factum: ut imperium, quod in littore Oceani non ſteterat: in ripa Rheni fluminis ſtaret. Hæc ad ſeptentrionem. Sub meridiano tumultuatum magis, quam bellatum eſt. Muſulanios, atq; Getulos accolas Syrtium Coſſo duce compeſcuit: unde illi Getulici cognomen. Latius uictoria patet. Marmaridas, atq; Garamantas Turmio ſubigendos dedit. Potuit & ille redire Marmaricus: ſed modeſtior in æſtimanda uictoria fuit. Ad orientem plus negocij cum Armenis. huc alterum Cæſar ex nepotibus ſuis miſit. ambo fato breues: ſed alter inglorius. Maſſiliæ quippe Lutius morbo ſoluitur: in Lycia Caius ex uulnere: cum Armeniam ad Parthos ſe ſubtrahentem recepit. Armenios enim uicto Rege Tigrane, in hoc unum ſeruitutis genus Pompeius aſſueuerat: ut rectores à nobis acciperent. Intermiſſum ergo ius per hunc recuperatum, non incruento, nec inulto tamen certamine. quippe Dones, quem Rex Artaxatis præfecerat: ſimulata proditione adortus uirum intentum libello: quem ut theſaurorum rationem continentem ipſe porrexerat: ſtrictus, at recreatus ex uulnere in tempus. Cæterum Barbarus undiq; infeſto exercitu oppreſſus gladio, & pyra, in quam ſe percuſſus immiſit: Cæſari etiam ſuperſtiti ſatisfecit. Sub occaſu

pacata ferè erat omnis Hiſpania: niſi ea: quam Pyrenæi deſinentis ſcopulis inhærentem citerior alluebat Oceanus. Hic duæ ualidiſſimæ gentes, Cantabri, & Aſtures immunes imperij agitabant. Cantabrorum & peior, & altior, & magis pertinax in rebellando animus fuit: qui non contenti libertatem ſuam defendere, proximis etiam imperitare tentabant: Vaceosq́;, & Carmos, & Auriconas crebris incurſionibus fatigabant. In hos igitur, quia uehementius agere nunciabatur: non mandata expeditio, ſed ſumpta eſt. ipſe uenit Segiſamam: caſtra poſuit: inde partito exercitu totam in diem amplexus Cantabriam, efferam gentem ritu ferarum quaſi indaginæ debellabat. Nec ab Oceano quies: cum infeſta claſſe ipſa quoq; terga hoſtium cæderentur. Primum aduerſus Cantabros ſub mœnibus Belgicæ præliatus eſt. hinc fuga in eminentiſſimum Vinnium montem: quò maria prius Oceani, quàm arma romana aſcenſura eſſe crediderant. Tertio Arracillum oppidum magna ui repugnat. captum tamen poſtremo fuit. Medulli montis obſidionem, quem perpetua XV millium foſſa comprehenſum cinxit: undiq; ſimul adeunte Romano, Poſtquam extrema Barbari uident: certatim igne, ferro, inter epulas, ueneno'q;, quod ibi uulgo ex arboribus taxis exprimitur: percepere mortem: ſe'q; pars maior à captiuitate, quæ uidebatur: uindicauere. Hæc per Antiſtium, Firmum, & Agrippam legatos hibernans in Taraconis maritimis Cæſar accepit. ipſe præſens hos deduxit montibus: hos obſidibus adſtrinxit: hos ſub corona iure belli uendidit. Digna res lauro, digna curru ſenatui uiſa eſt: & Cæſar

tantus erat: ut poſſet triumphos contemnere. Aſtures per idem tempus ingenti agmine à montibus ſuis deſcenderant: (nec temere ſumptus, ut Barbaris impares) & poſitis caſtris apud Aſturam flumen, trifariam diuiſo agmine tria ſimul Romanorum caſtra aggredi parant. Fuiſſet & anceps, & cruentum, & utinam mutua clade certamen cum tam fortibus, etiam ſubito, tam cum conſilio uenientibus: niſi Drigecini prodidiſſent. à quibus præmonitus Cariſius cum exercitu adueniens oppreſſiſſet conſilia: ſic tamen quoq; non incruento certamine reliquias fuſi exercitus ualidiſſima ciuitas Lancia excepit. Vbi loci adeo certatum eſt: ut in captam urbem faces poſcerentur. ægre dux impetrauit ueniam ut uictoriæ romanæ ſtans potius eſſet: quam incenſa monumentum. Hic finis Auguſto bellicorum certaminum fuit: idem rebellandi finis Hiſpaniæ. Certa mox fides, & æterna pax cum ipſorum ingenio in pacis partes promptiore, & cum conſilio Cæſaris. qui fiduciam montium timens, in quos ſe recipiebant: caſtra ſua, ſed quæ in plano erant: habitare, & incolere iuſſit. ingentis eſſe conſilij illud obſeruari caput. Natura regionis circa ſe omnis aurifera, Minijq;, & chryſocollæ, & aliorum colorum ferax. Igitur exerceri ſolum iuſſit. Sic Aſtures latentes in profundo opes ſuas, atq; diuitias, dum alijs quærunt: noſſe cœperunt. Omnibus ad occaſum, & meridiem pacatis gentibus, ad ſeptentrionem quoq; duntaxat intra Rhenum, atq; Danubium, item ad orientem intra Taurum, & Euphratem, Nilum quoq;, reliqui, qui immunes imperij erant: ſentiebant tamen magnitudinem: & uictoriam gen-

tium populi romani reuerebantur. Nam & Scythæ miſere legatos, & Sarmatæ, amicitiam petentes: Seres etiam, habitantesq; ſub ipſo ſole Indi cum gemmis, & margaritis, elephantos quoq; inter munera trahentes. nihil magis, quàm longinquitatem uiæ imputabant. quadriennium impleuerant: & tamen ipſe hominum color ab alio uenire ſole fatebatur. Parthi quoq;, quaſi uictoriæ pœniteret: rapta clade craſſiana ultro ſigna retulere. Sic ubiq; cuncta, atq; continua totius generis humani aut pax fuit, aut pactio. auſusq; tandem Caius Auguſtus ſeptingenteſimo ab urbe condita anno Ianum geminum claudere, bis ante ſe clauſum, ſub Numa Rege, & uicta primum Carthagine. hinc conuerſus ad pacem pronum in omnia mala & in luxuriam fluens ſeculum grauibus, ſeuerisq; legibus multis coercuit. Ob hæc tot facta ingentia Dictator perpetuus, et Pater patriæ dictus. Tractatum etiam in ſenatu: an, quia condidiſſet imperium: Romulus uocaretur? ſed ſanctius, & reuerentius uiſum eſt nomen Auguſti: ut ſcilicet iam tum, dum colit terras: ipſo nomine, & titulo conſecraretur. Finis.

POLYBII HISTORIARVM LIBRI QVINQVE IN LATIAM CONVERSI LINGVAM, NICOLAO PEROTTO INTERPRETE.

FRANCISCVS ASVLANVS LECTORI. S.

e

A ſemper humani generis eſt infelicitas, id infortunium, ea calamitas, ut ſiquid grato deorum munere, mortalibus nobis datum ſit, eo nequaquam diutius frui poſſimus: ſed ſimulac illius iucunditate oblectari cœpimus, id extemplo euaneſcat: ac ueluti rapaci quodam inuidentis fortunæ liuore nobis incautis auferatur. quo fit, ut, quò quid uel dignius, uel charius habemus, hoc citius eo priuemur miſeri. hoc uero ipſum rebus in omnibus clara uidemus luce: nam quid in humanis adeo firmum eſt, in quo ſpem certam ponere poſſimus? quid adeo ſtabile, in quo placido ſecuri ocio quieſcamus? Dij boni, & ipſamet nobis tam dubia, tam fallax eſt uita, ut nemini, ne horulam quidem, uiuere certo ſit exploratum. Sed ne pluribus ego exemplis rem manifeſtam proſequar, hoc uel in hiſce Polybij libris, quorum cauſa hæc ſcribimus: facile cognoſci poteſt. hi profectò, ut optimi erant, ita breuiſſimo, iniqua hac ſorte, inter mortales tempore uiguerunt: & uix à priſcis ſuæ tempeſtatis hominibus, ſemel, aut iterum fuerunt lecti. adeo nobis infeſtam tulit fortuna legem, ut optima quæq; tam raptim è noſtris effugiant oculis. Id unum autem dira hac in pernicie nos poteſt ſolari, ꝙ, etſi maxima huiuſce operis pars deperdita ſit (erant enim quadraginta hiſtoriarum libri) quinq; tamen adhuc nobis ſuperſunt concinno ſcripti ſtylo: qui celeberrimum Polybij nomen uulgatis paſſim teſtantur lau-

dibus.his hercle facile uidemus,præclarum hunc Scri ptorem longe omnes alios, tum immenſa uoluminum magnitudine,tum optimo dicendi genere excelluiſſe.hic profectò ille eſt, quem optimum ſcribendis in hiſtorijs ducem,grauiſſimus inter romanos Titus L.ubique ferè imitari uoluit.Huius igitur præclari authoris quinq; libros,quandò plures habere non poſſumus,in latium trallatos ſermonem,tibi nunc damus bone lector.quos æquo ſi legeris animo,tumet his excudendis nos ſumma uſos ſolertia fatebere.hos etenim innumeris, qui te paſſim interturbabant legentem: depurgauimus erroribus.quo in munere non paruã nobis exemplaria græca attulerunt opem.quibus unà ſemper collatis,id tandem effecimus, ut ſuum hoc opus ſaperet authorem. Accipe igitur Polybium nunc romana loquentem lingua:quem propediem patrio ipſius ſermone hiſtorias ennarrantem(fata adſint)audiueris. Sis felix.

NICOLAI PEROTTI IN POlybij hiſtoriarum libros proœmium, ad Q. Pont. Max.

Bſolui tandē aliquando delegatum mihi abs te munus Pontifex Maxime, con
a uerſis in latinum ſermonem quinq; libris Polybij: qui ſoli nobis ſuperſtites ex ampliſſima illius hiſtoria remanſere. quare immortalem ſuperis habeo gratiam: quorum maieſtate ſuggerente mihi fauorem opus perfeci: ut optatum Sanctitati tuæ, ita, niſi me animus fallit: gratiſſimum futurum. tibi uero ingentes ago gratias: agamq́; dum uiuam: quod me unum ex multis, cui hoc munus delegares: elegiſti. nam per immortalem deum, quid mihi, uel impræſentiarum gratius, uel ad poſteritatis memoriam glorioſius iniungi potuit: quàm ut ueterem, atq; reconditam, ſed tamen egregiam, ac luculentam præſtantis, & ſinceri authoris hiſtoriam in lucem proferrem: & quaſi de nouo ſcribens, noſtris hominibus, tanquam per manus traderem. mihi quidem ita iocundus hic labor fuit: ut maiorem mihi fingere uoluptatē, ne uoto quidem potuiſſem. primum, quod morem gerebā uoluntati tuæ: cuius maxima ſemper, ac penè immortalia fuerunt erga me, & meos beneficia. deinde, quod tanta uarietate rerum, & copia mirumimmodum oblectabar. quis enim ſuauior animo cibus offerri poteſt, quàm lectio hiſtoriæ? huius præſertim, in qua cum magnitudine, ac diuerſitate rerum geſtarum, ſplendor quoq; uerborum coniunctus eſt: & ſuauitas orationis

quibuſdã quaſi luminibus ſententiarum reſperſa: ut mĩhi uideatur uno in opere Polybius & ſummus hiſtoricus, & orator maximus, & optimus philoſophus fuiſſe. poſtremo, ꝙ non mediocrẽ me apud noſtros hoĩes gloriam conſecuturũ ſperabam: ſi mea opera tã præclarus author ex peregrino, aliquãdo Romanus factus eſſet: et ommiſſa gentili lingua, latine loq̃ didiciſſet. uerũtamen omnem hanc meã uoluptatem, atq; hoc omne ſolatium non parũ ad extremũ conturbauit imperfectio operis: q̃d ex quadraginta ab illo editis uoluminibus, uix quinque prima nobis ſuperſunt: atq; hæc q̃dem ad apparatum cæterorũ ſcripta: ut mihi certe uideatur quaſi de induſtria, huius authoris ſermo iterruptus, dũ cõparata, ueluti quodã exordio, auditorũ beneuolentia, atq; omnium auribus ſibi conciliatis, rẽ ipſam aggreſſurus erat: de qua agebatur. ó grauẽ, deteſtabilem'q; iacturã. ó cladẽ eò magis ab omnibus deplorandã, quo nemo nõ modo ex græcis, uerũ etiam ex latinis hiſtoricis, Romanorũ res geſtas, uel uerius, uel copioſius, uel maiori cũ diligentia complexus eſt. ſcripſit enim, ut facile ex his quinq; libris intelligi poteſt: quæcunq; à Romanis ſunt geſta à tempore, quo primũ extẽdere manus extra Latium cœperunt: quouſq; totius orbis imperiũ adepti fuere. atq; hæc ita ſcripſit, ut latini ferè oẽs eũ deinceps ſint ſecuti. nam, ut de reliquis tacẽã, manifeſtiſſimis argumentis deprehendi poteſt Titũ Liuium Patauinũ, hiſtoricorũ apud latinos principẽ, hunc potius, q̃ Fabiũ Pictorem, aut Piſonẽ, quos ipſe memorat: ſecutũ fuiſſe. quippe & in ĳs, in q̃bus Polybius illos reprehendit: Polybĳ ſententiã haud obſcure ſequitur; & ita nonnunquã

illius ueſtigijs inhæret: ut mihi qdem uigeſimus primus liber Liuij, ex tertio Polybij libro fere ad uerbũ tralla= tus eẽ uideatur. ac nihil ſane inter eos intereſt, niſi ꝙ Li uius aliquanto breuius res geſtas refert: Polybius diffu= ſius. Liuius portenta, ac prodigia plurima, & oracula, ac uiſiones deorũ commemorat: Polybius his omnibus dimiſſis præcepta quædã inſerit, ad uitæ inſtitutionẽ ne ceſſaria. poſtremo Liuius conciones integras, atq; dire- ctas: Polybius obliquas exponit. qbus in rebus uter eorũ magis ſit probandus, non eſt mei uel ingenij, uel ætatis iudicare: quippe q ne admirari qdem ſatis eorũ uirorũ doctrinam pro merito poſſem. uerũ equidẽ in Polybio breuitatem non deſydero: in Liuio interdũ fortaſſe ali quid latius. floſculi uero ſententiã, quos operi ſuo Poly- bius inſerit: magis profecto mihi mentẽ implent, q̃ por= tenta Liuij, atq; prodigia. qd enim dici minus credibile poteſt, q̃ aut apparuiſſe deũ Annibali? aut in genu in- fantẽ ſemeſtrem: in foro olitorio triumphum clamaſſe? aut bouẽ ſua ſponte in tertiã contignationẽ aſcendiſſe? aut in agro piceno lapidibus pluiſſe? aut aliud qppiam huiuſmodi factũ eſſe? quæ res ne ab eo qdem ſunt cre- ditæ: a quo ſcribuntur: nec dignæ ſunt quæ in ſomnijs uiſæ referantur. nã de obliqua oratione manifeſtũ eſt, qd Trogus Põpeius ſenſerit. qui, ut Iuſtinus refert, in Li uio, & Salluſtio reprehendere ſolebat: ꝙ conciones dire= ctas pro ſua oratione, operi ſuo inſerendo hiſtoriæ mo dum exceſſiſſent. ſed quo magis in hoc uagatur oratio mea: eo magis augetur mihi luctus, et cõmiſeratio quæ dam de tanta clade, iacturaq; librorũ. o ſi reuiuiſce- ret Polybius: atq; hanc deformatã operis ſui faciẽ agno=

ſceret:uix octaua ſui parte ſuperſtitis, q̃ moleſte, q̃ gra-
uiter, q̃ acerbe ferret perlatos à ſe incaſſum tot labores,
tot fruſtra euiglatas noctes, tot à ſe ſuſceptas tã breui
tempore euanituras, atq; occaſuras cogitationes. quanq̃
eandem fortunã alij quoq; infiniti tã græci, q̃ latini au
thores ſunt experti. quantũ enim in utraq; lingua à do
ctiſſimus uiris relictũ legimus: quantulum eſt, quod ſu-
pereſt librorũ? quod uitio tẽporum accidiſſe manifeſtum
eſt. nam, quia homines longo iã tempore, optimarũ ar-
tium, ac diſciplinarũ rudes, atq; ignari erant: nullo in
precio habebantur libri: & aut ſitu ſqualoreq; paula-
tim marceſcebant: aut aromatibus, ac penſis mulieribus
tegẽdis dilacerabãtur. omnẽ aũt huius rei culpã ĩ prin
cipes eius ſæculi refundendã arbitror. neq; enim idcirco
illiteratos fuiſſe eos hoĩes exiſtimo: ꝙ, aut tardiori inge
nio, aut ĩbecilliori memoria eſſẽt, q̃ uel præſentes ſint, uel
ueteres illi fuerint: ſed, quia ea tẽpeſtate ciuitatũ prĩcipes
nimio luxu ad ſegnitiẽ ſe, torporẽq; cõcterũt: ſimiles
quoq; reliquos ciues euadere neceſſe fuit. eſt enim ita cõ
paratum, ut qualeſcunq; ſummi ciuitatis uiri fuerint: ta
lis quoq; ſit reliqua ciuitas. & quæcunq; morũ immuta
tio in principibus extiterit: eadẽ ſemper in populo ſe-
quatur. quoniã ergo illiterati principes erãt: cæteri quoq;
rudes erant, atq; indocti. ꝙ ſi qui forte ad ſtudia ſe con
tuliſſent: nullus honor, nullũ præmium proponebatur.
quæ res in primis accẽdere, atq; inflãmare homines ad
ſtudia conſueuit. nam ſicuti tẽperies, ac clementia aẽris
copiã, atq; ubertatẽ frugũ, ita humanitas, et honor et be
neficentia principis bonas artes, excellentiaq; ingenia
producit. quid tandẽ cauſæ fuiſſe arbitramur, ꝙ tẽpore

Alexandri regis multa clariſſimorũ uirorum ingenia floruerunt? nẽpe quia, & ipſe doctus erat: et doctos maximo in honore pretioq; habebat. ferunt enim, cũ interiecto poſt illius mortẽ tempore, Archeſtratus nobilis poëta, præter modũ inopia premeretur: dixiſſe ei quẽdam: tu uero, ſi Alexandri ætate fuiſſes, in præmiũ cuiuslibet carminis Cyprũ, aut Phœnicẽ habuiſſes. Lycon uero Scarpenſis comicus poëta Alexandri æqualis cũ audiente illo comœdiã recitaſſet: in qua uerſum quendam neſcio quid æris petentẽ inſeruerat: confeſtim decẽ talẽtis donatus eſt. hac eadẽ ratione Athenienſiũ, & Lacedæmoniorũ, & Romanorũ tempore multi clariſſimi uiri floruerunt. ſed ne ueterũ duntaxat exẽpla ſectamur: quæ cauſa eſt, ꝙ impræſentiarũ ita uigeãt ſtudia literarũ: et tot ſe ingenia hominũ proferant, atq; oſtentent? profecto quia te principẽ habẽt Nicolaë Quinte Pontifex Maxime. qui, ut es in omni doctrinarum genere excellens: ita doctos, et ſtudioſos omneis ſuſtentas, ſuſcipis, foueas, amplecteris. quando enim memoriæ proditũ eſt in tanta ueneratione literas, ſeu literatos homines habitos fuiſſe? quanta hoc tẽpore habentur: quo uel primi abs te, uel ſoli honorãtur. ſub quo Rege, ſiue Imperatore, ſiue rep. tantã unq̃ liberalitatẽ, ac beneficẽtiã ſunt experti? quantam ſub te optimo, ac clementiſſimo Põtifice experiãtur? teſtes huius rei poſſem afferre quãplurimos: niſi excedere procœmij modum uererer. quis eſt. N. nõ modo in Italia, uerum etiam in Græcia, atque adeo omni orbe terrarum, uel mediocriter doctus, qui hactenus liberalitatis tuæ periculum non fecerit? ut iam uulgatum apud omnes gentes ſit, munera tuæ Sã

ctitatis omnium ueterum principum, & imperatorum, & regum munificentiam non modo æquare, uerum etiam longo, ut aiunt, interuallo excedere. Quamobrem omnes iam ſpe præmij, gloriæq; erecti, ad ſtudia literarum incumbunt: & pro ſua quiſque facultate, aut componunt nouum aliquid, aut græcum transferunt. multi ēt uetera, & iā obſoleta, ac ferè deperdita conquirunt. ex quo fit, ut ego maximas immortali Deo *habeam gratias: quod mihi datum ſit naſci temporibus uitæ tuæ: neq; deſperem aliquando futurum, ut ſicuti multa antehac tuis auſpicijs reperta ſunt: quæ prius abdita erant, ac prorſus ignota: ita reliqui quoque* Polybij *libri in lucem redeant. quod ſi nobis fata conceſſerint: non recuſo quantulumcunq; mihi uitæ deinceps ſuperûm uoluntate erit: quantumq; à cura, & ſeruitio principis mei mihi dabitur ocij, ad eorum translationem conferre: tuum modo mihi numen adſit* Summe Pontifex: *tantumq; ingenij aſpiret: quantum eius operis magnitudo uidebitur poſtulare. interea ſi quando te à gubernaculis* Eccleſiæ Romanæ *ad ocium tranſtuleris: horum quinque uoluminum lectione animum oblectabis.* Vale.

POLYBII HISTORIARVM LIBER PRIMVS È GRAECO IN LATINVM CONVERSVS, NICOLAO PEROTTO INTERPRETE.

I AB IIS, QVI RES *geſtas ante nos ſcripſerũt: laudẽ hiſtoriæ prætermiſſam eſſe contingeret: fortaſſe neceſſarium uideretur: ut in noſtri operis initio uniuerſos ad ſuſcipiendam, capeſſendamq́; hiſtoriam hortaremur: cum nulla hominibus facilior ad uitæ inſtitutionem uia ſit, q̃ rerum ante geſtarum cognitio. uerũ cum nõ aliqui, neq; aliquatenus, ſed omnes (ut ita dicam) hoc principio, hocq́; fine utantur: ut uerã diſciplinam, exercitationemq́;, ad res ciuiles hiſtoriæ cognitionem eſſe dicant: eamq; ſolam ob exẽpla alienorum incommodorum effectricem, et magiſtram, ut quis poſſit fortunæ uarietatem æquo animo ferre. profectò neminem puto iudicaturum neceſſarium fuiſſe: ut de ijs, quæ recte, & à multis dicta ſunt: denuo ſermo haberetur: à nobis præſertim, quibus nouitas ipſa rerum, de quibus ſcribere inſtituimus: ſatis ſuperq́; eſt, ad hortandos alliciendosq́; omnium, tum iuuenum, tum natu grandiorum, ad hanc noſtram hiſtoriam animos. quis enim adeo eſt hominũ uel prauus, uel ignauus, qui noſſe refugiat, quo modo, quo'ue regendi genere uniuerſæ totius ferè orbis nationes domitæ, & intra triũ*

& quinquaginta annorum ſpatium imperio populi Romani ſubictæ fuerint? id q̃d ante id tēpus uiſum fuerat nūquam. aut quis rurſus ita cæteris ſpectaculis, ac diſciplinis deditus atq; affectus eſt, ut aliquid huic cognitioni præponendum ducat? at, quàm grande, quamq; excellens ſit hoc noſtrum opus, palàm erit: ſi principatus, qui maxime, & dignitate, & gloria floruerunt: de quibus ampliſſime ſcripſerunt hiſtorici: Romani imperij excellentiæ comparabimus. digni autem hi tandem ſunt, qui comparentur. Perſarum quibuſdam temporibus magna potentia fuit. ſed quotieſcunque transgredī Aſiæ terminos auſi fuere: non in principatus ſolum, uerum etiam in proprij capitis periculum inciderunt. Lacedæmonij cum diu de græcorum imperio certauiſſent: tandem deſyderij ſui compotes facti, uix annos duodecim imperare libere potuerunt. Macedones in Europa quidem dominati ſunt ab Adria ad flumen Iſtrum: quæ exigua quædam eius regionis pars eſt. poſtea debellatis Perſis Aſiæ quoque principatum habuerunt. ſed tamen hi quoque, & ſi complurium rerum, atque locorum domini ſunt uiſi: magnam tamen orbis partem intactam reliquerunt. nam de Sicilia, Sardinia, Africa, ne contendere quidem cœperunt: ferociores uero Europæ nationes, & quæ magis ad occidentem uergunt: uix (ut ſic dixerim) cognouere. Romani non aliquam orbis partem, ſed uniuerſum ferè orbem ſubiugarunt. Cæterum initium noſtri operis erit, à temporibus quidem, olympias centeſima & quadrageſima: à rebus uero geſtis, apud græcos quidem, bellum ſociale appellatum:

quod primum cum Achæis aduerſus Aetolos Philippus incœpit, Demetrij filius, ac Perſei pater. apud eos uero, qui Aſiam colũt: bellũ Syriacum, quod Antiochus, & Ptolemæus Philopater inuicem geſſerunt. In Italia uero, & Africa bellum Romanorum, Carthaginenſiumq́; quod complures bellum Annibalis appellant. Hæc autem ea ſequentur: quæ ſunt ultimo loco à Sicyonio ſcripta. Ante hæc igitur tempora bella diuerſis in locis ſparſim geſta ſunt. Poſtea uero euenit, ut in unum quaſi corpus coaleſceret hiſtoria: & res Italicæ Libycæq; cum Græcis, atq; Aſiaticis miſcerentur: & ad unum finem omnia tenderent. quapropter & exordium noſtri operis ab eo tempore ſumpſimus. etenim cum in eo bello Romani Carthagnenſes ſuperaſſent: maiorem à ſe partem iam geſtam rati, quo uniuerſum aggredi poſſent: eo primum tempore auſi fuerunt ad reliqua manus extendere: & cum potentia, ac uiribus in Græciam, Aſiamq́; traijcere. quod ſi eorum mores, atque inſtituta, qui de principatu orbis inter ſe contenderunt: cognita perſpectaq́; haberemus: fortaſſe non eſſet opus altius repetere, quibus uiribus, quáue potentia freti tales tantasq́; res aggreſſi fuerunt. uerum cum neq; Romani populi, neq; Carthaginenſium inſtituta compluribus græcorum nota ſint: neque eorum uires, neq; res geſtæ: neceſſarium arbitrati ſumus hunc, & ſequentem librum, antequam hiſtoriam ingrederemur, præſcribere: ne quis forte, cũ ad lectionem noſtri operis ſe contulerit: dubitare poſſit, qui conſilio, quibusq́; uiribus, aut facultatibus fretus Romanus populus eò animum induxerit: quo & or-

be terrarum, & uniuerſo mari noſtro potiretur. cum potius ex his principijs, atq; hac noſtra præparatione manifeſte omnes intelligant neceſſarias Romanos facultates habuiſſe: quibus & rem talem tantamq; aggredi, & deſyderij ſui compotes fieri potuerunt. nam & huius noſtri operis, & rerum hac tempeſtate geſtarum pulchritudo in primis hæc eſt: ꝙ, quemadmodum fortuna omnes ferè totius orbis terrarum res, ad unam partem inclinauit: & omnia ad unum, eundemq; finem referri coëgit: ita etiam per hiſtoriam, uniuerſa eo ordine, quo geſta ſunt: facile ſcribi, & ſimul omnia cerni, atque uideri poſſunt. hoc autem uel in primis nos animauit ad ſcribendam hiſtoriam: ſimul, ꝙ temporibus noſtris nemo adhuc fuit: qui in uniuerſum res geſtas ſcribere uoluerit. nam id multo minus nos feciſſemus. uerum, cum pleroſq; uideremus ſingillatim bella quædam perticularia, & res in illis geſtas annotaſſe: uniuerſalem uero, & dicam coniunctam rerum geſtarum commemorationem, quando, aut unde inceperint: quomodo geſtæ ſint: quem finem habuerint: neminem prorſus, quod mihi notum eſſet: uſque in præſentem diem attigiſſe: operæprecium fore cenſuimus: ſi noſtra opera daretur hominibus noſtris facultas legendi, id, quod optimum ſimul, & utiliſſimum fortunæ opus fuit. nam cum multa in uita hominum fecerit præclara illa quidem, & admiratione digna: nihil tamen uſque in præſentem diem fecit: quod ſit rebus noſtri temporis comparandum: quæ res quidem ex ijs, qui priuatas ſcripſerunt hiſtorias, minime intelligi poſſet. niſi forte quis ſit: qui, cum præclaram aliquam ciuitatem tran

ſterit: aut ſeorſum pictam uiderit: putet ſe propterea uniuerſi orbis ſitum, figuram, atque ordinem intellexiſſe. quod nullo modo uerìſimile eſt. ac mihi quidem uidentur: qui per particularem hiſtoriam ſatis intelligi poſſe uniuerſe exiſtimant: non minus à uero deflectere: quam ſi quis, cum animati, atque formoſi corporis ſeparatas inuicem partes conſyderet: putet ſe propterea omnem eius animalis pulchritudinem, atq; ornatum intellexiſſe. etenim ſi quis diſtinctas illas, ac ſeparatas partes ſumat, coniungatq; inuicem: & animal adhibita forma, atque ornatu animi perfectum efficiat: deinde id rurſus illis oſtendat: profecto fateantur ſe longe antea aberraſſe: ſimilesq; ſomniantibus fuiſſe. quendam enim conceptum totius uiſis partibus facere certe licet: certam uero ſcientiam, ac cognitionem eius habere impoſſibile eſt. quapropter paululum conferre poſſe particularem hiſtoriam putandum eſt ad uniuerſi noticiam, ac cognitionem. ex commixtione uero rerum et ſimilitudine, & differentia accidere, ut nemo ſit, qui ea legens ſingularem non capiat ex hiſtoria fructum, ac uoluptatem. faciemus autem principium huius libri primam Romanorum ex Italia transfretationem: quæ eſt ijs continua: quæ Timæus ultimo loco ſcripſit. fuit autem olympiade centeſima & uigeſima nona. quamobrem dicendum quidem eſt: quomodo quóue tempore res italicas compoſuerint: quibus facultatibus freti in Siciliam transfretauerint. nam in eam terram primo extra Italiam ſunt profecti. & eius quidem transfretationis cauſa ſimpliciter, & (ut ita dicam) nude dicenda eſt: ne cauſa cauſam quærente, totius rei princi-

pium, & conſideratio perplexa ſit. ſumendum etiam ta- le principium, quod ſic temporibus, ac rebus conſenta- neum, & uniuerſis cognitum: quodq; ipſum ex ſeipſo conſyderari poſſit: etiam ſi opportuerit, temporibus pau lo altius repetitis, res interea loci geſtas ſummatim commemorare. nam principio quidem ignoto, uel per Iouem ſubobſcuro, neque ea quidem, quæ ſequuntur: perſuadere, aut facere fidem poſſunt. quod ſi opinio de principio uera ſit, tunc omnis quoque conſequens ſer- mo facile auditorum auribus ſatisfacit. Annus erat poſt eam naualem pugnam, qua Cimon Athenienſis Xerxen ſuperauerat: decimuſnonus: ante bellum uero in Leuctris geſtum, quo Lacedæmonij pacem cum re ge Perſarum inierant: ſextuſdecimus: cum Dionyſius ſe nior Græcis, qui Italiæ oram incolebant: circa Ellepo- rum ſuperatis, Rhegium Callabriæ ciuitatem obſide- bat. Galli uero Romam, Capitolio duntaxat excepto, oc cupabant. quo tempore Romani percuſſo cum Gallis fœ dere, & præter ſpem recuperata iterum patriæ liber- tate, gerere cum finitimis bella cœperunt: & mox La tinis omnibus ſuperatis, bellum Tyrrhenis, deinde Cel- tis, poſtmodum Samnitibus intulerunt. non multo inter iecto tempore, cum Tarentini ob ea, quæ in Romanorũ legatos patrarant: ſe non ſatis tutos putantes, anno uno ante Gallorum in Italiam aduentum, Pyrrhum regem ad ſe uocaſſent: & ſimul ij, qui apud Delphos erant: bello ſuperati in Aſiam confugiſſent. Romani deuictis iã Tyrrhenis, atq; Samnitibus, Celtis uero in Italia cõplu ribus prælijs profligatis, tunc primum in reliquas Ita- liæ partes facere impetum cœperunt, ueluti iam non

de alienis,

de alienis, ſed de proprijs, & ad ſe pertinentibus rebus contendentes, pugnandi artem ex bellis, quæ iam cum Celtis atq; Samnitibus geſſerant: optime edocti. acriter igitur huic bello inſiſtentes, Pyrrho eiusq; copijs tandem ex Italia expulſis, rurſus eos quoque, qui cum Pyrrho ſenſerant: perſequebantur. ac mox ueluti ex inſperato omnium domini facti, & uniuerſis, qui Italiam habitabant: præter Celtas ſubiugatis, deinceps Romanos, qui Rhegium tenebant: obſidere cœperunt. proprium enim quiddam, ac par duabus ciuitatibus, quæ in freti illius anguſtijs ſitæ ſunt: ea tempeſtate accidit Meſſanæ, & Rhegio. Meſſanam enim non multo ante hæc tempora Campani ſub Agathocle in Sicilia militantes urbis ſplendorem, atque opulentiam admirati, cum primum patrandæ rei oblatam ſibi opportunitatem uiderunt: per amicitiam intra mœnia recepti, uiolata fœderis fide, in urbem impetum faciunt. ciues partim urbe eijciunt: partim trucidant. uxores, liberosq; eorum, prout cuiq; in ipſo conflictu ſors tulit: item poſtea fortunas, agrosq; inter ſe partiũtur. ita pulcherrimæ, opulentiſſimæq; urbis compotes facti, confeſtim huius ſui facinoris imitatores repererunt. Rhegini enim tempore, quo Pyrrhus Epyrotarum rex in Italiam copias traiecit: aduentu eius deterriti, ſimul quod Carthaginenſes tunc mari dominantes metuebant: populi romani opem, atque præſidium poſtularunt. miſſi ab Romanis ad Rheginos milites aliquandiu urbem tutati fidem ciuitati ſeruauerunt. erant numero quatuor millia hominum. quibus duces præerant Decius & Campanus. ſed tandem Mamertinorum exemplo

permoti, & eos tanti facinoris conſpiratores habentes, ipſi quoq; Rhegnis fidem uiolant, tum rei opportunitate, tum Rheginorum opulentia pellecti. ciues alios ex urbe depellunt: alios cædunt. deniq;, ut Mamertini fecerant: ciuitatem detinent. Romani, et ſi hanc Rheginorũ calamitatem graui, & iniquo animo ferrent: ſuperioribus tamen bellis occupati ſubſidium ferre non poterãt. confecto autem bello Rhegium, ut mox dicebamus, profecti, urbem obſederunt: ac tandem expugnarunt. interfectis compluribus, qui in ipſa etiam uictoria præſcij, quæ paſſuri forent, ſi ſuperuiuerent, uſq; ad extremum fortiſſime repugnarunt. trecenti ſolum uiui in poteſtatem redacti, quos Romam è ueſtigio miſſos conſules in forum produci, ac uirgis cædi, & tandem, ſecundum patriæ morem, ſecuri percuti fecerunt: quo, & illi ſcelerati facinoris pœnas darent, & ipſi ſuam erga ſocios fidem quantum fieri poſſet confirmarent. Vrbem, & agros, cæteráq;, quæ ſuperfuerant, Rheginis continuo reſtituerunt. Mamertini (ſic enim Campani ſe, capta Meſſana, nuncupabant) quandiu legio illa Romanorum Rhegium detinuit: præſidio eorum freti, non ſolum ciuitatem, & agrum ſuum tutabantur: uerumetiam finitimas pleraſq; tum Carthaginenſium, tum Syracuſanorum ciuitates magnopere infeſtabant. nonnullas etiam Siciliæ urbes ſibi tributarias fecerant. mox uero reſtituta Rheginis urbe, romanæ legionis præſidio deſtituti, ipſi quoque à Syracuſanis obſidionem paſſi ſunt ob cauſas, quas dicemus. non multo ante tempore, Syracuſanorum copiæ, cum inter ſe, atque eos, qui reipublicæ præerant: orta ſeditio foret:

duces ſibi creauere Artemidorum, & eum, qui postea rex fuit: Hieronem, admodum quidem adoleſcentem; ſed ita uniuerſis naturæ, atque ingenij dotibus ornatum, ut nihil ſibi regium, præter regnum, deeſſe uideretur. hic ſuſcepto magiſtratu, cum tandem caterua amicorũ ſtipatus in urbem introijſſet: ac diuerſæ factionis ciues ſuperaſſet: adeo clementer, moderatéq; uictoria uſus fuit: ut conſentiente unanimi Syracuſanorum omnium, qui non facile in huiuſmodi rebus conuenire conſueuerant: fauore dux iterato crearetur. Hieron igitur confeſtim maiora ſe, quàm ut dux eſſet, animo concipere manifeſtiſſimis argumentis oſtendit. Principio enim cũ Syracuſanos animaduertiſſet, quotienſcunq; copias, ducéſq; eorum extra urbem mitterent: ſeditionibus inter ſe uexari conſuetos: Leptinem autem intellexiſſet fide, atq; authoritate inter cæteros Syracuſanos plurimum pollere, & multitudini gratiſſimum eſſe: non inutile futurum putauit, ſi affinitatem cum ipſo contraheret: quo haberet, quem pro ſe in ciuitate poſſet relinquere: quotiens eum ad res gerendas exire, copiaſque in expeditionem educere oporteret. Accepta itaque in matrimonium Leptinis filia, cum ſciret ueteres Syracuſanorum copias, quæ ex conductis militibus erant: inſtabiles eſſe, rerũq; nouarum auidas: dedita opera exercitum in barbaros, qui Meſſanam tenebant: educit: caſtriſq; iuxta centoripam poſitis, ac ſtrictis circa Cyamoſſorum fluuium aciebus, Syracuſanos equites, pediteſque ſecum tenet, quaſi per aliud iter hoſtes aggreſſurus foret. gregarium uero, ac conducticium militem circumueniri ab hoſtibus ac profligari patitur. Ipſe diuerſo itinere

cum Syracuſanis omnibus profectus incolumis in ciuitatem reuertitur. liberato per hunc modū ueteranis gregarijſq; militibus exercitu, nouum ipſe fidū militem iterato conducit. Itaq; rebus omnibus diligenter compoſitis, cum barbaros cerneret ſuperiori uictoria ſtulte nimium temerarieq; elatos: ipſe cum armatorum, et iam ſatis à ſe exercitatorum ciuium, manu extra urbē profectus, citato itinere ad Nyleum agrū peruenit. ibiq; iuxta Longani fluminis ripas ingens cum barbaris prælium collatis uiribus commiſit. qbus tandē ſuperatis, ducibuſq; eorum captis, cum barbarorū petulantiam hac uictoria repreſſam cerneret: Syracuſas cum copijs reuerſus, conſentiente omniū ciuiū fauore, rex à ſocijs appellatur. Mamertini primū romanæ legionis, ut ſupra diximus, præſidio deſtituti, deinde hoc graui prælio affecti, cum iam ferè animis cecidiſſent: pleriq; ad Carthaginenſes confugiunt: eiſq; & ſeſe, & arcem dedunt. alij ad Romanos legatione miſſa ciuitatem illis tradunt: præſidiumq; ueluti ab eiuſdem generis hominibus poſtulant. Romani diu inter ſe, quid faciendum eſſet, dubitarunt. per abſurdum enim putabant ſe, qui paulo ante in proprios ciues, ob occupatum contra fidem Rhegium, tam grauiter animaduertiſſent: nunc Mamertinis, qui eiuſdem ſceleris rei eſſent: præſidium ferre. ueruntamen cum Carthaginenſes cernerent iam non Africam modo, uerum etiam pleraq; Hiſpaniæ loca, inſulas præterea omnes ſardonij, ac Tyrrheni maris ui, atque armis ſubegiſſe: periculoſam ſibi eorum uicinitatem fore ſuſpicabantur: ſi Siciliæ quoque domini fierent. hanc autem facile in Carthaginenſium poteſtatem uenturam intelligebant:

niſi Mamertinis ſuppetias mitteret. etenim Meſſana ca pta, quæ eis à nonnullis, ut ſupra diximus, offerebatur: confeſtim Syracuſas quoq; recuperaturos haud dubium erat: præſertim cum reliquum Siciliæ ſub eorum ditione foret. hæc cum Romani cogitarent: ſeruare Meſſanam omnino neceſſarium putabant: neq; pati, ut Carthaginenſes, quaſi pontem quendam, ſibi conſtituerent: per quem tranſire in Italiam pro libidine poſſent. diu tamen hæc res in ſenatu agitata: tandemq́;, cum iuuare Mamertinos turpius eſſe, q̃ commodius ob patrata ſcelera uideretur: rem infectam ſenatus dimiſit. at populus Romanus, cum tot bellis defatigatus, atq; contritus, iam quiete aliqua egere uideretur: & ſimul oſtendentibus ducibus utilitatem & commodum, quod ex ea re proueniri poterat: præſtandum Mamertinis ſubſidiũ iudicauit. atq; ea ſententia per plebem confirmata, confeſtim alterum ex conſulibus Appium Claudium traducere in Siciliam exercitum, & Mamertinis ferre ſuppetias iubet. Mamertini de Romanorũ præſidio certiores facti, Carthaginenſium præfectum, quem ſuperius poſitum in arce diximus: partim terrore, partim dolo ex urbe eijciũt. Appium Claudium ad ſe uocant: ciuitatem in eius manibus ponunt. Carthaginenſes præfectum præſidij, quod formidine ſimul, atque ignauia arcem amiſiſſet: cruci affigunt: ac repente terra marique coactis copijs, claſſeq́; circa pelorum poſita, terreſtribus uero copijs circa Meſſanam caſtra metati, urbem diligentiſſime obſident. interea temporis Hieron oblatam ſibi opportunitatem ratus ad expellendos, fugandosq́; è Sicilia Barbaros, qui Meſſanam tenebant: percuſſo cum Cartha-

gnenſibus fœdere Syracuſis profectus, poſitiſq; ad a-liam partem caſtris iuxta montem, quem Galchidicum uocant: eum quoq; exitum Mamertinis abſtulit. At con ſul per noctem non ſine periculo traiecto freto Meſſanã peruenit. cumq; hoſtes cerneret acriter undiq; urbẽ pre mentes: quippe ꝗ non modo terra, uerũ etiam mari potẽ tiores erant: obſidionem ſibi partim turpẽ, partim peri=culoſam ratus, primũ legatis ad utrunq; miſſis, an bello liberare Mamertinos rebus pace compoſitis ualeret: ex-periri uoluit. ſed cum neuter hoſtium conſuli præberet aures: tãdem coactus ſubire periculũ, decernere primũ cum Syracuſanis ſtatuit. igitur copias aduerſus Hieronẽ educit: hortatur milites: acies ſtruit. nec Syracuſanorum rex certamini moram facit. diu, acriterq; pugnatur. tan dem uictoria penes Romanos fuit. quippe ꝗ magna par te hoſtium cæſa, Regẽ uſq; in caſtra perſecuti ſunt. con-ſul interfectorum corporibus ſpoliatis, ſe cum exercitu in urbem recipit. Hieron iã plane oĩbus rebus ſuis me=tuens, proxima nocte Syracuſas properat. poſtridie eius dici Appius cum Syracuſanorum fugam perſenſiſſet: au ctis animis perſequi eos decreuit. conuocatis itaq; militi bus iubet, ut curent corpora: dein cũ prima luce è ca-ſtris proficiſcitur: collatiſq; cum hoſte uiribus partim trucidat: alios cogit ĩ proxima oppida ſe recipere. in hũc itaq; modũ ſoluta obſidione, per Syracuſanorũ, atq; ſo=ciorũ agros intrepidus, nemine obuiã eunte incurſiones facit: deuaſtat cuncta: tandemq; ipſas Syracuſas obſidet. hæc prima populi Romani cũ exercitu extra Italiã pro fectio fuit ob eas quas diximus cauſas. ꝙ, cum iudicauiſſe mus totius noſtri propoſiti cõmodiſſimũ fore principiũ:

ab ea potiſſimum incœpimus, repetitis paulo altius, quæ neceſſaria uidebantur: ne quã in reddendis cauſis dubitationem relinqueremus. nam quo tempore, quóue modo Romani ſummo in diſcrimine fuerint, ipſam quoq; urbem Romam amittendi: & quando rurſus ſuperata Italia exteros ſubiugare cœperint: neceſſariũ exiſtimauimus ante omnia exponere: quò magnitudo imperij eorum, quæ poſtea ſecuta eſt, intellectis eiuſmodi principijs, ſimillima ueri uideretur. qđ ſi inſequẽtibus quoq; cum declaris ciuitatibus loquamur: aliquid forte paulo altius repetimus: nemo ſit, qui miretur. id enim eo conſilio facimus: ut principia noſtra talia ſint. ex quibus aperte liceat intelligere, quomodo qbus'ue rationibus ad eum quiſq; ſtatum peruenerit: in quo in præſentia permanet: quod hoc loco de Romanis fecimus. Verum, his omiſſis, tempus eſt: ut iam ad id, quod propoſitum erat: reuertamur, ea primo breuiter ſummatimq; exponentes: quæ ante ea tempora, de quibus ſcribere præcipue intendimus: geſta ſunt: quorum primum eſt bellum à Romanis Carthaginenſibusq; in Sicilia geſtum. proximum huic bellum Punicum, quod res geſtas primo Amilcaris, deinde Aſdrubalis cum ijs, quæ ſunt à Carthaginenſibus geſta coniungit: quo tempore prima Romanorum in Illyrium, atque eas Europæ partes transfretatio fuit: præterea certamina Romanorum aduerſus Gallos, qui ea tempeſtate in Italiam uenerant. eodem tempore apud Græcos quoq; bellũ geſtũ, qđ Cleomenicũ appellatur: ad quod noſtra hæc omnis præparatio tendit. nam ſingillatim res geſtas omnis commemorare, neque nobis neceſſarium uidetur: neq; audientibus uti-

*le.neq; enim hiſtoriam de illis ſcribere inſtituimus: ſed
ſummatim ea, quæ ad futuram hiſtoriam neceſſaria ui-
bũtur: attingere. quapropter breuiter ea cómemorantes,
quantum in nobis erit: enitemur finem eorum, quæ præ
parationis gratia referemus: cum principio noſtræ hi-
ſtoriæ coniungere. ita enim continuata narrationis ſe-
rie, & nos recte exiſtimabimur ea, quæ à cæteris hi-
ſtoria conſcripta ſunt: tetigiſſe: & diſcendi cupidis aper
tam, facilemq́; ex omni parte uiam parauiſſe. uerum
nobis uel in primis libuit primum hoc, Romanorum
cum Carthaginenſibus pro Sicilia bellum paulo diligen
tius conſcribere: qđ neq; diuturnius bellum reperire fa-
cile foret: neq; maiores apparatus, neq; frequentiora fa-
cinora, neque plura certamina, neq; maiores utrinque
rerum uarietates. quandoquidem ea tempeſtate uterque
populus legibus ſuis integer erat: fortuna mediocris: ui
ribus par. unde ſiquis utriuſq; ciuitatis uires, atq; im-
perium conſyderare uoluerit: non tam ex ſequentibus
bellis, q̃ ex hoc facere cóparationem debebit. illud quoq;
nos ad hoc bellum ſcribendum maxime impulit. quod
ij, qui optime uidentur de eo ſcripſiſſe Philinus & Fa-
bius: non parum à uero deflexiſſe mihi uidentur. q̃q̃ il
los qdem de induſtria mentitos eſſe non auſim dicere. ſed
eos puto (ut amantes conſueuerunt) ſuorum beneuolentia
deceptos. nam & Philino quidem ex affectu, Carthagi
nenſes oĩa bene prudenter fortiterq́; egiſſe uidentur: Ro
mani contra. Fabius uero ſententiæ eſt planè diuerſæ.
quam modeſtiã in cæteris uitæ partibus nemo fortaſſis
ſit, q reprehendat. ſiquidem bonũ uirum amicorum pa
triæq́; amicũ eſſe decet: & amicorũ amicos colere, ini-*

micos odiſſe. at eum qui ſcribendæ hiſtoriæ munus ſuſceperit: omnia huiuſcemodi moderari decet: & nõnunquam ſummis laudibus extollere inimicos: cum res geſtæ eorũ ita exigere uidentur: interdum amicos neceſſariosq; reprehendere: cum errores eorum digni ſunt, qui reprehẽdantur. ac ueluti ſi quis oculos animanti effoderit: quicquid ſupereſt corporis inutile fit: ita dempta ex hiſtoria ueritate, narratio omnis inutilis eſt. quamobrem neq; à reprehenſione amicorum, neq; ab inimicorum laudibus, cum ita res ferat: abſtinendum: neq; turpe putandum, ſi eoſdem aliquando reprehendamus, interim laudemus. ſiquidem eos, de qbus ſcribimus: neq; ſemper recte facere, neq; continue errare ueriſimile eſt. quod aũt hæc ita ſint, ex his, quæ Philinus ſcripſit: facile intueri licet. is enim ſtatim in principio ſecũdi libri ita ſcribit. Carthagnenſes atq; Syracuſani Meſſanam obſidebant: quò cum Romani milites traiecto freto adueniſſent: cõfeſtim aduerſus Syracuſanos exeuntes, & ab ijs uicti, ac profligati in urbem regreſſi ſunt. rurſusq; aduerſus Carthagnenſes profecti, non ſolũ fuſi fuerunt: uerum etiã magna pars eorum uiui capti. ſtatimq;, cum hæc dixiſſet: Hieronem inquit, poſt id præliũ adeo timore perculſum fuiſſe, ut ut non ſolum incenſis caſtris, atq; tentorijs per noctem Syracuſas fugerit: uerũ etiam munitiſſima quæq; loca, quæ inter Meſſanã ac Syracuſas erãt: dereliquerit. Carthagnenſes quoq; refert eo prælio pari modo perterritos, relictis caſtris, per Siciliæ oppida ſe diuiſiſſe: neq; poſt eum diẽ educere exercitum fuiſſe auſos: quin duces eorum, cum populorũ animos adeo perculſos cernerẽt: ſuaſiſſe, ne amplius res eorum fortunæ

belli committendas ducerent. Romanos autem Carthaginenſes inſecutos non ſolum prouinciã deuaſtaſſe Carthaginenſium & Syracuſanorum: uerum ipſas quoq; Syracuſas obſediſſe. quæ res adeo omni ratione caret, ut eã refellere ſit protinus ſuperuacuum. quos enim paulo ante Meſſanam obſidentes, collatis manibus uictores fecerat: eoſdem mox in fugam conuerſos caſtra reliquiſſe, & perculſis animis ſeſe in ciuitatẽ recepiſſe, tandemq; obſidionem paſſos eſſe commemorat. quos uero prælio ſuperatos à Carthaginenſibus obſideri dixerat: eos ſine mora uictores, factis per agros hoſtiũ incurſionibus, ad extremum Syracuſas obſidentes facit. hæc uero inuicem conuenire nequaquam poſſunt. aut enim, quod primo poſuit: aut, quod mox ſubiecit: falſum ſit neceſſe eſt. conſtat autem hoc uerum eſſe: cum neminem lateat Carthaginenſes, atq; Syracuſanos, relictis caſtris, ſe in urbẽ recepiſſe: Romanos uero citato gradu oppugnatum iſſe Syracuſas. ſupereſt igitur quod primo poſuerat falſum eſſe. & cum in eo prælio, quod propè Meſſanam geſtum eſt: uictoria penes Romanos fuerit: authorem tamẽ illos bello à Carthaginẽſibus ſuperatos finxiſſe. talem frequẽter reperias Philinũ: neq; ſecus etiam Fabium: ut ſuis utrunque locis oſtendimus. quapropter, ut eò reuertamur, unde diſceſſimus: nos pro uirili noſtra operam dabimus: ut ſtudioſis noſtri operis facile ueritas hiſtoriæ diluceſcat. Cum igitur fama rerum ab Appio, cæteriſque Romanis militibus bene ſtrenuéq; geſtarum, ex Sicilia Romam perueniſſet: conſules declarati M. Valerius, & C. Octacilius, uterque cum omnibus copijs in Siciliam miſſus eſt. erant in Romanorum

exercitu legiones quatuor. Romani omnes, præter auxilia, quæ ſingulis annis à ſocijs acerſebantur. harum ſingulæ continebant peditum quatuor millia, equites trecentos. Igitur aduentu conſulum pleræque ciuitates tum Carthaginenſium, tum Syracuſanorum ad Romanos defecerunt. Hieron cum iam Siciliæ populos cecidiſſe animis cerneret: & ſimul Romani exercitus multitudinem, ac uires adauctas, tutius ſibi fore ratus Romanorum. quàm, Carthaginenſium partes ſectari, legatos ad conſules mittit: qui de pace atque amicitia tractarent. Romani, q̄d Carthaginenſes undiq; maria tenentes cernebant: &, ne aliquando intercludi commeatus poſſent: uerebantur: commodiſſimam fore huic rei Hieronis amicitiam rati, pacem cum Syracuſanis his ferè conditionibus firmauerunt. ut rex captiuos, quos in uinculis habebat: Romanis ſine precio reſtitueret: argenti inſuper talenta centum penderet: &, ut deinceps Syracuſani ſocij atque amici, populi Romani appellarentur. Hieron rex iam ſub Romanorum tutela ſponte conſtitutus, auxilijs & commeatibus, quotiens neceſſarium fuit: populo Romano abunde ſubminiſtratis, reliquum ætatis ſuæ feliciſſimus Grecorum omnium fortunatiſſimusq; peregit. etenim hic mihi inter cæteros clariſſimus uidetur fuiſſe: & conſilijs ſuis omnibus diu feliciter uſus, cum publicis tū priuatis in rebus. uerum, cum primum earū rerū fama Romam peruenit: populus Romanus approbatis conditionibus pacis cum Hierone initæ, poſt eum diem haud neceſſariū putauit Romanos oēs copias extra Italiā mittere, duas tantūmodo legiōes ſatis ſupq; eſſe ratus, ſimul

quod aſcito in ſocietatem rege, leuius fore bellum exiſti mabat, ſimul qđ per eum modum maior futura erat co pia rerum exercitui neceſſariarũ. cæterum Carthagi-nenſes, ubi Hieronem uident hoſtem ſibi factum: Romanos uero maiorem Siciliæ partem occupatam tenere: ua-lidiori ad reſiſtendum potentia opus eſſe rati, Lygurũ, atq; Gallorũ multitudinẽ, præterea etiã pleroſq; ex Hi-ſpania milites in ſupplementum ſcribunt. quibus in Sici liã traductis, cum Agrigentinorum urbem ad belli ap-paratum peropportunã eſſe cernerent: quod in fronte ad uerſus hoſtes munitiſſima erat: contractis in eam undiq; copijs, & commeatu abundantiſſime parato, illa ueluti quadam arce belli aduerſus Romanos utuntur. conſules fœdere cum Hierone percuſſo è prouincia deceſſere. poſt eos uero Lucius Poſthumius, & Q. Aemylius conſules creati in Siciliam cum exercitu ueniunt. hi primũ Car thaginenſiũ rebus diligentiſſime cóſideratis, intellectóq; apparatu, circa urbem Agrigentum facto audacius, quá ſuperiores fecerant: Siciliæ rebus incumbendum cẽſue-runt. quamobrem coactis in unum omnibus copijs, ip-ſum Agrigentum inuadunt: & non longius octo ab ur be ſtadijs caſtra metati, hoſtẽ mœnibus incluſum tenẽt. erat iam meſſis tempus: et longam fore obſidionem oẽs rebantur. quãobrẽ milites relictis caſtris audacius, q̃ res poſtulabat, colligendis frugibus intenti erant. Carthagi-nenſes conſpicati hoſtem palantem, & uagum per pro uinciã ſecurũ diſcurrere, magnã in ſpẽ adducti Romano-rũ exercitũ eo die opprimi poſſe, magna ui pars in ca ſtra hoſtiũ, pars in ipſos frumentatores impetũ faciunt. ſed diuerſitas morum, cum ſæpe aliàs, tum maxime eo

die rem Romanam tutata eſt. nam apud Romanos mors pœna eſt iis, qui in bello locum, in quo conſtituti ſunt: reliquerint, aut aliquo modo è caſtris fugerint. quo factum eſt, ut, cum Carthagnenſium longe maior numerus foret: Romani tamen fortiſſime reſiſtentes, multis quidem ex ſuis amiſſis, longe plures ex Carthagnenſibus interfecerint: tandemq; non ſolum hoſtes à caſtris auerterint: uerum etiam eos inſecuti, partem trucidarint: reliquos ouantes ipſi redire in mœnia præcipites coëgerint. cæterum tantus utroſq; metus ex huius diei periculo inuaſit: ut deinceps, neque Carthagnenſes inconſultius impetum facere in caſtra Romanorum auderent: neque Romani temere ſuos frumentatum abire paterentur. cumq; Carthagnenſes iam non amplius in Romanos exirent, ſagittis tantummodo eminus pugnantes: conſules, in duas partes diuiſo exercitu, alteram ad Aeſculapii templum poſuerunt: altera ad eam partem, quæ ad Heracliam ſpectat: caſtra metati. quod uero inter duo caſtra medium erat: ex utraq; parte urbis duplici cinxere uallo. & unam quidem foſſam inter ſe, ac mœnia urbis fecerunt: quò ab egredientibus tuti forent: alteram uero extrinſecus: ne aliunde uenire ſubſidia poſſent: quæ plerunq; à uicinis ciuitatibus præſtari obſeſſis urbibus conſueuerunt. loca inter foſſas, atq; exercitum media præſidiis militum diligentiſſime firmarunt. commeatum cæteraq; exercitui neceſſaria ſocii omnes in Erbeſum oppidum ſummo ſtudio congerebant. hæc poſtea ex eo oppido (haud enim procul aberat) milites Romani commodiſſime ferebant in caſtra. quinq; in hunc modum menſes Carthagnenſes

Romaniq; manſerunt, neutram fere in partem incli-nantibus rebus, tandem uero, cum fames premere Carthegnenſes cœpiſſet, ob ingentem multitudinem: quæ incluſa mœnibus tenebatur (erant enim ultra quinquaginta millia hominum). Annibal, penes quem ſumma imperij erat: iam rebus ſuis prorſus diffidens, confeſtim Carthaginem miſit: qui & circumuallatio-nem urbis nuntiarent: & opem, atque ſubſidium pe-terent. quibus rebus permoti Carthaginenſes instructo exercitu, magnoq; elephantorum numero coacto, ac pa ratis nauibus, omnes ad Hannonem alterum Carthagi nenſium ducem in Siciliam miſerunt. hic coactis omni-bus copijs Heracleam profectus, principio rebus omni bus diligentiſſime conſideratis, Erbeſum oppidum, quod uſque in eum diem horreum populi Romani fuerat: per proditionem recepit: & facultatem commea tuum, ac cæterarum rerum exercitui neceſſariarum hoſtibus ademit. quo factum eſt, ut Romani non mi-nus obſiderentur, quàm obſiderent. eò enim, ob pe-nuriam annonæ, & cæterarum rerum neceſſariarum redacti ſunt: ut ſæpenumero de diſſoluenda obſidione conſilium ceperint: quod tandem proculdubio feciſ-ſent: niſi Hieron Syracuſanorum rex ſummo ſtudio commeatum, & cætera neceſſaria exercitui ſuppe-ditaſſet. poſt hæc Hanno cum uideret Romanos mor-bo ſimul, atq; inopia rerum neceſſariarum grauiter urgeri (ingens enim exercitum peſtilentia inuaſerat) & ſuos promptos paratosq; ad prælium intelligeret: coactis ultra quinquaginta elephantis, & ſimul pa-ratis omnibus copijs exercitum omnem ex Heraclea

educit. iubet equitibus numidis, ut præcedant: & conſerendo cum hoſtibus manus, eos irritent: & quantum in eis ſit, hoſtium equites prouocare in prælium conentur: deinde inſequentibus uertant terga: neq; prius deſiſtant fugere, quàm ad ſe reuerſi ſint. Numidæ mandata Ducis exequi: collatisq; cum altero exercituum manibus, hoſtes irritare. Romani equites confeſtim in eos erumpere: numidas temere inſequi: Libes, prout eis mandatum fuerat, quouſq; ad Hănonem redirent: fugere. tum Romanis terga dantibus, inſequi: complures eorum interficere: reliquos uſq; in caſtra fugare. his rebus ita geſtis, Carthaginenſes cum exercitu profecti, collem occupant nomine Torum non amplius decem ſtadijs à caſtris hoſtium remotum. hunc in modum duobus menſibus commorati, nihil omnino faciunt: præterquam quod ſagittis interdum, telisq; eminus pugnant. interea Annibal multis, ac crebris per noctem ignibus, etiam plerisq; nuntijs ad Hănonem miſſis, multitudinem amplius famem perpeti non poſſe ſignificat: multos ex ſuis ob penuriam annonæ ad hoſtes defeciſſe. his tandem cauſis permotus Hanno in aciem copias educit. nec ſegniores ad prælium Conſules accedunt ob eas, quas diximus, difficultates. utrique copias in locum æquum deducunt. conferuntur uires: acriter inter ſe concurrunt. prælium diu atrox fuit. tandem Romani primam Carthaginenſium aciem in fugam uertunt. fugientes in elephantos præcipites eunt. qua re conterritæ pecudes agmina conturbant. per earum ſtragem ſubſecuti centuriones ad extremum terga uertere Pœnos

cogunt. per hunc modum profligati Carthagnenſes, pars in prælio occiſi, reliqui Heracleam ſe recipiunt. Romani elephantis ferè omnibus, qui in prælio fuerant: cæteriſq; Carthagnenſium rebus potiti in caſtra copias reduxerunt. adueniente uero nocte, cum propter ingentem lætitiam, quæ ex bene geſtis rebus euenire frequenter conſueuit: nec non ob laborem ſuperioris prælij, negligentius à Romanis cuſtodiæ fierent: Annibal deſperatis rebus, commodiſſimum tempus ad ſuam, ſuorumq; ſalutem ob eas, quas diximus cauſas, adeſſe ratus, intempeſta nocte cum copijs, quas Agrigenti habebat: egreſſus per medias hoſtium munitiones, manipulis palearum æquatis aggeribus, nemine pœnitus ſentiente, cum ſuis omnibus incolumis euaſit. Romani uero ſub primam lucem re intellecta inſecuti parumper ueſtigia hoſtium, mox omnes ad urbem capiendam reuerſi, nullo iam repugnante, in portas ciuitatis impetum faciunt: exercitum omnem intra mœnia inducunt: urbem locupletiſſimam diripiunt, multitudine ſeruorum uarijſq; prædæ generibus potiti. poſtquam Romæ nuntiatum eſt Agrigentum profligatis Carthagnenſibus in populi Romani poteſtatem ueniſſe: romani ſublatis animis, maiora mente agitare cœperunt. neque iam ijs rationibus, quibus principio inducti fuerant: inſiſtentes, aut Mamertinos Meſſanamq; ſeruaſſe, aut Carthagnẽſium opes contriuiſſe in Sicilia contenti erant: ſed longe maiorum rerum ſpe concepta, Carthagnenſes omnino è Sicilia expellere cupiebant. ea re patrata, maximum ſperabant incrementum res ſuas habituras. huic igitur rei, atque his de Sicilia cogitationibus omnes intenti erant,

teti erant, haud ignari pedeſtribus copijs Romanos ſine dubio longe potentiores eſſe. igitur expugnato Agrigento, L. Valerius & T. Octacilius conſules creati, magno militum delectu habito, in Siciliam mittuntur. ita Carthaginenſibus mari ſine controuerſia dominantibus, quaſi æquatum erat bellum. cuius rei argumentum eſt, quod poſt expugnatum Agrigentum, pleraque Siciliæ mediterranea oppida, ob metum pedeſtrium copiarum, ad Romanos defecerant. poſt uero aduentum claſſis longe plures maritimæ ciuitates metu adductæ potentiæ ſeſe Carthaginenſibus dediderant. ſic par utrinque ratio belli conſtabat. ſed Italia ſæpenumero ob nauales copias, uarijs hoſtium incurſionibus, uexabatur. Africa uero claſſis omnino expers erat. his rebus diligenter conſyderatis populus Romanus mari quoque cum hoſtibus congrediendum ſtatuit. quæ res me uel in primis hortata eſt: ut præſens bellum pluribus uerbis conſcriberem: ne quis forte hoc quoque principium ignoraret, quomodo, quando, & quibus cauſis adductus populus Romanus parandam ſibi claſſem, & naualibus quoq; copijs cum hoſtibus dimicandum cenſuerit. cum igitur bellum aliter nullum finem habiturum uideretur: Romani centum & uiginti nauium claſſem ædificari curant. ex ijs centum quinqueremes faciunt: reliquas uero triremes. in huius claſſis apparatu perquam difficilis fuit quinqueremium ædificatio: quod nemo eiuſmodi nauigijs per id tempus in Italia utebatur. quo magis admiranda eſt Romanorum excellentia, ac magnitudo animi. homines enim maritimarum re-

rum prorſus ignari, quiq; nullam prorſus cogitationem maris ante eum diem habuerant: ita intrepide pelagus ingreſſi ſunt: ut prius nauali bello cum Carthaginenſibus certarint, quàm ullum eius rei periculum feciſſent: cum per id tempus Carthaginenſes conceſſione omniũ, principatũ maris partũ olim à maioribus ſuis, et quaſi hæreditario iure ſibi relictum tenerent. quod ſingulare teſtimonium eſt & rerum à nobis ſcriptarum, & audaciæ Romanorum. Nam cum primo Meſſanam traducere copias tentauerunt. non ſolum armatam nullam nauim habebant: ſed ne paulo quidem longiorem, & ne lembum quidem ullum. at Tarentinorum, et Locrenſium, et Neapolitanorum nauibus uſi cum exercitu in Siciliam transfretarunt. erant eo tempore circa fretum Siciliæ cõplures Carthaginenſium naues: quorum una quinqueremis, cum longius à cæteris uagaretur: caſu fracta ad manus Romanorum peruenit. hæc exemplar eius generis Romanis præbuit: eius inſtar omnis eorum claſſis ædificata. dum uero quinqueremes parabantur: interea multitudo omnis ad remigium exercebatur per hunc modum. ſubſellijs in harena per ordinem diſpoſitis, remiges inſidentes ad uocem præcipientis, qui in medio eorum erat: omnes unà protendere brachia, ac reducere, remoſq; per harenam mouere pariter docebantur: ad illius uocem ſimul omnes incipiebant: ſimul deſinebant. per hunc modum nauigandi artem edocti, & perfectis interea nauibus mare ingreſſi, poſt paucos dies uerum in undis periculum fecerunt. C. Cornelius conſul, qui paucas ante dies bus claſſi præpoſitus fuerat: omnibus nauibus ad fre-

tum perductis, ipſe cum decem & ſeptem Meſſanam proficiſcitur: reliquas iuxta Italiæ oram relinquit. paratis Meſſanæ, quæ ad claſſis uſum neceſſaria erant: cum res ita poſcere uideretur: iiſdē cum nauibus Liparas nauigat. per id tempus Annibal dux Carthaginenſium Panormi cum claſſe erat. Is audito conſulis aduentu, Boodem quendam ex Senatu Carthaginenſi ad ea loca cum uiginti nauibus miſit: qui eò noctu ſuperueniens, naues Romanorum in portu nactus incluſit. conſul inopinato malo circumuentus, neſcius quid conſilij caperet: tandem ſeſe hoſtibus dedit. Carthaginenſes nauibus, & duce earum potiti, confeſtim ad Annibalem reuertuntur. non multis interiectis diebus, poſt adeo apertam, recentemq́; Cornelij cladem, Annibal, cui arriſiſſe fortunæ benignitas uidebatur: non diſſimili iactura affectus audierat Romanorum claſſem ſecus Italiæ littus nauigantem, haud procul à Sicilia eſſe. multitudinem hoſtium, atque ordinem, ſtructuramq́; nauium cernere mirum in modum ardebat. delectis igitur quinquaginta nauibus, Italiam petit. ibi, cum propter oram Italiæ contrario, quàm Romani, curſu ferretur: in claſſem hoſtium bene inſtructam paratamq́ue ex improuiſo incidit: ſubitaq́; atque inopinata ui oppreſſus, naues ferè omnes amiſit. ipſe præter ſpem ſuam, atque opinionem omnium cum paucis ſuorum diffugit. Romani poſt hæc Siciliæ magis appropinquantes, aduerſo caſu Conſulis per captiuos cognito, citato curſu, ad C. Duellium alterum conſulem, qui pedeſtribus copijs præerat: mittunt. hunc aliquandiu præſtolati, cum tandem ad eos per-

latum foret claſſem hoſtium non longe abeſſe: omnes nauali prælio ſe parant. ſed quia eorum naues tardæ nimis, & ad celeritatem parum commodæ erant: ſingulis quibuſque munimenta quædam aptant: quæ poſtea coruos appellauere. ea fuit machina huiuſmodi. lignea columna proris inerat longitudinis quatuor ulnarum, latitudinis palmorum trium. in eius apice rotam conſtituerant. huic præterea tabulæ inhærentes ſcalas conficiebant: quarum latitudo erat pedes quatuor, longitudo ſex ulnæ. foramen tabulati per longitudinem erat. ſcalæ ab utroque latere uſque ad genu munitæ. in ligni extremo ferrum erat inſtar malei peracutum: præterea anulus fune alligatus: ita, ut hæc machina machinis frumentarijs ſimillima uideretur: igitur ſimulac nauis hoſtium aduentabat, laxato fune ſcalæ dimittebantur: ferrum pondere, ac ui ligni ſuper hoſtium nauim delapſum figebatur. ſi aduerſa prora erat, bini milites per ſcalas deſcendebant, duo primi præferentes ſcuta, reliqui latera ſcutis protecti. ſi uero obliqua erat, hoſtium nauis in eam ex tota pariter naui, deſiliebatur. facto igitur huiuſmodi apparatu, ad nauale prælium. C. Duellius caſu alterius Conſulis, qui naualibus copijs præerat: quàm celerrime cognito, pedeſtrem exercitum tribunis militum relinquit. ipſe ad claſſem maturat iter. hic, cum intellexiſſet Carthagnenſes non longe à Mylis ſtationem habere: eò cum omni claſſe proficiſcitur. Carthagnenſes ſimulac aduentare hoſtem intellexerunt: magna ſpe adducti, quod maritimarum rerum rudes eſſe Romanos arbitraban-

tur: centum & triginta nauibus paratis, omnes aduerſus hoſtes in altum feruntur: nullum prorſus periculum timentes, perinde ac ſi in manifeſtam prædam pergerent. dux eorum erat Annibal: quem noctu Agrigento eduxiſſe copias, & per medias hoſtium munitiones effugiſſe memorauimus. Is ſeptiremem habebat: quæ olim Pyrrhi Epirotarum regis fuerat. ut ergo appropinquare inter ſe claſſes cœperunt: corui in ſingulis quibuſq; proris proſpecti, ancipites pœnorum animos ob rei nouitatem, aliquandiu tenuerunt. tandem uero, quicquid id foret, re contempta, infeſtis ſignis in hoſtes feruntur. implicatis iam, ac ſimul colligatis nauibus, militibusq;, romanis ex ſuis in hoſtium nauigia per machinas prorumpentibus, Carthaginenſes pleriq; trucidati, alij ob machinas hoſtilium nauium ſtupefacti, ſeſe hoſtibus dediderunt. uiſum eſt id certamen pedeſtri certamini q̄ſimillimum: nec periculum impar fuit. triginta Carthaginenſium naues, quæ primæ aduerſus Romanos impetum fecerant: captæ: inter quas fuit nauis prætoria, quam paulo ante Pyrrhi regis fuiſſe diximus. Annibal præter ſpem atq; opinionem ſuam aduerſantibus rebus, in ſcapham proſiliens, fugæ ſaluti ſuæ conſuluit. reliqua Carthaginenſium multitudo pari modo aduerſum claſſem hoſtiū cum impetu ferebātur. ut uero hoſtiliū nauiū machinis primas ſuorum naues per artem captas intellexere: ad ludificandi artem conuerſi non iam contrario impetu, ſed obliquo in Romanos ferebantur, freti celeritate nauium ſuarum, & per eum modum uiolentiam coruorum declinare ſe poſſe exiſtimantes. uerum ita inſtructæ paratæq; erant machinæ: ut undecunq;

appropinquantes hoſtes facile colligare poſſent. quamobrem Carthaginenſes nouitate coruorum perterriti, tandem in fugam uertuntur, quinquaginta nauibus in prælio ammiſſis. Romani iam præter ſpem in mari potentiam adepti, multo acrius bello inſiſtere: factoq; in Segeſtanam oram itinere urbem obſidione liberare. mox inde profecti Macellam urbem expugnauerunt. poſt nauale bellum Amulcar Carthaginenſium dux, qui tũ pedeſtribus copijs in Sicilia præerat: cum audiſſet in exercitu Romanorum inter milites Romanos, atq; auxilia ſociorum uarias de uirtute ac gloria pugnandi contentiones agitari: ob eamq; rem ſocios à Romanis ſuperatos per ſeipſos caſtra metari: citato itinere ad ſocios profectus, eosq; ex improuiſo aggreſſus circiter quatuor millia hominum interfecit. his rebus ita geſtis Annibal cum paucis illis, quæ à prælio ſuperfuerant: nauibus Carthaginem redijt. inde non multis interiectis diebus, cum claſſe & quibuſdam claris triremium ducibus in Sardiniam mittitur. Hic paucis poſt diebus à Romanis in quodam portu incluſus claſſem ferè omnem amiſit. ipſe per hoſtium manus dilapſus, mox à Carthaginenſibus captus, & crucifixus occiditur. Romani, ut pote qui iam pelago dominari cœperant: omni ſtudio Sardiniam inuaſere. proximo dehinc anno ab exercitu Romanorũ, nihil ſanè memoria dignũ in Sicilia geſtũ. creati deinde conſules C. Sulpitius, & A. Rutilius Panormũ mittuntur: quod illic per id tẽpus Carthaginenſiũ copiæ erant. hi confeſtim eò traiectis oĩbus copijs ante urbẽ aciẽ ſtruere: Carthaginenſes mœnibus incluſi pugnandi copiam hoſtibus non facere. quod cer-

nentes Romani rurſus relicto Panormo Hippanam oppidum petunt: & breui poſt tempore expugnant. Myſſiſtratum quoq; interiecto tempore, quod obſidionem opportunitate loci diutius tolerauerat: à conſulibus capitur. Super hæc in Camerinenſes, quæ ciuitas paulo ante à Romanis defecerat: ducto exercitu, ea quoq; urbs machinis atque tormentis expugnatur. capta eſt etiam ab iiſdem conſulibus Aetna, & alia pleraq; Carhaginenſium oppida. Lipparæ quoq; ab eiſdem obſeſſæ. per idẽ tempus Aulus Rutilius conſul, qui claſſi Romanorum præerat: apud Tyndaritanos ſtationem habebat. hic Carthaginenſium claſſem non longe à litore conſpicatus mandat ſuis, ut ſeſe quàm celerrime ſequantur. ipſe cũ decem tantummodo nauibus ante alteram claſſem in altum nauigat. Carthaginenſes, cum hoſtes cernerent alios adhuc naues conſcendentes, alios mare intrantes, primos longe à ſocijs remotos ſibi propinquos eſſe: ſubito conuerſi incredibili celeritate Romanorum naues circumſiſtunt: pleraſque ſubmergunt: parumq; abfuit, quin nauis prætoria cum omnibus, qui in ea erant: Carthaginenſium in poteſtatem ueniret. remorum ac nimia celeritate freta tandem uix euaſit. Inter hæc reliqua Romanorum claſſis in altum delata obuia fit hoſtibus: Carthaginenſium naues decem onuſtas capit. octo mari ſubmerſæ. reliquæ arrepta fuga Lipparas ſe recepere. ex ea pugna hac opinione utriq; diſceſſerũt: ut primas uictoriæ partes ſibi aſcriberẽt. quare ardẽtius multo ſeſe ad nauale bellum parabant. maritimis rebus lõge magis intenti erant. pedeſtres uero copiæ per id tempus nihil memoria dignum fecere, paruis quibuſdam,

& nullius momenti rebus immorati. adueniente uero æſtate inſtructis paratiſq; rebus, ut ſupra oſtẽdimus: ad bellum exeunt. Romani quidem cum quinqueremibus trecentis & trigınta Meſſanam conueniunt. unde poſtea mouentes præter dextrum Siciliæ latus, ſuperato Pachini promontorio, Ecnomon nauigant: quo in loco pedeſtres copiæ claſſem præſtolabantur. Carthaginenſes uero cum trecentis & quinquaginta nauibus mare ingreſſi Lilybei conſiſtunt. Romanorum conſilium erat nauigare in Africam: & eò omnem uim belli transferre: quò Carthaginenſes non in Sicilia ſolum, uerum etiam in propria domo periclitarentur. contra Carthaginenſes cũ cernerẽt, quàm facilis eſſet in Lybiam deſcenſus, quam imbelles populi, hoſtibus ſemel prouinciam ingreſſis pugnare protinus cum Romanis cupiebant: atq; ita eorum tranſitum in Africam impedire. per hunc modum his ad reſiſtendum illis, ad inferendam uim paratis haud dubie ex utriuſq; obſtinatione futurum certamen apparebat. igitur Romani ijs, quæ ad nauale bellum, & ad transfretationem in Africam neceſſaria uidebantur: diligentiſſime paratis, delectos è pedeſtribus copijs præſtantiores milites in nauibus collocant. claſſem omnem quadripartito diuidunt. Partes ſingulas duplici appellatione uocitant. prima quidẽ claſſis acies, & prima claſſis appellata. reliquæ eodẽ modo per ordinẽ præter quartã, quæ, ut in pedeſtri exercitu, triarij uocati. fuere in claſſe Romana ſupra centum & quadraginta millia hominũ. ſingulis quibuſque nauibus trecenti remiges, & legionarij milites centum & uiginti imponebãtur. Carthaginenſes duntaxat aptis ad

nauale bellum hominibus, claſſem refertam habebant. eorum omnis multitudo erat ſupra centum et quinquaginta millia hominum. quo fit, ut non modo præſentes uidenteſq;, uerum etiam audientes magnitudinem periculi, potentiam partium utriuſq; exercitus præclara facinora uirorumq;, & nauium multitudinem obſtupeſcant. Romani cum animaduerterent neceſſarium fore, ut nauigatio obliqua fieret: ſimulq; intelligerent hoſtes peritia celeriter nauigandi plurimum pollere: firmum atq; inſuperabile perficere agmen conantur. duas igitur ſexremes, in quibus M. Attilius, & L. Manlius uehebantur: æque diſtantes in fronte collocant. has prima, & ſecunda claſſis ab utroq; cornu, nauibus omnibus per ordinem ſingillatim diſpoſitis, ſequebantur: ita, ut continue diſtantia, quæ inter duas claſſes media erat: amplior fieret. roſtrum uniuſcuiuſq; nauis extra reſpiciebat. per hūc modum protractis, dilatiſq; per duas claſſes aciebus, duo trianguli latera reſultabant. ijs tertiam claſſem quaſi baſem pari modo addiderunt: ita, ut tres acies ſic diſpoſitæ, plenam trianguli figuram perficerent. poſt tertiam claſſem ſingillatim ordinatæ erant naues, quibus equi uehebantur. hæ tertiæ claſſi funem præbebant. poſt eas triarij ſequebantur per ordinem: ſingulæ quæq; naues diſpoſitæ adeo, ut ex utroq; latere antecedentes ſuperarent. omnis Romanorum claſſis per hunc modum inſtructa. primæ partes, hoc eſt, duo latera triāguli in medio uacua erant: poſteriores uero, id eſt, quæ baſim ſequebantur: ſolidiores. claſſis tota firma, ac prorſus indiſſolubilis erat. At Carthaginēſium duces per idem tempus conuocata multitudine, hor

tari milites:ut magno fortiq; animo eſſent: ſi uincerent bellum,deinceps pro Sicilia futurum oſtendere:ſin uictoria penes Romanos foret:nō iam ſe pro Sicilia,ſed pro patria,pro laribus,pro liberis dimicaturos.in hunc modum hortati militum animos,naues conſcendere iubēt. quod cū omnes alacri animo feciſſent,per ea, quæ à ducibus cōmemorata fuerant:futura coniectantes,ad bellū audaciſſime exeunt.duces interea ordinē Romanæ claſſis conſpicati,in quatuor ipſi quoq; partes copias diuiſere.harum tres in altum delatæ,extenſo longius dextro cornu,tanquam hoſtem circūdaturæ conſiſtunt, proris omnibus in hoſtem conuerſis·quarta ad ſiniſtrum cornu propter littus firmatur. duces Carthaginenſium erant Hāno,& Amilcar.Hāno cū uelocioribus nauibus dextro cornu præerat . ſiniſtri curā habebat Amilcar: quē apud Tyndaridas nauali bello profugiſſe diximus·is tūc cum omni robore in medio agmine uerſatus,uſus eſt huiuſmodi cōnſilio.conſules primo ſtatim congreſſu,tenuē Carthagnēſium aciē conſpicati, facto in mediū agmen impetu,in hoſtes prorūpunt.illi,ſicuti eis ab Amilcare mandatum fuerat:ſimulata fuga, quò Romanorum claſſem diſiungerent:ſtatim cedūt·Romani cupidius inſequuntur.igitur prima , et ſecunda Romanorū claſſis poſt hoſtes audacius profecta:tertia uero,quartaq; tardius ſequebatur.q̄obrem duæ primæ claſſes ſtatim à reliqs ſeparātur. qđ ſimulac Carthaginenſes ſenſerūt,facto è naui Amilcaris,quēadmodum ante conuenerat: ſigno,repente ſimul omnes conuerſi,inſequentes Romanorum naues inuadunt·fit atrox prælium.ac celeritate quidem,& arte ambiendi,eludendiq; longe præ-

ſtabant Carthaginenſes: robore uero, ac uirtute militum, poſtquam ad pugnam uentum, & collatæ ſimul uires erant: Romani plurimum excellebant. tale itaque naualis pugnæ principium fuit. dehinc Hanno, quem dextro Carthaginenſium cornu præfuiſſe diximus: ubi pugnam cum prima Romanorum acie inceptam uidet: ſuperato mari, triarios inuadit. hic quoque ingens fit prælium: dubioq; euentu belli aliquandiu certatur. interim quarta quoque Carthaginenſium acies, quæ propter littus conſtiterat: conuerſis in hoſtem proris, claſſem, cui hippagines alligatæ erant: à fronte aggreditur. illi dimiſſis uinculis, cum hoſtibus acerrime dimicant. tres totius certaminis partes, & tres pugnæ nauales, diuerſis, longéq; diſiunctis locis uno tempore cernebantur. &, quoniam numerus nauiũ in ſingulis pugnis erat pene par: certamen quoq; par erat. utriq; enim fortiſſime dimicare: omnia inter certantes quamſimillima eſſe. tandem ſuperatus Amilcar, &, qui cum eo erant: fugam arripiunt. Lucius Manlius reliquias hoſtium perſequitur. at M. Attilius, ubi triariorum, atq; hippaginum certamen uidet: cum integris ſecundæ claſſis nauibus, illis confeſtim ſuccurrit. triarij, qui iampridem ab Hãnone oppreſſi, ſummo in diſcrimine uerſabantur: aduentu Conſulis inſtauratis uiribus, rurſus acerrime dimicant. ita ancipiti malo circumuenti Carthaginenſes, quod à fronte ſimul, & à tergo hoſtes haberent, freti celeritate nauium, in altum proficiſcuntur: atq; ita ſaluti ſuæ fuga conſulunt. interea tertia claſſis Romanorum, quæ circa littus erat: à Carthaginenſibus grauiter opprimi. L. Manlius, & M. Attilius triario-

rum, atq; hippaginum rebus in tuto relictis, diuerſo itinere laborantibus ſuccurrere. illi iam ueluti obſidionem pati. res eorum in extremo ſitæ eſſe. quippe qui procul dubio iampridem periſſent: ni coruos ueriti Carthaginenſes adhærere hoſtilij claſſi formidaſſent: tantum propellere hoſtes ad littus conati. uerum conſules repente circumuentis Carthaginenſibus, quinquaginta eorum naues plenas capiunt. paucæ ad littus adactæ fugiunt. ſingulatim igitur tria prælia à Romanis, Carthaginenſibusq; uno die commiſſa huiuſcemodi fuere. tandem uero totius pugnæ uictoria penes Romanos fuit. fregerũt ipſorum naues quatuor & uiginti: Carthaginenſiũ amplius triginta: plena nulla Romanorum nauis, à Carthaginenſibus capta. Carthaginenſium quatuor et ſexaginta plenis Romani potiti. nõ multo poſt id prælium interiecto tempore, Romani inſtauratis, quas ceperant: nauibus, & ad claſſem adiunctis, commeatuq;, ac cæteris neceſſarijs rebus paratis, ueluti in Lybiam nauigaturi, diſcedunt. eſt in Africa locus: quod Mercurij promontorium uocatur: longe in pelagus contra Siciliam protendens. eò primum Romani peruenere. mox inde ſtructis, ac reparatis nauibus, Clypeam nauigant. ibi non procul ab urbe expoſitis in terram copijs, naues ſubducunt: ualloq;, & foſſa diligenter muniunt. ipſi obſidere urbem parant: niſi, qui urbem tenebant: ſponte ſeſe populo Romano dederent. Carthaginenſes, qui paulo ante periculum naualis pugnæ fugientes, Carthaginem peruenerant: rati claſſem Romanorũ re bene geſta, recto itinere, Carthaginẽ nauigaturã, equeſtribus, pediſtribusq; copijs, ac neceſſarijs nauibus, opportuna urbis loca mu-

niuerant. uerum, poſtquam expoſitis in terram copijs, Clypeam urbem obſideri à Romanis intelligunt: depoſito domi metu, copias ad terreſtre, naualeq; bellum neceſſarias parare: domi foriſq; intenti eſſe: nihil, quod ad urbis, prouinciæq; cuſtodiam pertineat: prætermittere. conſules inter hæc expugnata urbe Clypea, præſidioq; militum impoſito, miſſis præterea Romam legatis, qui Senatum, & de rebus geſtis certiorem facerent: &, quid in poſterum agendum foret, conſulerent. poſtremo omnibus copijs in agrum Carthaginenſem adductis, impetum in prouinciam faciunt. ac nemine obuiam procedente, regionem populantur. pulcherrima, ornatiſſimaq; ædificia incendunt. prædam omnis generis rapiunt. nexorum ſupra uiginti milia ad naues adducunt. interim nuncij Romæ uenientes mandare Senatum dicunt: ut è duobus Conſulibus unus in Africa cum neceſſarijs copijs maneret: alter cum claſſe Romam reuerteretur. cognita igitur Senatus uoluntate. M. Attilius Regulus cum quadraginta nauibus, & quindecim millibus peditum, equitibus uero quingentis in Africa remanet. Manlius cum reliqua claſſe, atque omnibus alijs copijs, cumq; omni multitudine captiuorum, ex Africa ſoluens, Siciliam primo, mox Romam incolumis peruenit. Carthaginenſes diuturnum fore Romanorum apparatum ad bellum animaduertentes, primum duos exercitus duces creant: Aſdrubalem Hannonis filium, & Boſtarum. præterea ex Heraclea Amilcarem, miſſis ad eum nuncijs, accerſunt. is confeſtim Heraclea ſoluens cum quinque millibus peditum, equitibus quingentis, Carthaginem traijcit. tertiuſq; ipſe dux additur.

curam belli unà cum Aſdrubale, & Boſtaro ſuſcipit. duabus igitur inter ſe de belli adminiſtratione conſultantibus, placuit prouinciæ ſubſidium ferre: neq; tantam regionis ſtragem populationemq́; amplius pati. M. Attilius paucis interiectis diebus, ad urbem, quam Adim uocant: profectus, obſidere illam, atq; expugnare nititur. Quod ubi Carthaginenſes ſentiunt, ſummo ſtudio urbi ſuppetias ferre, eamq́; obſidione liberare cupientes, aduerſus Romanos cum omnibus copijs profecti, proximum collem ad dextram hoſtium poſitum occupauere: in eo, quoniam omni ex parte commodiſſimus uidebatur: caſtra metati. uictoriæ ſpem omnem in equitatu, atq; elephantis habebant. relicta itaque planitie, in altum, atq; præruptum locum exercitum ducunt: ueluti hoſtes, quid agendum eſſet, edocturi. quod proculdubio fecerunt. nam Romani cum elephantos, quibus maxime hoſtes confidebant: in prærupto monte prorſus inutiles eſſe ad bellum conſiderarent: minime expectandum cenſuerunt: donec hoſtium copiæ in planitiem deſcenderent. uerum opportunitate temporis uſi, ex utroq; latere montem cinxere. quo factum eſt, ut equi, elephantiq; Carthaginenſibus prorſus inutiles forent. mercenarij tantum milites, ex ſuperiori loco egregie dimicabant. iamq́; legiones Romanas referre aliquanto pedem coegerant: cum repente ex alia parte ſuperato monte, reliqui apparent. Carthaginenſes cinctos ſeſe undiq; ab hoſtibus animaduertentes, per abruptum montem derelictis caſtris, præcipites fugiunt. beluæ quoque, atque equites, poſtquam planitiem tetigere: tutò omnes inuadunt. Romani aliquantiſper pede-

ſtres copias perſecuti, ſpoliatis deinde caſtris, factiſque per uniuerſam prouinciam incurſionibus, agros, atque urbes populantur. interiectis paucis diebus, Tunes oppidum circunſiſtunt, atque expugnant. ibiq́; , quod per opportunum bello id oppidum uidebatur: eratq́; Carthagini, & prouinciæ oppoſitum: caſtra locant. Carthaginenſes paulo ante mari, nunc etiam terra, diuerſis prælijs à Romanis ſuperati, non quod multitudo hoſtium maior foret: ſed, & quod duces illorum prudentia, & milites fortitudine præſtarent: maximis præterea cladibus afflicti, exiguam ſpem ſalutis trahebant. poſt nouiſſimum enim prælium, quo fuſi, fugatiq; à Romanis fuerant: Numidarum ingens multitudo acta ſpe prædæ, contra eos aduenit. ab ijs maiorem propè iacturam, quàm à romanis indies pati. gẽs uaga, & rapax omnia populari. Carthaginenſes metu Numidarum trepidantes, è prouincia ad urbem confugere. fame, atque mœrore, cum propter multitudinem hominum, tum propter timorem diuturnæ obſidionis, pariter uexari. Marcus Attilius, tametſi Carthaginenſes cerneret terra, marique grauiter oppreſſos: ac proinde non multo interiecto tempore, urbẽ in eius poteſtatem uenturam ſperaret: tamen ueritus ne nouus Conſul, qui propediem uenturus in Africam credebatur: res à ſe egregie geſtas, ſibi tandem aſcriberet: de fœdere agere cum Carthaginenſibus cœpit. Carthaginenſes eam rem lætiſſimo animo accepere. mittuntur igitur ad conſulem legati principes ciuitatis, qui de pace agant. hi cum ad eum perueniſſent, tantum abfuit, ne fœdus cum Romanis inirent: ut ne audire quidem reſponſum con-

ſulis æquo animo potuerint. Etenim M. Attilius iam rerum omnium potitus, quicquid Carthagnenſibus offerret, id eos loco beneficij, ac muneris accepturos ſperabat. contra uero Carthagnenſibus uidebatur nihil ſibi etiam ad extremum uictis à conſule grauius, nihil acerbius reſponderi potuiſſe. quapropter legati, non ſolum re infecta diſcordes diſceſſerunt: uerum etiam reſponſum conſulis, ut nimis graue, atq; ſuperbum mirum immodū deteſtati ſunt. ea uero cum in Senatu Carthaginenſium retuliſſent: tametſi Carthaginenſes rebus ſuis iam pridem prorſus deſperauerant: tantam tamen auditis cõſulis petitionibus indignationem ſimul, atque audaciam animo conceperunt: ut ſubire potius extrema omnia, mortem'q; ipſam prius experiri decreuerint: quàm aliquid, aut nomini ſuo ignominioſum, aut rebus à ſe antea præclariſſime geſtis indignum perpeti. redierat forte ea tempeſtate Carthaginem quidam ex ijs, qui principio ad conducendos mercenarios milites miſſi in Græciam à Carthaginenſibus fuerant. hic ſecum magnum militum numerum adduxerat: inter quos fuit Xantippus quidam Lacedæmonius uir rei militaris peritiſſimus, & in bello non mediocriter exercitus. is audito Carthaginenſium conflictu, &, quemadmodum, quo'ue loco, aut tempore id accidiſſet: cognito, conſiderato præterea Carthaginenſium apparatu, equitum'q;, atq; elephantorum multitudine, confeſtim ad amicos conuerſus, minime, inquit, hanc à Romanis cladem acceperūt Carthaginenſes: uerum ipſi à ſeipſis ob ſuorum Ducum imperitiam. ea uoce ſtatim per uniuerſam urbem, ac principes ciuitatis ſparſa, Carthaginenſes uocare uirum, atq;

rum, atque eius ſententiam experiri decreuerunt. cum igitur ad eos ueniſſet Xantippus: rationem rerum à ſe dictarum, ante oculos eorum poſuit. cauſam cladis, quã à Romanis acceperant: oſtendit: ſi ſibi audire uellent: & relictis montibus, deinceps per loca æqua graſſari: illicq; locare caſtra, atque acies ſtruere: ſe eos docturum, quo pacto, & res eorum in tuto eſſe, & hoſtes facile ſuperari queant. his Xantippi uerbis permoti Carthaginenſium duces confeſtim omnem totius rei bellicæ ſummam in eius manibus ponunt. erat iam ob hanc Xantippi uocem per omnem exercitum coortus rumor: & quedã in ore omniũ ſpe, atq; lætitia plenus ſermo. ubi uero eductis ex urbe copijs, per ordinem cuncta diſpoſuit: tantam inter ipſum, atque ſuperiores duces, qui rei militaris rudes, atque imperiti fuerant: differentia apparuit: ut mox omnis multitudo clamore indicauerit: nihil ſe magis, quàm prælium cupere: adeo nihil mali pati ſe poſſe exiſtimabant duce Xantippo. his ita geſtis, Carthaginenſium duces cognito militum ardore, ac cohortatis pro tempore animis, paucis interiectis diebus, aduerſus hoſtem copias dimiſere. erant in exercitu Carthaginenſium plus, quàm duodecim millia peditum: equitum quatuor millia: elephanti propè centum. M. Attilius cognito hoſtium aduentu, quanquam & Carthaginenſium iter per loca æqua, & caſtra in planitie poſita, præter conſuetudinem uerebatur: tamen dimicandi cupidus obuiam hoſtibus proceſſit: ſuaq; caſtra non amplius, mille ducentorum paſſuum interuallo, longe à caſtris hoſtium collocauit. poſtridie eius diei duces Carthaginenſiũ quid, quóue modo agendum foret, in-

ter ſeſe conſulere: multitudo omnis Xantippum conuerſa, nomine eum appellare: ſeſe ad maxima quæq; pericula ſubeunda promptam paratam'q; oſtendere: ut in prælium quamcelerrime copias educeret, hortari. duces Carthaginenſium ſimul quod animatam, accenſam'q; ad belligerandum multitudinem conſpiciebant: ſimul Xantippo adeſſe iam prælio commodiſſimum tempus teſtante, & multitudini, ut ſe pararet, & Xantippo, ut rebus omnibus pro arbitrio uteretur: permiſere. Xantippus accepta a Ducibus Carthaginenſium poteſtate, pugnandi copiam hoſtibus facit. in inſtruenda'q; acie elephantos ſingulos quoſq; per ordinem ante omnem exercitum in fronte diſponit. poſt hos aliquo interuallo legionem Carthaginenſium collocat. dextro deinde, ac ſiniſtro cornu mercenariorũ multitudinem diſtribuit. expeditiſſimum quenq; militem, inter alas equitum ab utroq; cornu pugnare iubet. Romani paratos iam, inſtructos'q; ad pugnam hoſtes conſpicati, nullam prælio moram faciunt. aduerſus elephantos expeditiſſimum quenq;, toto exercitu delectum militem opponunt. poſt hos multiplici ſubſidio aciem firmant. equitatum in utrunq; cornu diſtribuunt. ſigna militaria non in fronte, ſed intra aciem continent. fit tota acies in fronte anguſtior: multiplici'q; ſubſidio firmatur: ne prærumpi medium agmen ab elephantis poſſet. Verum, ut ad uiolentiam elephantorum optime id a Romanis prouiſum, ita ad periculum circumuentionis inutiliter. nam cum longe multitudine equorum præſtarent Carthaginenſes: coarctatio ipſa aciei facilem hoſtibus circundandi facultatem præbitura erat. ſtructis itaque utrinque aciebus,

uterque initium prælij ab altero expectabat. ſimulac uero Xantippus elephantos concitari in hoſtes iubet: equitatûm'q; ab utroque cornu in hoſtes infeſtiſſime ruere: Romani quoque, more patrio, tubas canere, & in confertiſſimos hoſtes acerrime concurrere iubent. ingens initur prælium. uerum equites Romani, multitudine hoſtilium equitum perterriti, confeſtim ab utroq; cornu fugam arripiunt. pedites uero in ſiniſtro cornu poſiti, declinato elephantorum impetu, & ſimul multitudine mercenariorum contempta, in dextrum Carthagnenſium cornu infeſtiſſime ruunt. conuerſos'q; in fugam uſque in caſtra perſequuntur. at ij, qui iuxta elephantos conſtiterant: fœda beluarum ſtrage, cateruatim conculcantur. anceps aliquandiu obreſtiſtentium fortitudinem prælium fuit. ſed poſteaquam extremæ Romanorum legiones ab equitibus undique circunuentæ, coactæ ſunt Carthagnenſibus reſiſtere: ij uero, quos in media acie elephantis oppoſitos diximus: impetu ferarum in firmiſſimam hoſtium cateruam acti, fuſi ab illis, oppreſſi'q; fuere: tunc omni ex parte, laborantes Romani partim fœda immanium pecudum ſtrage, conculcati, atq; oppreſſi, alij eodem in loco, quo initio conſtituti fuerant: ab equitibus occiſi. Pauci ad extremum, nullam amplius rebus ſuis ſpem relictam cernentes, celeritate pedum ſalutem quæſiuere. ſed ij quoq;, quoniam in hijs locis ubiq; planities erat: alij ab elephantis, equitibus'q; profligati: alij numero quingenti cum M. Attilio fugientes, mox in hoſtium poteſtatem uenerunt. in exercitu Carthagnenſium octingenti mercenarij milites, qui aduerſus ſiniſtrum

Romanorum cornu conſtiterant: interfecti. è Romanis uero duntaxat duo millia, quos perſecutos ad caſtra hoſtes paulo ante diximus: ſalui cum militaribus ſignis euaſere. reliqui omnes trucidati, præter M. Attilium, atq; alios paucos, quos unà cum eo fugæ ſe commiſiſſe diximus. Carthaginenſes ſpoliatis hoſtium cadaueribus, cum conſule, cæteriſq; captiuis in urbem læti, atque ouantes reuertuntur. Hic ſi quis recte conſiderare uoluerit, multa inueniet ad humanæ uitæ emẽdationem utiliſſima. ſiquidem primo quam uanum, quamq; ridiculum ſit, ob res ſecundas, atque ex animi ſententia egregie geſtas, aliquam in fortuna ſpem ſitam habere. ſingulare uniuerſis exemplum præbuit, M. Attilius: qui, cum modo tot uictorijs glorioſiſſime partis, nulla erga Carthaginenſes ad extremum redactos, miſericordia moueretur: pacemq; ſuppliciter orantibus negaret: mox ipſe eò redactus eſt: ut eadem illa ſuppliciter à Carthaginenſibus petere cogeretur. præterea, quod olim ab Euripide ſapientiſſime dictum fertur: unicum rectum conſilium, magnam militum manũ uincere, hoc tempore, ex iiſdem operibus fidem accepe-rit. ſiquidẽ unus homo, atq; una ſententia multitudinem, quæ antea inuicta ſemper, atq; inſuperabilis fuerat: uicit, ſuperauitq;: ac profligatam urbẽ, & collapſos tot uirorum animos inſtaurauit, atq; erexit. equidem hæc libenter commemoraui: ꝙ me nõ latet, quàm utilia ſint ad humanæ uitæ emendationem. nam cũ duo hominibus modi propoſiti ſint: quibus facile mutari in melius queant: unus ob ſuã cuiuſq; calamitatem: alter ob alienæ calamitatis exemplum: proculdubio primus efficax

quidem magis eſt, uerum non ſine detrimento eius, cui accidit. ſecundus uero, etſi non habet in ſe tantum uirium, ideo tamen præſtat, ꝙ omnis damni prorſus eſt expers. quo fit, ut priorem quidem modum nemo ſit, qui ſponte eligat: quandoquidem abſq; dolore, atq; periculo accidere id nemini poteſt: hunc uero libenter omnes uenantur: ꝙ per eum ſine aliquo ſuo detrimento id, quod melius eſt: cernere unicuiq; liceat. idcirco recte conſideranti, optima ad ueram uitam inſtitutio uidetur eſſe experientia: quæ fit ex commemoratione rerum ab alijs geſtarum. Hæc enim duntaxat ſemoto prorſus omni detrimento, optimos ueri boni iudices perficit. ſed de his hactenus. Carthaginenſes rebus ex ſententia feliciſſime geſtis, nullū lætitiæ genus prætermiſere, ſiue in agendis Deo gratijs, uictimiſq; patrio ritu immolandis, ſeu in faciendis ludis, dandisq;, atq; accipiendis muneribus. Xantippus reſtitutis in priſtinum ſtatum Carthaginenſium rebus, nō longe poſt in patriam reuertitur, optime rebus ſuis conſulens. nam præclara facinora, & res à quoq̄; egregie geſtæ, magnam plerumq; inuidiā, & graues calumnias conflare ſolent: quibus ciues quidem affinium, atq; amicorū multitudine freti, facile reſiſtunt: hoſpites uero oīs præſidij ex ptes, utroq; malo q̄ celerrime conteruntur. afferūt et aliā diſceſſus Xantippi cauſam: q̄ ſuo loco latius referemus. Romani, ubi profligatū in Africa exercitū, captumq; conſulē, ac reliquas copias in urbe Clypea obſideri nunciatū eſt: confeſtim ad ſalutē eorum, q relicti in Africa erant: conuerſi, magnā claſſē parandā ſtatuunt, & in Africā dimittendā. Carthaginenſes interea Clypeā urbem obſidere, ac ſumma ui oppu

gnare nitebantur: ſperantes ſe propediem compotes fo re eorũ, qui prælio ſuperfuerant. ſed tanta erat propugnantium Romanorum uirtus, & magnitudo animi, ut omnes hoſtiũ conatus in irritum caderent. quamobrem deſperata ad extremũ expugnatione, obſidionem ſolue runt. nũciatur interea claſſem à Romanis parari: quæ rurſum i Africã mitteretur. quo rumore ꝑmoti Carthaginenſes, ad uetetẽ claſſem reficiendã, nouamq́; parandã omni ſtudio incũbũt. ſtatim igitur inſtructis, armatisq́; ducentis nauibus, obſeruare, atq; impedire Romanorũ nauigationem in Africã conabãtur. Romani facto apparatu trecentarũ et quinquaginta nauiũ. M. Aemylium, & Seruiũ Fuluium conſules, principio ueris, cũ omnibus copijs traijcere in Africã iubẽt. igitur cõſules, qui Siciliã primo, deinde in Africam nauigaturi oras ſoluunt: iamq́; non lõge diſtant à Mercurij promontorio, cum ex improuiſo claſſem Carthaginenſiũ, quam obſeruare hoſtium aduentum diximus: obuiã habuere. factoq; in eam repente impetu, centũ & quatuordecim Carthaginenſiũ naues plenas cœpere. dehinc facto in Clypeã urbem itinere, ſuſceptaq́; romana iuuẽtute, paucis diebus in Africa cõmorati, Siciliã repetunt. traiecto proſpere pelago, quod Africã, Siciliamq́; interiacet: cum non procul à Camerina urbe conſtitiſſent, in tantã procellã calamitatẽq; incidere, ut ne referri qdẽ ſatis, pro rei magnitudine poſſit. ex quatuor enim et ſexaginta ſupra quadringẽtas, nauibus, uix octuaginta icolumes à tẽpeſtate ſuperfuere: reliquæ oẽs, aut ſubmerſæ undis, aut ſcopulis infractæ, uniuerſum littus naufragijs, cadaueribusq́; cõplerunt. maiorẽ iacturam uno tẽpore

mari factam, nemo ante noſtram ætatem meminit. quæ res non tā fortunæ culpa accidit, quàm conſulum temeritate. nautis enim ſæpe monentibus, uitandum eſſe externum Siciliæ latus, quod importuoſum, atq; infeſtum eſſet, præſertim eo anni tempore, inter orionis enim, & canis ſigna nauigabant: illi ſpretis, ac pro nihilo habitis nautarum uocibus, dum ſuperioris uictoriæ fiducia elati, urbes quaſdam hoſtiū per id littus capere properant: exiguæ admodum ſpei gratia, in maximas calamitates inciderunt. ita rebus à ſe pauloante præclariſſime geſtis, turpi hoc naufragio fœdatis, temeritatis ſuæ pœnas luunt. enimuero Romani cum uiribus in omni re utantur: & quod ſemel decreuerunt: omnino perfici neceſſariū ducāt: nihilq; ſibi īpoſſibile factu exiſtimēt, quod ſemel eis uiſum fuerit: etſi plerūq;, ob eā animi obſtinationē recte faciunt: interdum tñ in aptiſſimos errores dilabuntur: maximeq; in maritimis rebus. nā in terreſtri prælio, cū hominibus belligerātes, qa certamē inter pares eſt: nō ab re ſæpenumero uictoria potiūtur: q̄q̄ hic quoq; ſuperantur aliquando. in mari uero, cum ſeſe omnino fortunæ credant, nihil penſi habentes, in maxima nunnunq̄ pericula incidunt: quod, & nūc, et aliàs ſæpenumero illis accidit: accidetq; poſthac ſæpius: quouſq; eā animi temeritatē, qua ſibi cuncta æque licere exiſtimāt: repreſſerint, ac cohibuerint. Carthaginēſes cognitis ijs, quæ Romanæ claſſi acciderant: quoniā nec terra inferiores ſe eſſe Romanis putabant, propter profligatum M. Attilij exercitum, nec mari, ꝑꝑ ingentem iacturam, ex naufragio factā, maiori iā ſtudio ad pedeſtres ſimul, atq; maritimas copias parandas incūbunt. mox

Aſdrubalem cum omni ueterano exercitu, nouiſq; inſuper militibus, ac centum & quadraginta elephãtis, in Siciliam mittunt. præterea ex ueteribus nouiſq; roſtratis, claſſem ducentarum nauium efficiunt. Aſdrubal igitur copijs omnibus tuto Lilybæi expoſitis, elephantos militeſq; continue exercere. Romanorum ſocios per Siciliam infeſtare. deniq; omnibus rebus intentus eſſe. Romani, etſi calamitas ex naufragio accepta, omnium animos fregerat: tamen, ne cedere Carthaginenſibus uiderentur: nouam ducentarum & uiginti nauium claſſem ædificandam curant. quod tanta celeritate factum eſt: ut intra trium menſium ſpacium, ædificatæ naues fuerint, atq; in mare deductæ. quod uix credibile cuiquã uideatur. cum ea claſſe A. Aquilius, & C. Cornelius conſules petere Siciliam, bellumq; pœnis inferre iuſſi, repente traiecto freto, Meſſanam peruenerunt. ibi acceptis, quæ ex naufragio ſuperfuerant: nauibus, totam ſimul claſſem trecentarum nauium fecere. hinc Panormum profecti, quæ præcipua Carthaginenſium ciuitas erat: eam magna ui aggrediuntur: duobuſq; è lateribus caſtra metati, paucorum dierum interuallo, machinis, ac ui tormentorum depoſita arce, ingreſſiſq; cũ impetu militibus, eã partem urbis cœperunt: quæ Neapolis appellatur. quo facto, reliqua pars urbis, quam urbẽ ueterem uocant: metu exanimatis ciuibus, cõſulibus deditur. capto Panormo, conſules relicto in urbe præſidio, Romam reuertũtur. proximo dehinc anno C. Seruilius, & Cn. Sẽpronius conſules creati, accepta claſſe, in Siciliã traijciũt: mox inde, in Africã profecturi. ſimulac uero in prouinciã uetũ, diuerſis locis copias exponũt: magnaſq;

ubiq; inferunt clades: nihil tamen memoratu dignum facientes. tandẽ in Lotophagorũ inſulam pueneres: quæ Mirmix dicitur: nec longe abeſt à parua Syrte. ibi ignari locorũ, per quæ proficiſcebantur: in arcta quædã loca deuenere: ubi refluxu maris, in arido deſtituta claſſe, inopes cõſilij aliquãdiu cõſtiterũt. mox cũ penè deſperata iã ſalus foret, rediens unda eos recepit. uerũ nõ niſi euacuatis nauibus, omniq; onere abiecto, euadere icolumes potuerũt. poſt cũ diẽ perterriti tot piculis Romani, cõtinue p undas ita iter fecerũt: ut fugæ ſimilis eorũ nauigatio uideretur. interiecto tẽpore, rurſus in Siciliã reuerſi, ſuperato Lilybæo, Panormu conſtiterunt. hinc cũ non longe poſt in Italiã nauigarent, tanta repẽte coorta tẽpeſtas fuit, ut ſupra centũ et quinquaginta naues, ex ea claſſe, procella maris, p uaria loca, diſiectæ tandem naufragio pierint. tãtis calamitatibus acceptis, populus Romanus, etſi honorem, ac maieſtatem imperij ſui cæteris rebus anteponendam exiſtimabat: tamen magnitudine miſeriarum ſuperatus, mari omnino abſtinendum decreuit. paratis itaq; duntaxat pedeſtribus copijs, L. Cæcilius, & C. Curius conſules, in Siciliam cum omni exercitu mittuntur. his naues duntaxat ſexaginta importandi frumenti gratia, datæ quo facto, accidit Carthaginenſiũ rem denuo ſuperiorẽ eſſe: quippe q, & mari ſine controuerſia imperitabant, ſublata romana claſſe, & in pedeſtribus copijs ingentem ſpẽ ſitam habebãt. neq; id iniuria: plata enim Romã fama, de bello in Africa geſto, profligatiſq; Romanis, cũ cognouiſſent id in primis ui, atq; impetu elephãtorũ accidiſſe: q illi acies diſiecisſent, q ordines perturbaſſent, q maximã in exer-

citu ſtragem feciſſent, tantus elephantorum terror poſt
eum diem Romanos tenuit: ut proximo biennio, cũ ſæ
pe in Africa, ſæpe etiam in alijs locis obuij hoſtibus fuiſ
ſent: nunquam tamen, aut congredi cum Carthaginenſi
bus, aut ĩ locis æqs caſtrametari auſi ſint, collibus ſem=
per, ac montibus, nullo alio, quam elephantorum metu
ſe tutantes. quamobrem Romani pauore exercitus cogni
to, parandæ claſſi rurſus omni ſtudio incumbunt. habi
tis per id tempus Romæ comitijs, C. Attilius, & L. Mã
lius conſules deſignati, nouas quinquaginta naues ædi=
ficant: ueterem præterea claſſem, & neceſſarias copias
parant. Aſdrubal Carthaginenſium dux, cui nota Ro=
manorum formido erat: cum ex perfugis intellexiſſet
alterum conſulum, cũ parte copiarum in Italiã reuer
ſum: ſolumq́; Metellum uix cum media exercitus parte
Panormi relictum, inſtante iam tempore miſſis, Lily-
bæo profectus, exercitum in panormitanum agrum in
duxit. Metellus, cognito hoſtium aduentu, cum Aſdru-
balem uolũtatem pugnandi habere intelligeret: intra
mœnia exercitum continebat. quibus rebus maiora fi=
dutia elatus Aſdrubal, quod Metellum cernebat paui-
dum ſeſe intra urbẽ continere: deuaſtato undiq;, atque
incenſo agro, tandem exercitum uerſus Panormum mo
uit. conſul tandiu in ſententia non educendi exercitum
permanſit, quoad hoſtem traijcere flumen, quod iuxta
mœnia urbis erat: coegit. poſtquam igitur elephantos, o=
mnemq́; exercitum, appropinquantes uidet Metellus, ue
lociſſimum quemq;, et maxime expeditum militem exi
re, atq; irritare hoſtem iubet: quouſq; uenire ad manus
uniuerſi cogantur. animaduertentes itaq; non lõge poſt,

quæ cogitauerat, ex ſententia ſucceſſiſſe: quoſdam ex iïs, qui maxime leues, atq; expediti erant: pro mœnibus ſupra foſſam conſtituit: iubetq́;, ut contra elephantos telisq́;, uerubusq́; eminus pugnent. quod ſi quando iratæ pecudes, cum impetu contra ipſos ferantur, in foſſas ſe dimittant. inde rurſus elephantos telis petant. mandat præterea ingentem telorum multitudinem extra urbem ferri, & in foſſis collocari. ipſe cum ſignis militaribus, diuerſa regione urbis, quæ læuum hoſtium cornu ſpectabat: conſtitit. ſimul ac igitur pugnari cœptum: magiſtri elephantorum, qui cupidine gloriæ ſibi attribui uictoriam cupiebant: non expectato Aſdrubalis mãdato, beluas in expeditos concitant. illi, ſicuti eis à conſule iuſſum fuerat: ſtatim terga uertunt; infeſtiusq́; inſequentibus beluis, in foſſas ſe dimittunt. beluæ cum primum ad aggerem foſſarum peruenere, uno tempore, et à multitudine urbana ex mœnibus, & à militibus ex foſſis, ſagittis, telisq́; multifariam feriũtur. cumq́; ultra aggerem progredi non poſſent, neceſſario terga uertentes, in ſuos ruunt: agmina perturbant: magnam ſuorum ſtragem faciunt. inter hæc Metellus alia urbis parte, eductis repente copiïs, in hoſtes impetum facit. illi iampridẽ à beſtiïs turbati, & tunc tumultuario impetu à conſule oppreſſi, facile profligantur. pars eorum trucidatur: cæteri fuga ſalutem quærunt. elephanti cum indis decem capti: reliqui, diſiectis indis, finito prælio, omnes in poteſtatem conſulis peruenere. his rebus feliciter geſtis, magna fuit gloria Metelli conſulis: quippe qui confeſſione omniũ, ſolus fuiſſe cauſa uidebatur: ut Romani milites non iã per ſaltus, monteſq́; diſcurrerent: ſed æqs locis

dimicare cum Carthaginenſibus auderent. uerum cum fama eius uictoriæ Romam perueniſſet: incredibili omnes lætitia affecti, non tam, ꝗ captis elephantis, longe iam inferiores eſſent hoſtium uires, quàm ꝗ ſui, quia potiti beluis fuerant: audaciores iam facti ad bellum uidebantur. igitur, quemadmodum ab initio decreuerãt: parata rurſus claſſe, conſules in Siciliam mittunt: cupiẽtes aliquando bello finem facere. hi commeatu, cæteriſq; neceſſarijs rebus paratis, cum ducentis nauibus in Siciliam traijciũt. erat hic annus huius belli quartuſdecimus. Poſtq̃ igitur in Siciliam uentũ, conſules acceptis pedeſtribus copijs, quæ in inſula erant: obſidere Lilybæum pergunt: ꝗ ea urbe expugnata, facile ſe ſperabant bellum in Africam traducere poſſe. uerum Carthaginenſes ijſdem planè, quibus Romani, rationibus moti, omni ſtudio Lilybæum ſeruare conſtituerũt: haud ignari, amiſſo Lilybæo, nihil eis in Sicilia reliquum fore. nã præter Drepanum, reliqua ferè omnis inſula, ſub Romanorum ditione erat. cæterum ne cui forte, ob ignorationem locorum, quæ à nobis de Sicilia dicũtur: obſcuriora uideantur: eius inſulæ ſitum paucis referemus. Sicilia omnis eodem ferè modo ſe ad Italiã, atq; Italiæ terminos habet, quo Peloponneſus ad reliquã Græciam, ac terminos eius. uerum hoc inuicem differunt, quod hæc paruo admodũ freto, ab Italia diuiditur: illa exigua terra, cum reliqua Græcia coniungitur. ſiqdem ex Pelopõneſo in Græciã pedibus iri, ex Sicilia in Italiã non, niſi nauibus traijci, poteſt. forma Siciliæ triquetra ſpecie figuratur: quotq; eius anguli ſunt, totidẽ promontoria ad extremũ efficiunt. horum, quod

in meridianam plagam dirigitur, abluiturq́; ſiculo pelago, Pachynus uocatur. quod uero ad ſeptentriones uergit, fretiq́; terminus eſt, neque amplius ab Italia diſtat mille & CCCCC paſſibus, Pelorum appellatur. tertium, quod in Africam, ac hyemalem occaſum extenditur, in ipſamq́; Carthaginem ſpectat: neque amplius abeſt à littore Africæ, quàm millia paſſuum C & uigintiſeptem, Lilybæum incolæ uocant: diuiditq́; ſardonicum pelagus à ſiculo. in hoc promontorio urbs ē eiuſdem nominis: quam Romani eo tempore obſederūt, mœnibus, foſſiſq́; munitiſſima, præterea etiā ſtagnis, q̄bus nauigantibus in portum iter eſt: difficiliſq́; admodū ingreſſus, nec, niſi peritis, expertiſq;, obtinendus. Romani igitur Lilybæum obſidentes, binis caſtris ex utraque partæ urbem cingere. foſſam, & aggerem, & crebra caſtella, per media loca excitare. machinas ſtruere. nihil denique, quod ad expugnationem urbis conducere uideretur: prætermittere. In primis turrim quandam, quæ in littore ſita erat, africanumq́; pelagus ſpectabat, omnifariam machinis aggrediuntur: dehinc nouas quotidie addunt, diſponuntq́; per ordinem. tandem ſex turres ei, quam modo dixi propinquas: omnes uno tempore arietibus muros ferientibus euertunt. itaq; cum ardua, periculoſáq; obſidio foret, turribus partim laborantibus, partim impetu tormentorum euerſis, machinis præterea indies magis, magiſq; urbem infeſtantibus, ingens pauor, atque formido obſeſſorum animos occupat. erat eorum numerus, qui in urbe obſidebantur, præter urbanam multitudinem, ultra decem millia hominum. inter hæc Imilcon, qui ea tempeſtate urbi præ-

erat: obſidionem Romanorum magnitudine animi, & conſilio ſuſtinebat. ubicunq; Romani mœnia arietibus cō quaſſabant: noua ipſe mœnia intra urbem ſufficiebat. ſicubi hoſtes cuniculos faciebant, ipſe alijs cuniculis factis illis obuiabat. ita ſemper operam, atq; laborem hoſtium fruſtrabatur. interdum eruptiones faciebat: opera hoſtium turbabat: ſi quo modo incendere machinas poſſet experiebatur. ſæpe etiam uel interdiu, uel per noctē hoſtes inuadebat: adeo, ut plures eiuſmodi certaminibus perirent, quam perire in ueris prælijs conſueuerint. per id tempus quidam ex conductis militibus, qui ordinem in præſidio Carthagnenſium ducebant: de prodenda Romanis urbe conſilium ineunt: conſenſuq; commilitorium freti, per noctem mœnia proſilientes, in caſtra Romanorum proficiſcuntur. conſulibus rem omnem exponunt. erat ea tempeſtate Lilybæi achæus quidam nomine Alexon, qui ſuperioribus temporibus Syracuſanis urbem tenentibus, Agrigentum à proditione liberauerat. hic cognitis ijs, quæ de proditione agitabantur: è ueſtigio rem omnem Imilconi pandit. ille celeriter omnibus, qui ordines in exercitu ducebant: conuocatis, præter eos, qui noctu mœnia tranſgreſſi fuerant: uniuerſa, quæ de proditione intellexerat: eis aperit: rogat, obteſtaturq;, ne per ignominiã dedere ſeſe, atq; urbem hoſtibus uelint. magna inſuper præmia, ſi in fide permanſerint, pollicetur. cum reſpondiſſent omnes nihil ſibi eſſe antiquius fide: confeſtim unà cum ipſis, ad Gallorum quidem multitudinem placandam Annibalem mittit, Annibalis filium eius, quem in Sardinia poſt amiſſam claſſem, cruci à Carthagnenſibus fixum dixi-

mus: gratiſſimum hunc fore uniuerſis ratus, quod ſimul cum illis ſub patre militauerat. ad cæteros uero mercæcenarios milites Alexona ire iuſſit: quod magnam in eo uiro omnes fiduciam habebant. confeſtim, uocata ad ſe multitudine, partim præcibus, partim pollicitationibus tandem effecere, ut omnes unanimiter in fide, atq; beneuolentia erga Carthaginenſes permanerent. quamobrem aduentantibus mox principibus proditionis, rogaréq; eos, & quæ cum Romanis egerant, aperire uolentibus, non modo non paruerunt eis: ſed ne audire quidem eorum uoces uoluere. quin telis lapidibusq; eos inſecuti, procul à mœnibus fugarunt. ita Carthaginenſes ex manifeſto proditionis periculo ſummo in diſcrimine poſiti, parum abfuit, quin in hoſtium poteſtatem uenirent. ſed Alexon, qui ſuperiori tempore, ob ſuam in Agrigentinos fidem, non ſolum urbem, uerum etiam patriam, leges, libertatem ſeruauerat: nunc quoq;, ne Carthaginenſes ad extremam pernitiem deuenirent, confeſſione omnium cauſa fuit. Carthaginenſes, & ſi nihil ex ijs, quæ Lilybæi agebantur, intelligere poterant: ſuſpicati tamen difficultates eorum, qui iampridem obſidebantur: quinquaginta nauibus ad hoc ipſum paratis, decem millia militum impoſuere. claſſi præficiunt Annibalem Amilcaris filium, eum paucis pro tempore hortati, omni conatu Lilybæum penetrare: ſuiſq; ſubſidium ferre iubent. Annibal cum decem millibus militum primo ad Eguſam inſulam, quæ media eſt inter Carthaginem, ac Lilybæum nauigat. nactus deinde ſecundam auram, paſſis uelis in ipſas fauces lilybetani portus fere-

batur: ſuos omnis inſtructos armis, & ad belligerandum paratos habebat. conſules partim repentino aduentu hoſtium perculſi, partim ueriti, ne, ſi congredi cum hoſtibus tentarent, nimia uentorum ui, ſuæ quoq; naues in portum agerentur, nauigationem hoſtium nequaquam impedire decreuerunt. armati tantum ad littus, ſi forte hoſtem deterrere ab ingreſſu poſſent, concurrunt. interea multitudo omnis, quæ in mœnibus erat, aduentum ſuorum conſpicata animos erigere: ſpe ſimul, atque lætitia trepidare: aduenientes plauſu, ſublatiſq; in cœlum clamoribus hortari. Annibal incredibili audacia fretus, cum ſuis nauibus aduolat: portumq; præter ſpem, atq; expectationem omnium ingreſſus, incolumes copias Lilybæi exponit. accepto mœnibus præſidio, incredibili omnes lætitia affecti: non tam aduentu nouarũ copiarum, quàm ꝙ Romani impedire Carthaginenſiũ naues non fuiſſent auſi. Imilcon dux Carthaginenſium, quoniam omnes ſuos promptos, animatoſq; ad bellum cernebat: ueteres quidem milites, ob aduentum noui ſupplementi, nouos uero, quia anteactorum malorum expertes erant: minime prætereundam eſſe eam opportunitatem ratus, omni ſtudio ad incendia machinarum incumbere decreuit. igitur omnibus in concionem uocatis, longa oratione uniuerſos hortatur: eorum animos confirmat: præmia ſingulis quibuſq;, qui ſe fortiter geſſerint, pollicetur. Carthaginenſes uniuerſis gratiam relaturos affirmat. eiuſmodi oratione commoti milites, paratos ſeſe eſſe omnes annuunt. uociferantes præterea rogant, ne cunctetur amplius: iam iam exire in hoſtes iubeat. dux exoſculata militum fortitudine, confeſtim

eos dimiſit,

eos dimiſit, mandans omnibus, ut corpora curarent: dein præſto eſſent facturi, quicquid ab eorum ducibus ſibi imperaretur. paulo poſt conuocatis ducibus, quid facturus ſit indicat: partes diſtribuit: ſuum cuiq; locum deſignat: iubet, ut ipſi ante omnes alios in conticinio, locis ſibi deſignatis, adſint. illi mandata ducis exequuntur. Imilcon eductis cum prima luce copijs, pluribus ſimul locis in machinas impetum facit. Romani conſilium hoſtium coniectura quadam facile ſuſpicati, haud ſegniter ſe habere: arma capere: rebus omnibus quammaxime intenti eſſe. igitur ubi primum egredi Carthaginenſes cœperunt, à Romanis occurritur: ingens circa mœnia tumultus fit. Carthaginenſes circiter uiginti millia hominum erant: Romani etiam plures. quoq; magis relicto omni ordine, pugnabatur, eò apertiora pericula erant. in tanta enim multitudine militum, uir aduerſus uirũ, quaſi ſingulari certamine congreſſus depugnabat. uerũ maxima pugna, atque ingens tumultus circa machinas erat. nam q ab utroq; exercitu in eo loco conſtituti fuerãt, illi quidem ad expugnandum, hi uero ad propugnandũ omni ſtudio innixi, in tantum, tamq; atrox certamen deuenere, ut tandem in ijſdem, in quibus conſtituti fuerant, locis permanentes, incredibili animi magnitudine occiderint. ſed qui inter eos commixti inter certandum fuerant: tanta audacia contra Romanos ferri: eorum machinas ferro, igne, telis, cæteriſq; huiuſmodi rebus impetere: ut Romani eo die, cum nullo modo inceptis hoſtium reſiſtere poſſent: res ſuas in extremo propè ſitas uiderint. poſt longum certamen Imilcon, quoniam multas in exercitu cædes fieri, nihil tamen ſeſe proficere poſſe in

telligebat:receptui canere iuſſit. Romani, et ſi eo die in
periculo fuerint, omnem belli apparatum amittendi: ta-
men incredibili fortitudine animi, hoſtibus reſiſtentes,
tandem machinas, cunctáq; opera ſua tutati ſunt. poſt
hæc Annibal cum ijs, quas ſecum adduxerat, nauibus,
intempeſta nocte, nihil ſentientibus hoſtibus, Lilybæo
ſoluens Drepanum ad Aterbalem Carthaginenſium du
cem proficiſcitur. quoniam, tum propter loci oportunita-
tem, tum ob ſpeciem, ac pulchritudinem portus, præci-
pua ſemper cura Carthaginenſibus fuerat, eam urbē ſer
uandi. diſtat autem à Lilybæo millia paſſuū non am-
plius quindecim. Carthaginenſes interea, & ſi quid Li
lybæo ageretur, ſcire magnopere cupiebant: tamen, quia
ita iam poſt diſceſſum Annibalis, preſſa obſidio erat: ut
neq; ingredi quiſquam, nec egredi urbem ualeret: compo
tes deſyderij fieri nullo modo poterant. per id tempus
rhodius quidam nomine Annibal, clarus ſanè uir, co-
gnito Carthaginenſium deſyderio, pollicetur ſe naui, in
uitis omnibus, Lilybæum aditurum, inſpectiſq; omni-
bus rebus, Carthaginenſibus renuntiaturum. id quanq̃
hilari animo audirent Carthaginenſes: tamen, quia Ro-
mana claſſis, in ipſis propè faucibus portus erat: impoſ-
ſibile eſſe, eam rem omnes rebantur. Rhodius nihilomi-
nus intrepide deducta naui, proficiſcitur. cumq; in pro
ximam inſulam, quæ contra Lilybæum eſt: applicuiſ-
ſet: nactus poſtridie ſecundam auram, Lilybæum naui
gat: per diemq; ſpectantibus hoſtibus, atque omni conatu,
profectionem eius impedire loborantibus, portum ingre
ditur: cuncta, quæ animo conceperat: perfecit. alter conſu
lum tantam uiri audaciam admiratus, quo intercipere

abeuntem poſſet, per noctem decem uelociſſimas naues, in faucibus portus continet: cum iis diſceſſum Rhodii ipſe quamdiligentiſſime obſeruat: itidem reliquum exercitum factitare iubet. naues igitur, quæ in faucibus portus erant: ex utraq; parte proxime paludem ex tenſis remis, aduentum rhodiæ ratis expectabant: hanc è ueſtigio, in eorum poteſtatem futuram arbitrantes. at Rhodius non per noctem, neq; ex abdito, ſed palàm medio die, per medias hoſtium naues, adeo inſtructas, ac paratas, audacia ſimul, atq; celeritate fretus præteruectus eſt. nec euaſiſſe contentus, ubi paululum hoſtes præterit, conuerſa prora eos prouocauit: nemine omnium, ob ſtupendam eius nauis celeritatem, adire eum auſo. Rhodius unica rate quaſi triumphatis hoſtibus, Carthaginem rediit. ſenatui omnia, quæ uiderat: curauit. eius exemplo moti poſtea complures, idem facere ſunt auſi. quibus ex rebus accidebat nihil eorum, quæ Lilybæi agebantur: à Carthaginenſibus ignorari. Romani eam hoſtium ludificationem grauiter, & iniquo animo ferentes, fauces portus obſtruere temptauerunt. quamobrē primum onerarias naues quamplures ſabulo onuſtas, in profundum mittunt. hinc ſupra eas infinitam penè uim aggeris ingerunt: fruſtra tamen omnia factitantes. nam, & uaſta profunditas cuncta ſimul abſorbebat: & fluxus, refluxuſq; maris iniecta omnia paſſim diffundebat. ægre tandem ex una parte nonnihil aggeris conſtitit. eò confeſtim uelociſſima quædam Carthaginenſium nauis, uaſto impetu proru pit: qua confeſtim potiti Romani armatam, inſtructamq; in portu tenentes, aduentum cæterarum,

& maxime illius Rhodiæ cupide expectabant. illa cã-
ſu per noctem adueniens, ſolita uelocitate portum ingre-
ditur. ſed dum redire uellet, ſecuta ex improuiſo qua-
driremis premere fugientem cœpit. Rhodius principio ue
locitatem nauis admiratus, ubi eam diligenter perſpexit:
& quadriremem Carthaginenſium à Romanis captam
agnouit: iam deſperata fuga, congredi cum hoſtibus ſta-
tuit. poſtq̃ ad manus uentum, quia, & numero nauium,
& præſtantia militum, Romani longe ſuperiores erant:
nauis Rhodia nullo negocio expugnatur. Rhodius ipſe
capitur. Romani hac naue potiti, & ad quadriremem
addita, ambas inſtructas, paratasq́; continue in portu
tenentes, facilem deinceps aditum in Lilybæum pro-
hibuere. urbs interea acriter à Romanis oppugnari: mœ
nia pleriſque in locis ui tormentorum euerti. Imilcon
nouum continuo murum, pro euerſo ſufficere. in eru
ptionibus, & machinarum incendijs, nullam amplius
ſpem habere. in hunc modum cum aliquandiu perſe-
ueratum eſſet, tanta repente uentorum tempeſtas co-
horta eſt: ut machinas omnes, atque opera ſtridore, ac
procella conflictaret: quarundam etiam turrim tabu-
lata alta deijceret. tantum uentorum turbinem græcus
quidam miles ex ijs, qui intus erant: aptiſſimum fore ad
incendia machinarum ratus, cogitationem ſua duci ape-
rit. dux probata militis ſententia, neceſſarijsq́; omni
bus è ueſtigio paratis, confeſtim eruptionem facere ſu-
os, ac ignem machinis, tribus locis inijcere iubet.
quo confeſtim à militibus peracto, ignis ui uento-
rum facile in opera depellitur. quæ, quia arrida erant,
ac iam diu ad ſolem uſta, igni facillime abſumeban-

tur. & dominante uento, nulla humana ope reſiſti poterat. ſiquidem nouitate rei ita omnes perterriti erãt: ut neq; uidere, quid agerent: nec conſyderare quippiam poſſent. quin & cadentibus ex alto lignorum fruſtris percuſſi, & fumo obcæcati interdum cadebant: dum ferre præſidium machinis nitebantur. quóq; maiorem ob prædictas cauſas Romani difficultatem habebant: eò Carthagnenſibus omnia commodiora erant. ſiquidem & cernere hoſtes, & omnes eorum machinas conſpicari facile poterant. & ſi quid aduerſus Ramanos iactabant, id uiolentia uenti facillime ferebatur, maioremq; in machinas impetum faciebat. tandem uero tanta uis ignis fuit, ut, et baſes, quibus ſtabilitæ turres erant, cremarentur: & arietum capita liquefierent. poſt hæc conſules in reficiendis machinis, operam ponere deſtiterunt. Aggere tamen, atq; foſſa urbem undiq; cingentes, lenta obſidione ſuperare hoſtes decreuere: nec prius cum caſtris abſcêdere, quàm Lilybæo potirentur. Lilybetani refectis, quæ conuenerant, mœnibus, ocioſe iam obſidionem tolerabant. hæc cum Romæ nuntiata eſſent: Senatus, q multi in obſidione interierant: & penè uacuefacta claſſis erat, nouo delectu habito, in ſupplementum decem millia hominum in Siciliam mittit. hi primo Meſſanam traducti, inde pedibus in Lilybetana caſtra iter fecere. iam Appius Claudius conſulatum inierat: prioribusq; conſulibus Romam reuerſis, ipſe apud Lilybæum exercitui præerat. hic ſimulac adueniſſe ſupplementum uidet: uocatis ad ſe centurionibus, tempus inquit ſibi uideri, ut cum omni claſſe Drepanum nauigent: Adherbalem Carthagnenſium ducem, qui illic

erat, nihil tale ſuſpicantem, ex improuiſo aggrediatur: eum nouarum copiarũ in Siciliam aduentum ignorare: neque exiſtimare claſſem Romanorum, quæ tantam in obſidione Lilybæi iacturam hominum paſſa ſit, aliquo modo nauigare poſſe. poſt ea uerba conſulis, omnibus conſilium eius approbantibus, ex ueteribus nouisq́; copijs milites delegit: naues optimis quibuſq; è toto exercitu delectis uiris compleuit. nam quia, et nauigatio propinqua erat: & præmiorum ſpes maxima: omnes id munus hilari animo ſuſcipiebant. paratis igitur omnibus, quæ neceſſaria uidebantur: nocte intempeſta, nihil ſentientibus hoſtibus, Drepanum uerſus nauigat. adueniente uero luce, cum iam non longe à Drepano forent: nauibus Romanorum apparentibus, Adherbal, & ſi primum inopinato hoſtium aduentu perculſus fuit: ſtatim tamen ad ſe reuerſus, atque animo confirmatus, temptare omnino fortunam prælij conſtituit: & omnia potius experiri, quàm pati ſeſe in portu, per ignominiam, ab hoſtibus obſideri. Quamobrem è ueſtigio turbam remigum ad littus cogit. mercenarios milites ex urbe, tuba conuocat. eos pro temporis anguſtia cohortatur. ſi fortiter dimicarint: ſpem uictoriæ, ſin ſubire periculum recuſarint: acerbitatem obſidionis ante oculos ponit. his dictis, omnibus præſto ſeſe eſſe oſtendentibus, uociferantibusq́;, ne amplius tardaret: ſed iamiam in hoſtes claſſem immitteret: Adherbal laudata militum uirtute, confeſtim naues conſcendere iubet. admonet præterea omnes, ut in nauim ſuam oculos dirigant, eam alacri animo ſequantur. nihilo deinde commoratus ipſe, uti pollicitus erat: primus nauigat

diuerſa regione portus, quàm Romani aduentabant. conſul hoſtes conſpicatus præter opinionem ſuam, non ſolum non cedentes, neque ad fugam paratos, ſed potius ſummo ſtudio manus conſerere cupientes, naues ſuas, quarum aliæ iam intra portum erant: aliæ in ipſis faucibus: aliæ mox ſequebantur: omnes referre gradum iuſſit. hic cum primæ naues iuſſu conſulis iter uertiſſent: alijs, quæ ponè ſequebantur: adhuc properantibus in portum, tanta conflictatio facta eſt exeuntibus pariter, atque intrantibus nauibus, ut extremo in periculo Romanorum res foret. Explicatis tandem ſummo cum labore nauibus, præfecti ſingulas quaſque in ordinem iuxta littus collocabant: proris aduerſus hoſtes conuerſis. at conſul, qui ab initio poſt omnem claſſem ſequebatur: tum in altum profectus, læuum cornu obtinuit. inter hæc Adherbal cum quinque nauibus ſupra læuum Romanorum cornu in altum progreſſus, nauis ſuæ prora in hoſtes conuerſa, à pelago ſe firmauit. idem, ut aliæ quatuor naues, quæ ſuam ſequebantur facerẽt: per nuncios imperauit. ita omnibus à fronte conſiſtentibus, ſublatis ſignis, à pelago in Romanos defertur: quorum naues circa littus in ordinem diſpoſitæ erant. hoc enim ideo à Romanis prouiſum fuerat: ut exeuntes è portu Carhaginenſium naues facilius opprimi poſſent. uerum id poſtea magnam Romanis iacturam intulit, ob cauſas, quas dicemus. nã ut primum appropinquare inter ſe claſſes cœperunt: ſignis è prætorijs nauibus, ab utraq; parte ſublatis, inuicem cõcurrentibus hoſtibus, pugna cõmittitur. diu acriter certatũ: ita, ut æquale eſſe piculũ uideretur. erãt

enim in utraq; parte ex omni exercitu delecti præſtantiſſimi milites. ſemper tamen Carthaginenſes præualebant: tum, ꝙ naues eorum ueſociores erant: tum, ꝙ peritiores ad nauigandum remiges: tum uel maxime, ꝙ pelagus tenebant: per quod longe, lateq; pro eorum libidine, diſcurrere poterant. ſiue enim aliqui eorum ab hoſtibus premebantur: confeſtim celeritate nauium freti, in altum euadebant. ac ſi forte inſequebantur hoſtes: in eos plurimæ ſimul conuerſæ, eadem celeritate circumueniebant: maximasq; inferebant clades. nõnullas interim naues ſubmergebant. Siue aliqui ex ſocijs periclitabantur: confeſtim ſine labore, atq; periculo præſidium ferebant, aduerſis puppibus in altum nauigantes. at Romanis magna proximum littus impedimenta afferebat. ſiquidem in arcto coacti, neq; refugere cum opus erat, neq; ſeipſos tutari, neq; laborantibus ſuccurrere poterant. & quod in bello nauali præcipuum haberi ſolet: per medios hoſtes præterlabi, ac deinceps in pugnantes impetum facere, impoſſibile Romanis erat: tum, ꝙ naues eorum grauiſſimæ erant: tum, ꝙ remiges maritimarum rerum rudes, & ad nauigandum inepti. conſul igitur cum rem in deterius labi cerneret: nauibus partim in littore confractis, nonnullis etiam ſubmerſis, deſperatis ad extremum rebus, primus omnium fugam arripuit. circiter triginta naues ex omni claſſe, quæ huic forte propinquæ erant: eum ſecutæ. reliquæ omnes tres & nonaginta numero, in Carthaginenſiũ poteſtatẽ uenere. præterea copiæ omnes captæ exceptis ijs, quæ proiectis in terram nauibus, perierant. Adherbal magnam ijs rebus geſtis, laudem apud Carthaginenſes

meruit:ut,qui ſingulari prudentia,ac magnitudine animi,omnia fœliciter peregiſſet. Appius uero Claudius à Romanis iurgijs,contumelijsq́; uehementer affectus, quòd adeo imprudenter ſe geſſiſſet:quòd rem Romanam ſummum in diſcrimen adduxiſſet. ipſe tandem conſulatu abdicatus,ſumma cum ignominia, in iudicio concidit. Romani, et ſi ingens ſe accepiſſe uulnus intelligebant: nihil tamen priſtinæ magnanimitatis immemores,confeſtim reperta claſſe,nouisq́; coactis copijs L. Iunium conſulem in Siciliam mittunt. Hunc ijs,qui Lilybæum obſidebant:ſubſidium ferre,commeatumq́;, & cætera exercitui neceſſaria ſubminiſtrare iubent. ille cum ſexaginta roſtratis Meſſanam nauigat. hic contractis ab omni Sicilia,præterquã à Lilybæo,nauibus,claſſem efficit centum & uiginti roſtratarum,præter onerarias, et, quas frumentationis cauſa ſecum habebat:numero circiter octingentas. earum mediam ferè partem, & quaſdã ex roſtratis quæſtori tradit:ac ferre in caſtra commeatum iubet. ipſe interea Syracuſis manet: reliquas, quæ paulopoſt à Meſſana ſequebantur, & frumentum ex mediterranea regione,à ſocijs imperatum, excepturus. per idem tempus Adherbal captiuos Romanorum, & naues,quas prælio acceperat, Carthaginem miſit. hinc Carthalonem præfectum triginta nauibus ei traditis exire in hoſtem iubet. ipſe paulopoſt cum ſeptuaginta nauibus eum ſequitur. Carthalonem admonet, ut quaſcũq; naues hoſtiũ poſſit,integras capiat:reliquas incendat. Carthalo igitur per noctẽ impigre factà nauigatione,cum ex improuiſo claſſi Romanorũ, quæ in Lilybætano portu aſſeruabatur,ſuperueniſſet: maximo

in periculo rem Romanam poſuit. nam cum inter eos, qui cuſtodiæ gratia circa claſſem excubabant, magnus repente clamor, atq; ingens tumultus ortus foret: Imilcon intellecto ſtrepitu, & iam dilucęſcente die, aduentu hoſtium cognito, repente euocatis ex urbe militibus, hoſtes inuadit. ita ex omni parte circumuentis Romanorũ copijs, in non mediocre periculũ deuenerunt. præfectus Carthaginenſium, paucis Romanorum nauibus partim captis, partim incenſis, non longe poſt Lilybæo ſoluens, uerſus Heracliam nauigat: ut commeatum, qui ex ea parte in caſtra Romanorum ferebatur, intercluderet. iter facienti ſpeculatoriæ naues Carthaloni nuntiant, magnum nauium numerum aduentare. quo nuncio accepto, Carthalo nequaquam cunctatus, ꝙ ob res paulo ante egregie geſtas, Romanos ſpernebat: aduerſus eas properauit. eodem modo Romani quoque adeſſe claſſem hoſtium, à ſpeculatoribus cognouere. uerum ij, cum ſe longe impares eſſe ad nauale bellum arbitrarentur: in proximum forte littus naues ſubduxere. erant in ijs locis receſſus quidam, atq; anfractus, quibus deſuper rupes imminebant. in ijs conſiſtentes Romani lapidibus, funds'q; naues hoſtium arcebant. Carthaginenſes, & ſi à principio tandiu obſidere illos, quoad eorum potirẽtur, decreuerant: tamen, cum propter naturam loci, nihil proficere ſe poſſe intelligerent: et Romanos acrius, quàm ſperabant, reſiſtere intuerentur: paucis tandem onerarijs nauibus acceptis, ad propinquum flumen nauigarunt, ubi diſceſſum hoſtium obſeruarent. interea locũ conſul peractis ijs, quorum gratia Syracuſis remanſerat, ſuperato Pachyni promontorio, Lilybæum pete=

bat: ignarus earum rerum, quæ ſuperioribus diebus ſuis acciderant. dux Carthaginenſium aduentu conſulis rurſus per exploratores cognito, confeſtim aduerſus eum properauit, cupiens procul à cæteris Romanorum nauibus, illi occurrere. at L. Iunius cum de longe aduentum hoſtilis claſſis proſpexiſſet: magnitudine eius perterritus, committere pugnam non audebat: fugere ob propinquitatem hoſtium non licebat. quare ad loca difficilia, atq; periculoſa conuerſus, in proximo portu ſtationem fecit: decreuitq; potius extrema omnia experiri, q̃ pati, ut exercitus Romanorũ in poteſtatẽ hoſtiũ ueniret. id conſpicatus Carthalo præfectus Carthaginẽſiũ, proficiſci aduerſus hoſtes deſtitit. ſed medium quendã inter utranq; Romanorũ claſſem, portum tenuit: ratus per eum modum utriq; claſſi abeundi facultatem ablatum iri. interiectis diebus ingens procella inſurgere cœpit: quam aliquandiu antea prouidentes Carthaginenſium nautæ, ut qui magnam maritimarum rerum, locorumq;, in quibus erant, peritiam habebant: Carthaloni ſuaſerunt, ut ſuperato confeſtim Pachyni promontorio, uim tempeſtatis euitaret. id cum ille feciſſet, cum omnibus ſuis incolumis euaſit. at Romanorum claſſis ui tẽpeſtatis agitata, quoniam loca importuoſa erant, ita ad extremum fracta eſt, ut nihil ex tot nauibus, quod utile in poſterum foret, ſuperauerit. his Romanorum tot, tantisq; calamitatibus, rurſus accidit Carthaginẽſiũ rem ſuperiorẽ fieri. Romani nuper ingenti clade apud Drepanum nauali prælio affecti, tunc uero omnino amiſſa claſſe, mari protinus exceſſere, in terra duntaxat ſpẽ habẽtes. contra uero Carthaginẽſes, et maris impe-

rium ſine controuerſia tenebant: & in terra haud prorſus ſine ſpe erant. igitur, & qui Romæ erant, & qui in caſtris apud Lilybæum, quanquam utriq; ob prædictas clades maxime afflicti forent: tamen in obſidione omnino perſiſtendum eſſe cenſuere. quare, et illi, quæ neceſſaria erant, ſuppeditabant: & hi, quantum pro uiribus licebat, durabant in obſidione. L. Iunius conſul poſt amiſſam naufragio claſſem, curæ, ac ſolicitudinis plenus Lilybæum peruenit. ibi omni cogitatione quam maxime intentus, noui aliquid agere ſtudet: quò acceptam ex ſuperiori clade ignominiam minuat. quocirca non longe poſt, tenui quadam oblata occaſione, Erycem per proditionem occupat: ſimulq;, & templo Veneris, et oppido potitur. Eryx eſt Siciliæ mons mari imminens ex ea parte, quæ ad Italiam ſpectat, inter Drepanum, ac Panormum, magis tamen Panormo coniūctus. hic magnitudine omnes Siciliæ montes excedit, præter unū Aetnam. in eius uertice planicies eſt: ubi Erycianæ Veneris templū, quod ſine controuerſia omniū Siciliæ templorū opulētiſſimū, atq; ornatiſſimū ē. paulo infra uerticē urbs eſt eiuſdē nominis, longiſſimū ac difficillimū undiq; habens aditum. hic conſul uno in uertice, altero ad radices montis, qua aditus à Drepano erat, præſidio collocato, cuſtodire utrunq; locū pergit: ſperans ſe per eum modū, & urbem, & totum montē tuto tenere poſſe. Carthaginenſes capto Eryce, Amilcarem cognomento Barcā, claſſi præficiunt. hic cū omnibus copijs in Italiā delatus, maritimā orā populatus eſt. erat aūt annus eius belli decimuſoctauus. hinc uaſtatis Locrorū, ac Brutianorū agris, cū omni claſſe in Panormitanū agrū re-

uertitur. hic locum occupat bello gerendo aptiſſimum, inter Rhegium, ac Panormum alte mari ſupereminentem, natura munitum, & ad tenendum exercitum tutiſſimum. eſt enim mons, quem præciſe undiq; rupes cingunt: in ſummitate habens planiciem quandam non minori ambitu, quàm duodecim millium paſſuum, peruiá, & culturæ aptiſſimam. eſt præterea maritimus auris præclare expoſitus: mortiferarum ferarum omnino expers, à mari, & à mediterranea regione rupes habens inacceſſas: eas uero, quæ inter has mediæ ſunt, haud facile peruias. in eo tumulus inſurgit: qui ſpeculæ ſimul, atq; arcis locum obtinet. portum habet amœniſſimum, & ijs, qui à Drepano, uel Lilybæo Italiam petunt commodiſſimum: aquarum præterea copia inſignem. aditus ad eum omnino tres ſunt: & ij perdifficiles, duo à mediterranea regione, tertius à mari. in eo loco Amilcar caſtra poſuit: ut qui neque propriam urbem neq; ſpem ullam habebat: ſed medijs ſeſe obijciebat hoſtibus. neq; tamen quieſcere interea hoſtes permittebat. nam & mari ſæpe ab eo loco delatus, in maritimam Italiæ oram omnia uſque ad regionem Cumarum uaſtauit: & poſtea pedeſtri itinere ducto exercitu, caſtris ante Panormum poſitis, non longius ab exercitu Romanorum octingentis paſſibus, ibiq; tres ferè annos commoratus, multa & præclara facinora fecit: quæ particulatim commemorare difficillimum foret. Romanis igitur, quemadmodum ſupradiximus non ſolum in uertice, uerum etiam in radicibus montis Erycem cuſtodientibus, Amilcar urbem Erycinam per fraudem cepit: quæ media erat inter uerticem montis, & præſidia Romano

rum, quæ in radicibus erant. quo facto accidit Romanos, qui in uertice erant, à Carthaginẽſibus obſeſſos, ſummo in diſcrimine uerſari: nec minus ſanè Carthaginenſes ipſos in Erycina urbe premi duobus Romanorum præſidijs, altero ſupra uerticem, altero à radicibus montis obſeſſos: nec niſi unicam, & eam perdifficilem ad importanda in urbem neceſſaria, habentes uiam. ita inuicem & obſeſſi, & obſidentes ſumma obſtinatione animorum utriq; perdurabant: extrema omnia tolerantes, & maximis quibuſq; periculis ſeſe obijcientes. cum in hunc modum traheretur bellum, & Amilcar Romanos mari quammaxime infeſtaret: ꝙ illi iam annos ferè quindecim mari abſtinuiſſent: commoti maiorem immodum Romani, ut pote qui bellum aliter finem nunquam habiturum uidebant: ad ſtudium parandæ claſſis iterum conuertuntur. uerum, quia exinanitũ iampridem ærarium fuerat: priuatim ciues pro ſuis quiſq; facultatibus contribuentes, plures unam ſimul quinqueremem ædificabant: & neceſſarios ad eam ſumptus ſubminiſtrabant: tantus erat uniuerſi populi ardor ad res bellicas, imperiumq́; Romanum propagandum. in hunc modum ducentas quinqueremes parauere, inſtar eius nauis rhodiæ, quam apud Lilybæum captam ſupra oſtendimus. huic claſſi præficiunt L. Lutatium cõſulem: eumq́; adueniente iam uere, aduerſus Carthaginenſes mittunt. hic igitur cum omni claſſe ex improuiſo in Siciliã delatus, primo aduentu Drepani portũ, cæterosq́;, qui circa Lilybæũ erant, occupauit: uniuerſis Carthaginenſiũ nauibus ſeſe ad ducem pauide recipientibus. hinc Drepanum inſtructis machinis, cæterisq; ad

obſidionem neceſſarijs, expugnare nititur. & quia non longe aberat Carthaginenſium claſſis: memor præteritarum rerum, quantum momentum bello maritimæ res afferrent: haudquaquam per ocium, atq; ſocordiam tempus conterebat: ſed remiges, ac nautas aſſidue exercebat: neminemq; ex tota claſſe ocioſum eſſe patiebatur. ita breui tempore factum eſt, ut Romani milites ad nauales pugnas aptiſſimi forent. Carthaginenſes cognito aduentu Romanæ claſſis, confeſtim ipſi quoq; naues parant: frumento, ac cæteris neceſſarijs rebus onerant: ne quid ijs, qui apud Erycem obſidebantur, è neceſſarijs rebus deeſſet. Claſſi Hānonem præficiunt. hic delatus ad inſulam, quam uocant Hieroneſum, inde nihil ſentientibus hoſtibus, in caſtra ad Amilcarem nauigare, et euacuere naues, ac commeatum exponere properabat. at Lutatius aduentu hoſtium cognito, eorum conſilium ſuſpicatus (haud enim difficilis coniectura erat) optimis quibuſque è pedeſtri exercitu militibus ſecum adductis, confeſtim ad Eguſam inſulam nauigat. hæc inſula non longe abeſt à Lilybæo. hic hortatus pro tempore militum animos, ut in ſequentem diem oēs ſeſe ad pugnam pararent, edixit. poſtridie cum iam diluceſcere dies cœpiſſet: conſul proſperum qdem, ac ſecundū adeſſe hoſtibus uentum cōſpicatus, claſſi uero Romanæ planè aduerſum, præterea mare turbidū eſſe, ac procelloſum, qd agēdū foret, aliquandiu dubitauit. mox uero conſiderans ſuos, ſi, durante procella maris, ad manus cum hoſtibus ueniāt, prælium duntaxat cum Hānone, & cum naualibus copijs, & cum impeditis, atque onuſtis nauibus inituros, ſi uero prorogato pugnæ tempore, tranquillitatem ma-

ris expectent:iam neceſſe fore,ut cum euacuatis,ac maxime expeditis nauibus cum optimo quoque milite è pedeſtri exercitu, delecto, & quod maximum eſt, cum Amilcaris audacia,quo nihil terribilius per id tempus audiebatur:in certamen deſcendant: ſtatuit tandem q̃uis turbido,& aduerſante mari cum hoſtibus congrediendũ.ueniẽtibus igitur plenis uelis Carthaginenſiũ nauibus,claſſem ſtructam,atque paratam opponit. Carthaginenſes ubi interceptum claſſis ſuæ curſum ab hoſtibus uident:nauesq́; illorum ad certamen paratas, dimiſſis uelis ipſi quoque ſe ad prælium comparãt.hic cõfirmatis animis utrinq; confligitur.quo in loco cum omnia è diuerſo forent,q̃ olim in pugna apud Drepanum fuerãt,non immerito diuerſum quoq; res exitum habuere. Romani naues quàm celerrimas habebant: onera omnia exceptis,quæ ad belligerandum neceſſaria uidebantur,depoſuerant.remiges eorum diu exerciti,& ob eam cauſam acres,ac ad certamen prompti erant.optimi quiq; milites ex toto pedeſtri exercitu delecti fuerãt.Carthaginenſibus hæc oĩa contra euenerãt. eorum naues onuſtæ,& ob id ad res gerendas ineptæ erant:turba remigum,ac nautarum, ut tumultuaria,ita ad res bellicas rudis,milites noui,nec dum periculis aſſueti.nam ꝙ Romanos nunquam amplius mari quicq̃ molituros exiſtimabant:omnem protinus rei naualis curam cogitationemq́; depoſuerant. quamobrem ſimulac pugnari cœptum, à Romanis ſuperantur.naues eorum quinquaginta uel fractæ,uel ſubmerſæ:ſeptuaginta plenæ captæ:reliquæ ſublatis uelis,ſubita uenti mutatione, facta mirabili celeritate,ſeſe ad Hieroneſum ex fuga receperunt.

receperunt. conſul poſt prælium cum omni claſſe Lilybæum reuerſus, prædam, & captiuorum corpora inter ſuos diuidit. fuerunt enim è Carthaginenſibus uiui capti præter eos, qui inter certandũ perierant, ultra decẽ millia hominum. Carthaginenſes tali ac tanta clade perculſi, etſi animo ad belligerandũ promptiſſimi erãt: diuerſis tamen rationibus impediebantur. ſiquidem neq; ijs, qui in Siciliam erant, ſubminiſtrare commeatum poterant, amiſſa claſſe, et hoſtibus mare undiq; tenentibus: et derelinquere ducem, ac milites optime de republica meritos, proditionis ſimile exiſtimabant: quibus uero copijs, aut qbus ducibus contenderẽt, non habebant. quapropter miſſo ad Amilcarem quamcelerrime nuntio, poteſtatem illi tradunt, quicqd de republica uiſum fuerit, faciendi. Amilcar optimi ſimul, ac ſapientiſſimi ducis officium fecit. quandiu enim aliqua Carthaginenſium rebus ſpes ſuperfuit, nullum unq̃ laborem, nullũ periculũ euitauit: ſed ſumma induſtria, atq; audacia fretus, oĩa pro adipiſcenda uictoria haud ſecus, quàm cæteri duces, aſſidue ſubijt. ubi uero Carthaginienſium rebus nullam amplius relictam ſpem uidet, prudenter, ac moderato aĩo cedens tempori, legatos, qui de fœdere agerent, ad conſulẽ miſit. enimuero optimi ducis officiũ exiſtimandũ eſt, poſſe nõ ſolum uincendi, uerumetiam cedendi tempora perſpicere. Lutatius quoq; conditionem fœderis nequaq̃ aſpernatus eſt, conſcius difficultatũ, qbus ex diuturno bello populus Romanus premebatur. ita tandẽ de fœdere conuenit, huiuſmodi cõditionibus præſcriptis: amicitiam eſſe Romanis, Carthaginenſibusq;, ſi id populo Romano uideatur: excedere prorſus omni Sicilia Carthaginenſes: neq; poſt-

hac Hieroni bellum inferre: neq; contra Syracuſanos, Syracuſanorum'ue ſocios mouere arma: Carthaginenſes ſine precio captiuos omnes reddere: inſuper talenta argenti euboica duo millia & ducenta Romanis, annos uiginti, pendere. has conditiones Romam miſſas, populus Romanus comprobare noluit: uerum in Siciliam decē uiros cum authoritate publica legatos miſit. hi in Siciliā delati ſummam rei haudquaq̃ immutarunt: tempore pēdendi argenti duntaxat coarctato, ac mille inſuper talentis additis. id præterea conditionibus addidere, ut nō ſolum Sicilia, ſed etiam omnibus inſulis, quæ inter Siciliam, atq; Italiam mediæ ſunt, Carthaginenſes excœderent. per hunc itaq; modum primo bello, quod Romani aduerſus Carthaginenſes pro Sicilia geſſerunt: finis impoſitus. Durauit id bellum continuos quatuor & uiginti annos, omnium ſanè, quæ nos audiuerimus longiſſimum, atq; maximum. in quo, ut alia omittam memoratu digna, ſemel quinqueremibus ex utraq; parte amplius quingentis, iterum non multo minus, quam ſeptingentis inuicem pugnatum fuit. amiſerunt in eo bello Romani quinqueremes ſeptingentas præter eas, quæ diuerſis naufragijs perierunt. Carthaginenſes uero circiter quingentas. itaque, qui antè eum diem admirati fuerant Antigoni, & Ptolemæi, & Demetrij copias, & claſſem, & Bella naualia, merito poſthac magnitudine rerum à Romanis, Carthaginenſibuſq; geſtarum, omnem admirationem depoſuere. quod ſi quis conſiderare uelit, quantum interſit inter quinqueremes, ac triremes, quibus Perſæ aduerſus Græcos, rurſuſq; Athenienſes, & Lacedæmonij bello inter ſe uſi fuere: pro-

ſecto nunquam maioribus copijs mari pugnatum intelliget. quibus ex rebus clare conſtat id, quod principio à nobis propoſitum fuit: Romanos neq; fortuna, quidam ut Græcorum putant, neq; caſu, ſed propria uirtute, audacia, magnitudine animi, tantum imperium conſecutos, ut tandem rerum omnium potiti fuerint. quanquam erunt fortaſſe, qui dubitent, quæ cauſa ſit, quòd cum longe magis polleant hac tempeſtate terra, mariq; Romani, quippe qui uniuerſo iam orbi dominantur, non tamen, aut tot ſimul naues ædificare, aut tantam uno tempore claſſem conficere ualeant. uerum eius rei cauſam facile licebit intelligere: cum ad expoſitionem Romanæ reipublicæ morumq;, atq; inſtitutorum eius uentum erit. nam de ijs præter propoſitum facere mentionem, neq; nobis commodum, neque lectoribus noſtri operis utile foret. ſiquidē res ipſæ ampliſſimæ ſunt: ſed tamen uſq; in hunc diem, ut id, quod ſentio, dicam, nemini notæ, culpa eorum, qui hiſtorias ſcripſerunt. ij enim partim ignorarunt, quæ ſcriberent: alij, & ſi recte intellexerunt, obſcure tamen, ac prorſus inutiliter ſcripſere. enimuero in hoc bello, ſi quis diligenter animaduertat, pares ſanè utriuſque populi animos, resq; omnes duarum maximarum ciuitatum inter ſe ſimillimas inueniet. principio deſyderium utriuſq; ſimile fuit: magnitudo animi par, cupiditas gloriæ æqualis: uiri apud Romanos longe quidem præſtantiores: ſed dux Carthaginenſium Amilcar cognomento Barca, Annibalis pater, qui poſtea bellum cum Romanis geſſit, prudentia, & fortitudine nemini ſecundus. Fœdere inter Romanos, Carthaginenſesq; percuſſo, ſimiles fere

caſus utrunq; populum excepere. Romani enim ſtatim cum gente Faliſcorū bellum gerere cœperunt: quod tamen intra paucos dies, ciuitate eorū potiti terminarunt. Carthaginenſes uero per idem tempus finitimorū, ac Numidarum, et aliorū Africæ populorū bello circumuenti, in extremū ferè diſcrimen deuenere: tandēq; non modo pro prouincia, ſed pro ſeipſis, pro libertate, pro liberis, pro ſolo natali, coacti ſunt dimicare. quod bellū, cum memoratu dignū ſit: ſummatim, breuiterq;, ſicuti ab initio propoſuimus: referemus. nā quale, quamq; atrox ſit id bellū, quod omnes cruentū uocant: facile quiuis ex rebus geſtis eorū temporum ſuſpicari poterit. q̄ uero multa prouidere ducem exercitus, et lōge antea cauere oporteat, quidq; Barbari mores differant ab iis, q̄ ſub diſciplina, et legibus educantur, ex iiſdem planè rebus palàm fiet: quodq; præcipuū eſt, ex cognitione earū rerū, facile intelligentur cauſæ eius belli, quod poſtea Annibal aduerſus populū romanū geſſit. quæ quoniam non modo apud eos, q̄ hiſtorias ſcripſerunt: uerum etiam apud eos, qui in ipſo bello fuere: interdum dubiæ ſunt, ac per obſcuræ: operæpretium erit, ſi ueritatem rei ſtudioſis noſtri operis apertam faciemus. Amilcar poſt percuſſum cum Romanis fœdus, copias ab Eryce, in Lilybæum deduxit. hinc ſeſe ſtatim magiſtratu abdicauit. copias Geſtoni duci, qui Lilybæi erat: tranſmittendas in Africam tradidit. Geſto, quod res nouas in tanta multitudine hominum, ſi ſimul in Africam delatæ forent, uerebatur: præſertim cum magna militibus ſtipendia deberentur: quæ propter inopiam ærarii, ſolui non poterant: prudentiſſime antea prouiderat, ne ſimul omnes, ſed di-

uerſis inter ſe temporibus, copiæ mitterentur: factis etiam de induſtria interuallis, ut facilius per partes prouideri poſſet: primiq; ante domum abijſſent, quam ſecundi ſuperuenirent. Carthaginenſes partim negligentia, partim inopia ærarij, non ſolum non dimittebant copias, ſed ut in urbe aduentum cæterarum expectarent, iubebant: quò ſimul cum omnibus, de ſtipendijs transfigeretur. cæterum cum multa in urbe, & per noctem, & interdiu à militibus maleficia committerentur: intolerabilisq; iam foret multitudinis intẽperantia: Carthaginenſes accerſitis ducibus, eos rogant, ut omnem multitudinẽ, quæ in urbem conuenerat, ad oppidũ Siccam traducant: ibiq; tandiu expectent, quoad reliquæ copiæ in Africam uehantur. præterea non nihil pecuniæ ſingulis qbuſq; tradi iubent: quò facilius tolerare morã poſſint. duces dicto Carthaginenſiũ obtemperantes, ſine mora multitudinẽ educere cœperunt. uerũ cum ſinguli quiq;, quẽadmodũ ſuperiori tẽpore fecerant: uellẽt impedimenta Carthagini relinquere, ueluti paulopoſt eò pro ſtipendijs reuerſuri: Carthaginenſes ueriti, ne, ſi id eis pmitteretur: alij amore liberorũ, pars uxorũ gratia, uel non abirent: uel mox in urbẽ reuerterentur: & ita cõditiones ciuitatis nihilo meliores fierent: tandẽ hoſtiliter cũ omnibus rebus ſuis, exire inuitos coegere. ut igitur in Siccã traducti ſunt milites: licentius iã per ociũ, atq; ſocordiam uitã agebant: id quod in exercitu pnitioſiſſimũ eſt, & fons, atq; origo ſeditionũ omnium. qdam ſtipẽdia inſolentius, q̃ ante, ac longe maiora, q̃ prius poſtulabant: oẽs memores munerũ, quæ inter picula duces, cũ eos ad bellũ hortarẽtur, ſibi polliciti fuerant: etiã

præter ſtippendia longe maiora expectabant . uerum ſpes ſua eos fruſtrata eſt. nam ſimulatq; omnes in Sicca oppido conuenere: miſſus ad eos Hãno Carthaginenſiũ prætor, non ſolum non attulit munera, quæ ſperabant: ſed de penuria ærarij multa locutus eſt: & aliquam ſtipendiorum remiſſionem poſtulauit. quibus rebus commota multitudo, confeſtim inſurgere cœpit: ingens tumultus, magnáq; in oppido ſeditio orta: ut pote in tanta morum, atq; linguarum uarietate . nam Carthaginenſes, quod ex uarijs, diuerſiſq; hominum generibus, exercitum cõponerent: partim quidem recte faciebant: ſiquidẽ neq; conſpirare inter ſe facile adeo diuerſa gens poterat: & mandatis ducum facilius uniuerſi obtemperabant. at ſi quando tumultus, aut ſeditio in exercitu oriebatur: tunc neq; mulcere quenquam , neq; alicui modum imponere licebat. gens ignara cum impetu ferebatur. ubi ſemel ad iram uentum erat: more ferarum continue magis crudeſcebat: neq; ullus erat ſæuitiæ modus. quod ea tẽpeſtate in exercitu Carthaginenſium, euenit. erant enim Hiſpani alij, alij Galli, quidã Lygures, itẽ Baleares, Græci etiam non pauci, Afri plurimi, fugitiuorum, et transfugarum ingens numerus. quamobrem neq; congregare omnes uno tempore cuiquam licebat: neq; alius ad eam rẽ modus inueniri poterat. prætorẽ ſingulorum linguam noſſe impoſſibile erat. plures uno tempore ad conuocãdam multitudinẽ, adhibere interpretes, ſtultiſſimum uidebatur. reliquum erat, ut id per duces eorũ fieret: quot Hãno è ueſtigio expertus, fruſtra laborauit. ſiquidẽ alij mandata ducũ nequaquam intelligebant: alij aliter referebant, quam dicerentur: pars id ignorantia, pleriq; uitio facie

bant. quamobrem ira, impetu, tumultu, omnia plena erant. inter cætera querebantur, à Carthaginenſibus neminem ex iis, ſub quibus in Siciliam militauerant: quiq; munera eis polliciti fuerant: ducem ad ſe miſſum. tandem uero raptis per iram armis, cõtempto Hãnone, & cæteris ducibus, Carthaginem uerſus profecti, apud oppidum Tunes, quindecim millibus paſſuũ à Carthagine, caſtra locant. erant hi ſupra uiginti millia hominum. Carthaginenſes tunc demũ ſe circũſpicere, tunc errata ſua recognoſcere cœperunt: cũ nullũ amplius rebus ſuis remediũ erat. ingens enim Carthaginenſium error fuit, tantã cõductorũ militũ multitudinẽ, finito bello, in unum locum coegiſſe: nec eo minor liberos, uxoreſq; eorum, aut cætera impedimenta non retinuiſſe Carthagini: quibus, ſi res poſtularet, ueluti obſidibus uti poſſent. tamen cum tantam multitudinem hominum haud parum formidarent: nihil, quo illorum iram leniri poſſe arbitrarentur, prætermittere: iubere, ut in caſtra eorum à ſuis frumentum, & cætera neceſſaria portarentur, uiderenterq;, quo pretio illi uellent. crebras præterea legationes ad eos ex Senatu Carthaginenſi mittere. at mercenarij milites, ſingulis diebus noui aliquid cogitare: audaciores iam facti, ꝙ timeri ſeſe à Carthaginenſibus ſenſerant: quodq; bello Siculo exerciti erant: & Carthaginenſes, nullas prorſus urbanas copias habere intelligebant. quãobrem, ubi prius debita ſibi ſtipendia petere conſueuerant: nũc ẽt interfectorum equorũ pretia exolui ſibi poſtulabant. neq; iis contenti, rurſus multorũ annorum frumentum deberi ſibi aſſerebant: pro eo, inauditum, ante eũ diem, pretiũ flagita-

bant. deniq; quotidie noui aliqd, quo bellum mouerent, reperiebant. peſſimi quiq;, & maxime ſeditioſi milites, in exercitu præualebant. Carthaginenſibus omnia ſeſe facturos pollicentibus, tandem inter eos conuenit, ut omnia, quæ in dubio eſſent, unius arbitrio cõmitterentur: quo duce, illi in Sicilia uſi forent. ſed enim Amilcarem barcam, ſub quo in Sicilia militauerant, non ſatis diligebant: q, neq; nunc in tanta diſſenſione, ad eos iiſſet: & antea ſponte ſeſe magiſtratu abdicaſſet. Geſtonem uero omnes unanimiter amabant: quoniam, & dux in Sicilia fuerat: & erga eos perhumaniter ſe geſſerat, cum cæteris in rebus, tum uel maxime in traductione copiarũ in Africam. huic igitur ſummam rei committendam omnes cenſuere. Geſto è ueſtigio cum pecuniis, mari profectus, ſimulac Tunes appulit, principio duces conuocat: deinde ſingulas quaſq; nationes congregari iubet. hic eos partim præteritarum rerum increpat: partim præſentium admonet: in futurum, ut Carthaginenſes, quorum milites longo tempere fuerunt: colant, longa oratione hortatur. tandem ſuadet, ut ſuum quiſq; ſtipendium æquo animo capiat: id uero per nationes diuidere cupiebat. erat in exercitu campanus quidam, qui nuper ſeruus è Sicilia à Romãis trãsfugerat: uiribus corporis, atq; audacia in rebus bellicis inſignis, nomine Spẽdius. hic metuens, ne, ſi fœdus cum Carthaginenſibus fieret, in domini ſui poteſtatem deueniret, ac ſecundum leges populi romani cæderetur: ſummam audaciam uerbis, ac re ipſa quæcunq; moliri: quo oĩa magis ꝑturbarẽtur, ſeditionem, quàm fœdus, bellũ, ꝙ pacem, præoptare. præterea etiam Afer quidam nomine Matho, qui liber qui-

dem erat: atq; in Sicilia pro Carthaginenſibus dimicauerat: ſed quia multa in diſſenſione ſeditioſe fecerat: ſupplicium formidabat. hic igitur conuocata Afrorum multitudine, admonet, ut prudenter rebus ſuis conſulant, neq; dubitent Carthaginenſes, cum primum cæteri milites, accepto ſtipendio, in prouincias reuerſi fuerint: omnem ſuam iram in Libyes conuerſuros: ita illos ſibi perſuaſiſſe, omnem ſeditionem initium habuiſſe ab Africanis: proinde uideant quid agant. quibus uerbis commota mirum immodum multitudo, ſimul quod mentionem duntaxat de ſtipendio à Mathone factam intelligebant: nihil autem neq; de precio interfectorum equorum, neq; de frumento tot annorum ab eo commemoratum: extemplo omnes ſimul in contionem, deliberandi cauſa uenere. hic Spendio, ac Mathone uehementer in Geſtonem, ac reliquos Carthaginenſes inuehentibus, omnes facillime aures præſtabant. quod ſi quis præterea aliter conſulere nitebatur, non expectabant idem'ne, quod Spendius, an diuerſum ſentiret, intelligere: ſed confeſtim iactis in eum lapidibus, interficiebant. multi in hunc modum non ſolum duces, uerum etiam priuati homines cæſi. nihil'q; aliud in tanto tumultu, per totum exercitum audiebatur, quam uerbum, inijce, inijce, pariter omnes clamabant. eo'q; magis eorum animus ſæuiebat, quod pauloante ebrij à cœna ſurrexerant. itaq; ſi quis dicere, inijce, ſemel cœpiſſet, confeſtim ita undiq; lapides concurrebant, ut ne fugæ quidem locus ullus relinqueretur. ita cum nemo amplius conſulere in contione quippiam auderet: Spendium, & Mathonem unanimi conſenſu, duces ſibi conſtituere. Geſto, & ſi tantumtum in multitudine tumul-

tum, ac ſeditionem cerneret: tamen utilitatem patriæ cæteris omnibus rebus præponendam exiſtimabat. itaque cum intelligeret, crudeſcentibus indies magis multitudinis animis, res Carthaginenſium ſummum in diſcrimen adduci, etiã cum ſui capitis periculo inſiſtere, atq; experiri omnia decreuit. & nunc uocatis ad ſe principibus coniurationis, nunc ſingulis ſeparatim nationibus accerſitis, eorum animos precibus, pollicitationibusq́; mulcere conabatur. at illis non dum frumentum, quod petierãt: conſecutis, et tamen deberi ſibi affirmantibus, acriterq́; petentibus, Geſcon ſeſe id libenter daturum reſpondit: ſi Mathonem in eius manibus ponerent. at eã uocem indignata multitudo, in tantam inſolentiam prorupit, ut confeſtim pecuniam omnem, quæ ad diſſoluenda ſtipẽdia parata erat: diripuerint: Geſconemq́; ipſum, ac cæteros, qui cum eo erant: Carthaginenſes cœperint. Matho autem, ac Spẽdius multitudinis duces, ut celerius exardeſceret bellum, immane aliquot patrare facinus properabant. quamobrem inſolentia multitudinis collaudata, una cum pecunijs etiam ſarcinas Carthaginẽſiũ rapuere. Geſconem, cæterosq́;, qui cum eo erant: poſt multas contumelias duci in uincula iuſſerunt. ipſi poſthac crudeli, & ante eum diem inaudita inter ſe facta coniuratione, apertum cum Carthaginenſibus bellum geſſere. ex huiuſmodi igitur cauſis natũ eſt, taleq́; principium habuit bellum, quod Africanum dicitur. Matho, ac Spendius patratis ijs, quæ ſupra memorauimus: confeſtim per omnes Africæ populos, legationes mittunt, ad libertatem eos prouocantes: &, ut ſibi contra ſæuum populi Carthaginenſis, crudeleq́; imperium adiumen-

to eſſe uelint: rogantes. omnibus ferè Africæ populis inceptum comprobantibus, commeatuq́;, & copiis habunde ſubministratis, duces diuiſo inter ſe exercitu, pars Vticam, alii Hipponem, quæ hæ ciuitates in conſpiratione diſſenſerant: obſedere. Carthaginenſes, qui rē quidē familiarem duntaxat agricultura ſuſtentare: publicas uero pecunias ex tributis Africæ colligere: præterea cōductis tantummodo militibus bella gerere conſueuerant: tunc iis non modo priuati, ſed ea omnia in capitis ſui perniciem conuerſa animaduertentes, multis uno tempore difficultatibus premebantur: nec quo ſe uerterent ſatis ſciebant. tantoq́; hæc grauiora eis uidebantur: quanto præter ſpem acciderant magis. etenim longo, ac difficili in Sicilia bello fatigati, percuſſo ad extremum cū Romanis fœdere, ſperabant ſeſe aliquandiu quieſcere, ac reſpirare poſſe. at id longe contra euenit. Bellū enim ſubito exarſit infeſtius multo, ac periculoſius quā antea. ſiquidem primo de poſſeſſione Siciliæ cum Romanis certabāt: nūc uero pro ſeipſis, pro liberis, pro patria, ſubire pericula cogebantur. ad hæc nulla amplius arma, nullæ nauales copiæ, nullius claſſis apparatus, apud eos erant: ut, qui tot naualibus prædiis uicti, ac profligati fuerant, nulla præterea in poſterū tributa, nullū amicorū, aut ſociorū præſidiū expectabant. tunc demū intelligentes quātū inter externū, ciuileq; bellū intereſſet: cuius mali cauſa profectò ipſi ſibiipſis fuere: et .n. ſupiori bello, quia iuſtas ſe cauſas habere putarēt: ſupbe nimiū, atq; auare Africæ populis imperauerāt: uniuerſorū fructuū medietatē abſtulerāt: tributa duplicauerāt: nullū ētiis, qui per ignorantiam deliquerāt: remittere crimē uoluerāt. magiſtra

tuum eos duntaxat honeſtauerant: non, qui benigne, ac clementer ſe geſſiſſent: ſed, qui grandem ærario pecuniã cumulaſſent: quemlibet iniuſte per eos in populum ſæuitum foret: qualis fuit is, quẽ ſupra memorauimus Hanno. *ꝗbus rebus factum eſt, ut populi* Africæ *nõ ſolũ hortatu multorũ, uerum ẽt unico nuntio, facile ad rebellionẽ induci poſſe uiderentur. ſiꝗdem mulieres ipſæ, ꝙ ſuperiori tempore uiros, liberoſq́; earũ, ob nõ ſoluta uectigalia, duci in ſeruitutẽ uiderant, in ſingulis ꝗbuſq; ciuitatibus conſpirauere, nihil relictorũ ſibi bonorũ occultantes: ſed mundos ẽt mulieribres, quod dictu incredibile uidetur, ad ſoluenda ſtipendia ſponte conferentes. ꝗbus ex rebus tantũ* Mathoni, *ac* Spendio *facultatũ cõparatum: ut non ſolũ militibus, quæ principio coniurationis polliciti fuerant: abũde perſoluerint: uerũ ẽt ad futuros belli apparatus ſatis ſuperq́; habuerint. ꝗobrẽ nõ præſentia ſolũ, uerũ etiã futura proſpicere recte conſulentem cõuenit.* Carthaginenſes, *& ſi tot undiq; calamitatibus circumuenti forent: nõ tamen omnino animi concidere: ſed quantis pro anguſtia temporis licuit, paratis mercœnarijs militibus ducem præficiunt* Hannonem: *hinc urbanam iuuentutem armant: equites etiam urbanos exercẽt: reliquias nauium, triremeſq́; partim ueteres inſtaurãt: partim nouas inſtruunt. interea* Matho, *&* Spendius, *cum iam ſeptuaginta armatorum millia ad eos ex* Africa *conueniſſent, diuiſis, quẽadmodum ſupra diximus, inter ſe copijs,* Vticam, *atque* Hipponem *obſidebant: nondum tñ deſertis caſtris, quæ apud* Tunes *oppidum ante conſtituerant: ex quo fiebat, ut* Carthaginenſes *omni* Africa *excluderentur. ſiꝗdẽ* Cathago

in promontorio ſita eſt, in mare protendens, inſulæq; ſpe ciem habet, niſi ꝙ arctiſſima tellure Africæ coniungitur. urbs ipſa partim mari, partim ſtagnis coarctatur. Latitudo telluris, quæ eam cum Africa iungit, nõ amplius, q̃ tria milia paſſuum continet. huius ab una parte, quæ in mare protenditur, non longe abeſt Vtica ciuitas: in altera iuxta paludem Tunes eſt oppidum. Hoſtes igitur caſtris hinc apud Tunes, illinc apud Vticam poſitis, Carthagnenſes ab reliqua Africa excludebant: ac modo noctu, modo interdiu, ad mœnia uſq; Carthaginis prorumpentes, tumultu, & trepidatione urbem complebant. inter hæc Hanno, quæ bello neceſſaria erãt, diligentiſſime parauit. erat enim uir promptus, & ad huiuſmodi res ingenioſiſſimus. at paulo poſt aduerſus hoſtes, cum exercitu profectus, quod recte diſcernere tempora neſciret: magnam ducis imperitiam præ ſe tulit. miſſus etenim in auxilium Vticenſibus obſidione laborantibus, primo impetu hoſtes elephantorum multitudine perterritos, diſſipauit: mox uero adeo imprudenter ſe geſſit: ut ipſos obſeſſos, in quorum ſubſidium uenerat, maximum in diſcrimen, & extremam ferè pernitiem adduxerit. nam cum baliſtas, tormenta, catapultas, ac omnifariam oppugnandarum urbium machinas, ſecum Carthagine detuliſſet: caſtris ante mœnia urbis poſitis, pugnam cum hoſtibus commiſit. illi cum elephantorum uiolentiam ſuſtinere non poſſent, deſertis caſtris, pluribusq; ex ſuis interfectis, in proximum collem natura, & arborum frequentia munitiſſimum ſe recepere. Hãno duntaxat aduerſus Numidas bella gerere ſolitus, qui ubi ſemel fugam arripuere, uix ad ter

tiam diem conſiſtere ſolent, quaſi iam uictor foret, cura perſequendi hoſtes abiecta, Vticam ingreſſus tantummodo curando corpori operam dabat. hoſtes uero ſua Amilcare in Sicilia militare conſueti, ac ſæpe eodem die fugere hoſtem, & mox iterum inſectari, ſimulatq; Hannonem Vticam ingreſſum cognouere, exercitumq; fiducia uictoriæ ſecurum degere, repente caſtra hoſtium agreſſi, eorum partem interficere, reliquos cum ignominia ſeſe in urbem recipere coegerunt: machinis, & cætero belli apparatu, nemine iam contra dicente potiti. neq; hoc ſolum tempore Hannonis imprudentia Carthaginenſibus obfuit. nam paucis interiectis diebus, cum caſtra hoſtium apud SorZam oppidum forent, nactus opportuniſſimum tempus, quo hoſtes, bis ſtructis de more aciebus, bis tumultuario impetu facto, ſuperare facile potuiſſet, utrunq; tempus ignauia, atq; ſocordia prætermiſit. Carthagineſes itaq; cum Hannonem imperite uerſari in eo bello cernerent, rurſus Amilcarem unanimi conſenſu ducem creant: huic elephantos ſeptuaginta tradunt: omnẽ præterea conductũ militem, & transfugas, item equites, pediteſq; urbanos, ita, ut uniuerſi eſſent circiter decem millia hominum. hic è ueſtigio cum exercitu profectus, incredibili uirtute, uno tempore, & animos hoſtium fregit, & obſidionem Vticæ diſſoluit: & dignus ea gloria, quam ex rebus geſtis antea cõparauerat, eaq; expectatione, quæ de eo apud omnes erat, apparuit. fuit autem prima eius induſtria hunc in modum cognita. Promontorium in quo Carthago ſita eſt, aſpero admodum dorſo, ac montuoſis ſaltibus ad reliquam Africam coniun

gitur. uiaſq; habent ea loca perdifficiles, atq; inacceſſas, & magna ex parte manu factas. igitur tumulos omnes, qui itineribus imminent, Matho occuparat: præſidijs ea loca diligentiſſime firmauerat. fluit præterea per hæc loca Machæra fluuius altis quidem ripis, ac prærapido gurgite, nec niſi unico ponte tranſmeabilis. ſupra pontem urbs eſt nomine Sephyra: hanc eodem modo Matho tenebat. quibus ex rebus accidebat, ut non modo exercitui Carthaginenſium, ſed & priuatis quibuſque hominibus præcluſus in Africā tranſitus foret. quæ cum animaduerteret Amilcar, nihil intentatum relinquens, quo exercitum in Africam traduceret: tandem hoc conſilio uſus fuit. animaduerterat curſum eius fluminis, quod ſupra memorauimus, interdum flante uento ita diſtineri, ut ſtagnarentur ferè eius hoſtia, nec multum per id tempus in mare deflueret. itaque facilem fore per ea tempora ſecus mare tranſitum ſuſpicatus, rem nemini pandit, duntaxat quæ exercitui ad profectionem neceſſaria erant, parat. hinc opportunum ei rei tempus expectat. quod ſimul atque aduenit, per noctem cum exercitu profectus, nemine id ſentiente, præter fluuij oſtia copias omnes traducit. orta uero luce, & hoſtibus, & ijs, qui in urbe erant, tantæ rei miraculo obſtupefactis, Amilcar aduerſus eos, qui Sephyram cuſtodiebant: exercitum mouit. Spendius ubi traductas ab Amilcare copias intellexit, rapto confeſtim agmine, in ſubſidium ſuorum proficiſcitur. ita ſibi inuicem utriq; exercitus opitulabantur. erant autem Sephyræ ad decem millia hominum: Vticæ uero circiter quindecim

millia. hi facile à ſe circumueniri poſſe Carthaginenſes arbitrati, ſi utriq; aduerſus eos proficiſcerentur, & ſub idem tempus alteri à fronte, alteri à tergo hoſtibus occurrerent, repente cum omnibus copijs profecti, confirmatis animis aduerſus Amilcarem tendunt. at Amilcar nihilominus iter perſequitur, prima fronte elephantos habens, deinde equites, ac leuis armaturæ milites, poſtremo legionarios. ubi uero hoſtes ardentius in ſuos irruentes cernit, ſubito mutari ordines, ac totum conuerti agmē iubet, ita, ut qui à fronte erant conuerſo itinere de induſtria, quaſi fugam facerent: qui uero poſtremi incedebant, alia ex parte flectentes, in primam frontem properarent. quo facto Libyes, qui utrinque Carthaginenſibus obuiabant, rati hoſtes eo tumultu perterritos fugam arripuiſſe, deſerto ordine circa illos funduntur: ſtatimq; ad manus ueniunt. ſimulac uero equites ſibi appropinquantes, ac reliquas copias cum impetu irruentes cernunt, nouitate rei perterriti, celeriter diſſipantur: ac poſtremo ſe fugæ committunt. alij à legionarijs militibus, à latere inuadentibus magna cum cæde profligati: alij ab elephantis, equitibuſq;, qui poſt legionarios ruebant: peſſundati. ad ſex millia hoſtium in eo prælio cecidere: capti circiter duo millia: reliqui fuga accepta, partim ad Sephyram urbem, nonnulli in caſtra, quæ circa Vticam erant, ſe recepere. Amilcar his rebus feliciſſime geſtis, hoſtes, qui Sephyram aufugerant inſecutus, urbem primo aduentu cæpit, militibus, qui in ea erant, ad oppidum Tunes è ueſtigio fugientibus: hinc per reliquā prouinciam graſſatus, pleraq; oppida in poteſtatem redegit: alia tormentis, ac manu militari expugnauit

ex quo

ex quo factum eſt, ut Carthaginenſes, qui paulo ante nullam rebus ſuis relictam ſpem cernebant: priſtinum robur audaciamq; reſumerent. Matho per id tempus Hipponem obſidebat. hic Spendio, & Autarico gallorũ duci perſuaſerat: ut hoſtes inſequerentur: & plana quidem loca, ob elephantorum, equitumq; hoſtilium multitudinem euitarent: radices uero montium tenerent: neq; ab hoſtibus, ob multa, quæ accidere poterant, longe ſecederent. præterea numidas, Libyesq; frequentibus nuntijs ſolicitabat: monens, atque orans, ut ſibi præſidium ferrent: neq; paterentur tam opportuna. ad libertatem Africæ tempora. in irritum labi. Spendius igitur ſex ueteranorum millibus, ex omni multitudine, quæ apud Tunes erat, aſſumptis, per radices montium, non longe ab hoſtibus caſtrametabatur. habebat præterea una gallos, qui ſub Autarico militabant. erant hi circiter duo millia hominum: nam reliqua gallorum multitudo, bello Siculo, Romanis Erycem obſidentibus, ad eos transfugerat. cum interea, Amilcar in quadam planitie undique montibus circunſepta, cum omni exercitu moraretur: auxilia Numidarum, Afrorumq; magna multitudine Spendio ſuperuenire. quo factum eſt, ut exercitus Carthaginenſium tribus undique hoſtium caſtris cingeretur: à fronte Afri, à tergo Numidæ, ab latere Spendius imminebat. in tam iniqua conditione, maxima diu Amilcarem dubitatio tenuit, quid ſibi agendum foret. erat per id tempus inter Numidas Narua quidã nobilitate generis clarus, ac in primis manu promptus. is ſemper Carthaginenſibus affectus fuerat: & tunc in primis Amilcaris uirtutem admi-

rabatur. quamobrem opportunum tempus adeſſe ratus, quo amicitiam cum Amilcare iniret: in eius caſtra proficiſcitur, habens ſecum Numidas circiter centum. cumq; iam prope foret, audacter conſtitit, colloquium manu petens. Amilcar eius uiri audaciam admiratus, unum ex equitibus ad eum mittit. ille idcirco ſe ueniſſe dicit, ut ducem alloquatur. Amilcare adhuc dubitante, neq; id credente, Numida equum, atq; haſtam ijs, qui ſecum erant, tradit: ipſe intrepidus ad Amilcarem proficiſcitur. cuncti admirabãtur, obſtupebantq; tam unius Numidæ audaciam. tandem uero in colloquium uocatus, narrat ſeſe omnibus Carthagnenſibus mirificæ affectum ſemper fuiſſe, Amilcaris uero amicitiam iam pridem ſummopere optaſſe: proinde adeſſe nunc ſeſe nunquam duci defuturum, ſed omnibus in rebus ſua omnia cum illo, ſine fraude, communicaturum. ea re audita Amilcar, tantam animo lætitiam concepit, tum, ob audaciam adoleſcentis, quod adeo intrepide ante eius conſpectum profectus fuerat: tum, ob ſimplicitatem, qua inter loquendum fuerat uſus: ut non modo eum rebus ſuis ſocium adiunxerit, ſed & filiam ſe ei in uxorem tradituram iureiurando affirmarit: dummodo fidem Carthagnenſibus ſeruaret. poſthæc Narua ad ſuos reuerſus, poſtridie cum duobus millibus Numidarum, qui ſub eo erant, ad Amilcarem tranſit. ea manu militum Carthagnenſibus addita, Amilcar iam cum hoſtibus dimicare auſus fuit. Spendius item auctis ſuorum uiribus, aduentu Afrorum, ac Numidarum, exercitum in loca æqua deducit: ac ſine mora cum hoſtibus congreditur. fit atrox prælium. tandem Carthagi-

nenſes, & multitudine elephantorum freti, & Narua egregie operam nauante, uictores in eo prælio fuere. Autoritus, & Spendius deſperatis rebus, fugam arripuerunt. ex reliquis ad decem millia hominum in prælio cæſi: capti uero circiter quatuor millia. poſt id prælium, Amilcar captiuis omnibus, qui ſecum militare uellent, licentiam concedit: armaq́; ex defunctorum hoſtium ſpolijs præbet. cæteros uero ad ſe uocatos hortatur, ne poſthac arma aduerſus Carthaginenſes moueant: ſe omnium, quæ uſq; in eum diem patrarant: impunitatem concedere: proinde ſi uelint, licere unicuiq; in patriam reuerti. per idem tempus conducti milites, qui Sardiniam cuſtodiebant: Mathonem, ac Spendium imitati, Carthaginenſes omnes, qui in inſula erant: inuadunt. Boſtarum ducē, ac reliquos, qui cū eo erant: in arcē adductos, paulo poſt obtrūcant. Hannone rurſus duce in Sardiniā cum nouis copijs miſſo, conducti milites, confeſtim ſimul cum ueteranis, contra eum conſpirant: & mox excruciatum cruci affigunt. poſthæc dignam tam atroci ſcelere pœnam ueriti, Carthaginenſes omnes, qui in inſula morabantur, paſſim interfecere: oppidisq́; oībus, atq; arcibus potiti, ipſi poſt eum diem inſulam tenuere: donec orta inter ſe, ac Sardiniæ populos ſeditione, ab illis expulſi, in Italiam uenerunt. per hunc modum Sardinia à Carthaginenſibus defecit inſula, & magnitudine, & multitudine hominum, & omni fructuum genere excellens. de qua, quoniam multi ante nos ſcripſere: non duximus neceſſarium ea repetere, quæ à multis tradita, omnibus notiſſima ſunt. Matho, ac Spendius, & unà Autoricus Gallorum dux,

ueriti ne Amilcaris benignitas, in dimittendis captiuis, præſertim oblata impunitate, apud Libyes, cæterosq́; conductos milites præualeret: crudele aliquod facinus machinari conabantur: quo multitudinis animos à Carthaginenſibus omnino alienos faceret. igitur concionem aduocare iubent: quò ſimulac omnis multitudo conuenit: tabellarius quidam cum literis adducitur, ueluti nuper ad eos, ex Sardinia miſſus. tenor literarum fuit, ut Geſtonem, cæterosq́; captiuos diligenter cuſtodirent: eſſe enim in exercitu nõnullos, qui Carthaginenſium gratia, liberationem illorum quærant. Spendius huiuſmodi occaſionem nactus, primo hortatur milites, ne ſimulatæ Amilcaris clementiæ, in dimittendis captiuis, fidem adhibeant: nõ enim icirco eos dimiſiſſe, quò ſaluos eẽ cuperet: ſed ut per illorum dimiſſionem, omnium ſimul potiretur: neq; de aliquibus, ſed de uniuerſis ſupplicium ſumeret. præterea admones, ut Geſtonem, & cæteros Carthaginenſes diligenter obſeruent: neque abire per negligentiam permittant. nam ſi aliter fecerint, ſtatim ſeſe, & hoſtibus contemptui futuros, et in rebus gerendis maxima incommoda ſubituros. & enim quis dubitet, ſi tam egregius dux, tamq́; præſtans in re militari ex eorum manibus per ſocordiam dilabatur, confeſtim uniuerſo exercitui ſuo eundem inimiciſſimum fore? adhuc eo dicente, alter à Tunete tabellarius aduenit, eiuſdẽ planè ſententiæ literas afferens: quibus in concione recitatis, Autoritus dux Gallorum aſſurgens, unam, inquit, ſalutis uiam ſeſe rebus ſuis proſpicere, ſi omnis ſpes, quam in Carthaginenſibus habeant, præcedatur, quandiu quis ad illorum benignitatem reſpexerit, ſi

dum in bello ſocium eſſe non poſſe. itaque illis maxime credere oportere: illos audire: illis mētem adhibere, qui quam acerbiſſima contra Carthaginenſes conſulerent: qui uero aliter ſuaderent: proditores, atq; hoſtes iudicandos eſſe. hæc cum dixiſſet: hortatur, ſuadetq;, ut Geſtonem, ac cæteros, qui cū eo in uinculis erant: item Carthaginenſes omnes, qui poſtea capti forent: grauiter excruciatos necent. erat hic maximæ in concionibus authoritatis: q eius orationem plurimi intelligebant. nam homo longo tempore militiæ aſſuetus, Punica lingua utebatur: quæ iam ob diuturnitatem eius belli omnibus ferè notiſſima erat. igitur oratio eius fauore militari excepta à multitudine laudatur. uerum multis, ex ſingulis quibuſq; nationibus: ſimul euntibus, conſultātibusq; inter ſeſe optimum fore, ut duriora illa ſupplicia tollerentur, præſertim in Geſtone, cuius multa erga ſe beneficia extabant: nihil prorſus, quod ab illis diceretur, intelligi poterat, utpote multis ſimul, & ſingulis propria lingua conſulentibus. cum uero tandem conſtaret, eos ſupplicia Carthaginenſium deprecaturos, ſeditioſus quidam, qui tum forte aderat, ſublato clamore, inijce, inquit: quo uerbo audito, continuo omnes uno impetu à multitudine lapidibus obruuntur: adeo ut paulopoſt eos, ueluti à feris lanitos propinqui eorum extulerint. Poſt hæc Geſtonem, & reliquos captiuos, qui numero ſeptingenti erant, extra uallum producunt. ibi à Geſtone incipientes, quem pauloante ex omnibus Carthaginenſibus, ueluti de ſe optime meritum, rerum ſuarum arbitrum elegerant, ſingulorū manus præcidunt, membra dilacerant, & ad extremū fractis cruribus,

adhuc uiuos in ſcrobem quandam conijciunt. Carthaginenſes ſupplicio ſuorum ciuium cognito, quid agerent, non habebant, duntaxat quod in eis erat, ſupra modũ affligebantur: ac tantam urbis ignominiam, tãtam ſuorum ciuium calamitatem deplorabant. deniq; ad Amilcarem, atq; Hannonem alterum Carthaginenſium ducem legatis miſſis rogant, obteſtanturq́;, ne tantam in cõciues ſuos crudelitatem inultam relinquant. Caduceatores præterea, qui defunctorum corpora ad ſepulturam petant: ad crudeliſſimos hoſtes tranſmittunt. illi non ſolum cadauera eis negant, uerumetiã Carthaginenſes admonent, ne poſthac caduceatores ad ſe mittant, neq; etiam legatos: ſi ſecus fecerint, idem de illis, quod nuper de Geſtone, ſuppliciũ ſumptũ iri: quod reliquum ſit, ſeſe unanimi conſenſu iam diu conſtituiſſe, fixumq́; animis tenere, ut quicunq; è Carthaginenſibus in poteſtatem ſuã ueniant, duris affecti ſupplicijs necentur: qui uero ex Carthaginenſiũ ſocijs capiantur, eos præciſis duntaxat manibus, Carthaginẽ remittant. quã poſtea rẽ diligentiſſime obſeruarũt. quo fit, ut ſi quis hæc recte intueatur, non dubitet affirmare, nõ modo corpora hominũ, & quædã in illis ulcera ita interdũ crudeſcere, ut ſanari nullo modo poſſint: ſed id longe magis humanis animis accidere. ut enim in ulceribus euenit, ut ſi illis medicamentũ curandi gratia adhibeas, ulcus ipſum ui medicaminis refricatũ augeſcit: ſi uero curã eius negligas, longe magis ſua ipſius natura extenditur: neq; prius deſinit, q̃ omne ſubiectũ corpus corruptũ, labefactumq́; ſit: ita animis quoq; conſimiles interdũ morbi, ac tabes accidunt: ut nullũ ex reliquis animalibus homine atro-

cius, atq; efferacius fiat: cui ſi interdum ueniã, aut impunitatem aliquã conceſſeris, aut aliter benignitate eum fueris proſecutus, id omne dolum, fraudemq; exiſtimãs deterior fit, & erga beneficium longe magis infidus: ſi uero te contra oppoſueris, nihil eſt adeo durũ, crudele, nefarium, quod non facile aggrediatur, laudem ſibi eã temeritatẽ exiſtimãs: donec ad extremũ omnino efferatus animus humanam naturã exuit. quarũ rerũ initiũ, ac ſanè maiorem partem mali mores afferunt: & deprauata à teneris annis educatio. additamenta poſtea multa ſunt; ſed in primis auaritia ducũ, atq; crudelitas, quæ omnia ea tempeſtate & multitudini, et in primis ipſis ducibus accidère. inter hæc Amilcar Hannonem alterum Carthagnenſium ducem ad ſe uocat, ratus cõgregato ſimul omni exercitu, facilius perduci ad finem res bellicas poſſe: hoſtium uero quoſcunq;, aut tunc captiuos apud ſe habebat, aut poſtea in eius poteſtatem uenêre, beſtijs obiecit, unã tantum belli diſſolutionẽ uidẽs, ſi aliquando poſſet hoſtes radicitus euertere. Per id tempus cum uiderentur Carthagnenſes longe meliori ſpe bellum gerere, ſubito mutata fortuna, uerti in contrarium res cœperunt. ſimulac enim in unum duces conuenere, tanta inter eos diſſenſio orta eſt: ut non ſolũ curam perſequendi hoſtes omiſerint, ſed potius opprimendi ſe facultatem hoſtibus præbuerint. quibus rebus promoti Carthagnẽſes iuſſere, ut è duobus ducibus alter in urbẽ reuerteretur: alter, quẽ milites mallẽt, in exercitu maneret. acceſſit ad hæc, ꝙ onerariæ ferè oẽs, qbus ad ferẽdũ in caſtra frumentũ, cæteraq; neceſſaria ĩportãda utebãtur, aduerſa tẽpeſtate correptæ, naufragiũ fecerãt.

prætereà Sardinia, ex qua plurimum ſubſidij, ad res bellicas habere ſemper conſueuerant, à Carthaginēſibus, uti ſupradiximus, defecerat. & nequid eorum calamitati deeſſet, Hipponēſes, atq; Vticenſes, qui ſoli ex omnibus Africæ populis non ſolū in eo bello, ſed etiam Agathoclis, Romanorumq́; temporibus continue Carthaginenſibus fidem ſeruauerant: tunc mutata uolūtate ad hoſtes defecerunt: Carthaginenſesq́; omnes, qui præſidij cauſa apud illos erant, unà cum eorum ducibus crudeliſſime interfectos mœnibus præcipitauere: neq; eorum cadauera petentibus ad ſepulturam ciuibus reddere uoluerunt. his rebus elati Matho, ac Spendius ipſam Carthaginem obſidere aggrediuntur. Amilcar tunc Annibalem Carthaginenſium ducem collegam habebat: hūc enim miſerant Carthaginenſes repulſo à cura belli Hānone per milites, qbus in diſſenſione ducū data fuerat à populo poteſtas, quē uellent retinendi. cum hoc igitur & narua coniunctus per prouinciam diſcurrebat, præcidens undiq; hoſtibus cōmeatum (maximā enim, cum in hac, tū in cæteris rebus præſentia, naturá ue operam nauabat) Carthaginenſes undiq; ab hoſtibus circūuenti, confugere ad ſocias ciuitates cogebantur. qbus ꝑ ea tempora Hieron Syracuſanus magna ſubmiſit auxilia ſuppeditatis oībus, quæ à Carthaginenſibus petebātur. ſiqdē ſalutē illorū plurimū rebus ſuis cōducere ſibi ꝑſuaſerat, & ad imꝑium in Sicilia, & ad amicitiā cū populo Romano conſeruandā: ne Carthaginenſibus omnino oppreſſis, liceret Romanis oīa, quæ collibuiſſent, nemine iā contradicente, ꝑficere: prudēter ſanè, atq; aſtute. nūq̄ enim huiuſmodi res cōtemnendæ ſunt: neq; ꝑmittendus

cuiuſquam principatum in tantum creſcere, ut neq; de manifeſta iuſticia apud eũ dubitare liceat. Romani quoq; fœdere cum Carthagineſibus aſtricti, nihil induſtriæ, quo minus omnẽ illis opem præſtarent: prætermiſere. à principio enim orta inter utrunq; populũ quædam diſſenſio fuerat ex huiuſmodi cauſis. Carthaginenſes cum primũ obſideri ciuitas cœpit, circiter quingentos homines, q ab Italia quæſtus gratia nauigantes, frumentum in caſtra hoſtiũ deferebant, capi, et in carcerem conijci fecerunt. eã rem grauiter, & iniquo animo populus romanus tulit. uerũ cum paucis interiectis diebus, ob eã rem legatos Carthaginem miſiſſent: Carthaginenſes benigniter omnes, q in uinculis erant, dimiſere. quæ res uſqueadeo grata Romanis fuit, ut confeſtim captiuos omnes Carthaginenſium, q ex bello ſiculo apud eos remanſerant, ſine pretio liberauerint: ſemperq; poſt eum diem Carthaginenſibus ſubſidiũ petentibus, dederint: mercatoribus, q ſub eorum imperio erant, ut frumentũ Carthaginem exportarent, permiſerint: cõtra uero ferre in caſtra hoſtiũ commeatum omnibus prohibuerint. præterea quo tẽpore ueterani, qui in Sardinia erant, à Carthaginenſibus defecere, miſſos ad ſe legatos, q inſulam populo romano traderent, audire noluerunt. Vticenſes uero paulopoſt ſe, ac ſua pari modo illis dedentes reſpuere: nullaq; in re tranſgredi leges fœderis uoluerunt. Carthaginenſes talibus amicorũ præſidijs ſubleuati, obſidionẽ tolerabant. Matho uero, ac Spendius nõ minus obſidebantur, q̃ obſidebant: ſiqdem in tantã rerũ neceſſariarũ penuriam eos Amilcar adduxerat: ut tãdẽ coacti fuerint obſidionẽ diſſoluere. interiecto tẽpore opti

mis quibuſq; ex omnibus copijs, militibus delectis, & quinquaginta millibus hominum, ſimul congregatis, con feſtim contra Amilcarem contendunt. cæterum planitiē ob elephantorū, atq; equitum, q ſub Narua erant, mul titudine ſemper uitabant: loca duntaxat edita, ac nō fa cile peruia præoccupare nitebantur. quo tempore, etſi ui ribus, atq; audacia haudquaq̄ inferiores erant hoſtibus, ob imperitiam tamen rei militaris ſæpenumero à Car thaginenſibus ſuperabantur. tum deniq; recte diſcernere licuit, quantum inter peritiam ducis, ac temeritatē im peritæ multitudinis intereſſet. nam cū per ſingulos dies prælia committerentur: Amilcar nil temere, nil impru denter gerendo, Spendij audaciam domuit. nonnunquā enim ſimulata fuga in inſidias præcipitē traxit: inter dum ex improuiſo hoſtes aggreſſus magnū eis terrorē iniecit. quicunq; uero uiui in eius poteſtatē uenere fe ris laniandos obiecit. tandem caſtris circum copias ho ſtium poſitis, in locis, hoſtibus quidē prorſus incōmodis, Carthaginēſibus uero cōmodiſſimis, eò difficultatis eos adduxit: ut neq; pugnare cū hoſtibus metu equitū, atq; elephantorū auderent: neq; fugere tuto poſſent, foſſa un diq; ac uallo circūſepti: et ad extremū fame coacti, ſuis inuicē corporibus ueſcerentur: dijs eā ultionē dignā ſce leribus, quæ in proximos patrarant, inferentibus. Igi tur neq; ad manus cū hoſtibus ueniebant: cū et uictoria Carthaginenſiū, et genus ſupplicij in a p̄to forent: neq; de fœdere mentionem faciebant: cū nullū miſericordiæ locū ſibi relictū ob ſupiora ſcelera intelligerent. Præſi diū duntaxat à Tunete ſingulis diebus expectantes o mnia tolerabant. poſtquam uero & captiuorū, & mi-

niſtrorum corpora crudeliſſime abſumpta. (hoc enim alimento diutius uſi fuere) incerto conſilio inter angorẽ famis, ac formidinem ſupplicij fluctuabnt: tandem uero adire hoſtes, ducemq; de fœdere alloqui decreuere. Miſſo igitur Caduceatore, petunt: ut liceat legatos ad Amilcarem mittere. cum id impetraſſent: legati ad ducem ueniũt. cum quibus Amilcar ita paciſcitur: ut liceat Carthaginenſibus decem ex hoſtibus quos uelint eligere: reliqui cum ſingulis tunicis abire impune poſſint. Id cum firmatum inter eos eſſet: Amilcar inquit, eos ſeſe, q̃ præſentes erant, ſecundũ pactionem eligere. in hunc itaq; modum Spendius, et Autaricus, alijq; exercitus primores Amilcari tradũtur. Lybies, ubi captos eorũ duces intellexere: rati fidem à Carthaginẽſibus fractã, q̃d eius pactionis ignari fuerant: captis armis in parte caſtrorum ſe tutabantur. Eos Amilcar elephantis, ac reliquis copijs aggreſſus continuo oppreſſit: omneſq;, qui ſupra quadraginta millia hominum erant: trucidauit: iuxta locum, quem Serram uocant, à ſimilitudine inſtrumenti, quod hac appellatione in præſentia notatur: ita appellatum. His rebus geſtis Carthaginenſes, qui pauloãte deſperaſſe de ſalute uidebantur: confirmare animos, ac uires aliquãtiſper reſumere cœperunt. Amilcar, & unà cum eo Narua, atq; Annibal p̃ prouinciã, urbeſq; diſcurrũt. hinc magna Afrorũ multitudine in Carthaginẽſiũ partes cõuerſa, multiſq; receptis urbibus, Tunes exercitum ducunt. Mathonẽ, ac cæteros, qui cũ eo erant: obſidere aggrediuntur. Ab eo latere oppidi, q̃d ad Carthaginem ſpectat: Annibal caſtrametabatur: Amilcar uero ad eã partẽ, quæ huic oppoſita erat. Hic adducto Spẽ-

dio, cæteriſq;, qui in uinculis erant: omnes in conſpectu hoſtium crucibus ſuſtulerūt. Matho interea digreſſis ho ſtibus, cum conſpicaretur Annibalem temere nimiū, atq; imprudenter in caſtra cum exercitu redeuntem: haud prætermittendam eiuſmodi occaſionem ratus, facto in Carthaginenſes impetu, pleroſq; eorum interficit: reliquos fugat: caſtra depopulatur: impedimenta omnia diripit. dux ipſe Annibal uiuus capitur. Hunc è ueſtigio ad crucem Spendij tractum diuerſis affectum ſupplicijs, illius corpore depoſito uiuum eidem cruci affigunt. Triginta præterea ex nobilitate Carthaginēſi uiros circa Spendij corpus crudeliſſime trucidāt: fortuna utrinq; uiciſſim facultatem ulciſcendi ſe præbente. Amılcar nec ſatis propere eruptionem hoſtium intellexit, ob diſtantiā caſtrorum: nec, poſtquam intellexit: ferre auxilium potuit, ob locorum difficultatem. quamobrem Tunete profectus, exercituq; ad Machæram fluuium ducto, iuxta fluminis Hoſtia ſecus littus caſtrametatus eſt. Carthaginenſes clade ſuorum præter ſpem accepta, rurſus rebus ſuis diffidere cœperunt: ſed ſtatim ad ſe reuerſi, ſaluti ciuitatis omni conatu incumbunt. Triginta ſenatores ad Amılcarem legatos mittunt. cum his Andonem priorem ducem, nouo iuuentutis facto, proficiſci iubent. Senatoribus mandant: ut priuatas ducum ſimultates omnino diſſoluant: cogantq; eas communi conſilio bellum gerere: acerbitatem temporum, & præſentis rei neceſſitudinem ante oculos ponant. Senatores congregatis ſimul ducibus, poſt multos varioſq; ſermones tandem Hannonem, atque Amılcarem ignoſcere ſibi inuicem, & parere Carthaginenſibus cogunt. Ita poſthac omnia com-

muni duorum ducum conſilio adminiſtrabantur. Quapropter bellum aduerſus Mathonem gerentes poſt multos caſus, quos & apud Leptem oppidum, & alijs in locis habuere: tandem ex compoſito decernere cum hoſtibus ſtatuerunt. Vtriq; ad hoc alacres ueniebant. Igitur ſocios omnis conuocant: copias undiq; contrahunt: præſidia etiam ex ipſis urbibus educunt, tanquam de omnibus rebus uno tempore dimicaturi. Poſtquam ex utraq; parte omnia ad pugnam inſtructa, parataq; erãt: ex compoſito ſe inuadunt. fit atrox prælium. ad extremum uictoria penès Carthaginenſes fuit. Hoſtium magna pars inter certandum cæſi. reliqui ad propinquam quandam urbem confugientes, non longe poſt ſeſe Carthaginenſibus dedidere. Vticenſes duntaxat, atq; Hipponenſes conſcij perpetrati à ſe ſceleris, neque ullum ueniæ aut miſericordiæ locum ſibi relictum putantes, in pertinacia permanſerunt. Vſqueadeo omnibus in rebus plurimum mediocritas poteſt: præſtatq; nihil ſponte uideri affectaſſe: quod cuiquam intolerabile futurum ſit. Ad extremum Amilcare, atq; Hãnone quamproxime eos caſtra mouentibus ſublata omni ſpe, dedere ſeſe, atq; ea paciſci, quæ Carthagnenſibus uiderentur, coacti fuere.

Per hunc modum finis africo bello impoſitus ita proſpero Carthagnenſium euentu: ut non ſolum omnem Africam recuperarint: uerum uniuerſos rebellionis principes meritis tandem ſupplicijs affecerint. Siquidem Matho, reliqq; captiui in triumphum à iuuentute carthagnenſi per urbem ducti dignas tandem ſceleribus ſuis pœnas luêre. Tribus ferè annis, & quatuor menſibus id bellum durauit, omnium, quæ nos audiuerimus, crude

litate ac omni ſcelerum genere maximum. Romani *ea tempeſtate ſuaſionibus militum, qui è* Sardinia *ad eos transfugerant, pellecti, nauigare in inſulam pergebant.* Cæterum Carthaginenſibus *id ægre ferentibus, quod ad ſe potius ſpectare inſulam dicebant: & iã copias, quas in* Sardiniam *mitterent, parantibus,* Romani *eam nacti occaſionem, bellum illis indixere: quærentes eum belli apparatum non tam contra* Sardiniam, *quàm contra ſe ipſos fieri.* At Carthaginenſes, *quod ſe per id tempus minime idoneos eſſe ad bellum denuo cum* Romanis *gerendum intelligebant: cedentes tempori uſqueadeo omnes belli cauſas auertere conati ſunt: ut nonmodo inſulam reliquerint: uerumetiam mille & ducenta talenta, ne ſe in præſentia bello infeſtarent:* Romanis *miſerint.* Hæc *igitur ita geſta fuere.*

POLYBII HISTORIARVM LIBER SECVNDVS, NICOLAO PEROTTO INTERPRETE.

ſ VPERIORI LIBRO EXpoſuimus: quando Romani compoſitis Italiæ rebus exterarum nationum res aggredi cœperunt: quomodo in Siciliam nauigarunt: quas ob cauſas pro hac inſula bellum cum Carthaginenſibus geſſerunt: quo primum tempore nauales copias pararunt: & breuiter quæcunq; in hoc bello utriq; ciuitati uſq; ad finem accidêre. in quo Carthaginenſes quidem prorſus Sicilia exceſſerunt: Romani uero omnem inſulam præter ea loca, quæ Hieró Syracuſanorum rex tenebat: imperio ſuo adiecere. Hinc à nobis commemoratum: quo pacto orta inter Carthaginenſes, & conductos eorum milites ſeditione bellum exarſit: quod africanum nominatur: & quò tandem inaudita hominum crudelitas euaſit: poſtremo quem finem eiuſmodi res habuere. Nunc uero quæ hæc ſecuta ſunt: ſummatim conabimur pſcribere: ſingula quæq;, quẽadmodum initio propoſuimus, attingentes. Poſtquã Carthaginẽſes Africæ res cõpoſuere: confeſtim Amilcarẽ cũ exercitu in Hiſpaniã mittunt. Hic cum omnibus copijs profectus Annibale filio comite, q tũ ferè nonũ ætatis ſuæ annũ agebat: ſuperatis colũnis Herculis magnã Hiſpaniæ

partem Carthaginenſibus recuperauit. In iis locis annos circiter IX commoratus, multis Hiſpaniæ ciuitatibus bello ſubactis, pleriſq; etiã pacta ſalute atq; impunitate bonorum, in fidem Carthaginenſium receptis, dignam tandem rebus à ſe geſtis mortem obiit. ſi quidem aduerſus atrociſſimos uiros, ac potentiſſimos populos bellum gerens, & maximis quibuſq; periculis, intrepide ſeſe, ac cum ſumma omnium admiratione ſubiiciens extremum uitæ diem morte confecit. Carthaginenſes exercitui Aſdrubalem Amilcaris ſocium præfecerunt. Romani per id tempus in Illyrium, atq; eas Europæ partes cum exercitu transfretarunt. quæ res diligenter animaduertenda eſt ab iis: qui uere & propoſitum noſtrum, & originem atq; incrementum romanæ potentiæ intelligere ſtudent. Eiuſmodi igitur transfretatio ob tales quaſdam cauſas facta eſt. Agron Illyriorum rex Pleurati filius fuit. hic equeſtres, pedeſtresq; copias longe plures habuit, quàm quiſpiam cæterorum regum: qui ante eum Illyrio regnauerant. Atqui mercede à Demetrio Philippi patre corruptus, Medioniis, qui ab Aetoliis obſidebantur: ſubſidium tulit. Aetoli enim cum nullo pacto perſuadere Midioniis potuiſſent ut ſuis inſtitutis, ac legibus uterentur: tandem uiribus aggredi eos cœperunt: poſitisq; circa urbem diuerſis in locis caſtris, eam obſedêre, omnem uim atq; machinam adhibẽtes, quo urbe potirentur. Cæterum cum interea comitiorum dies aduenisſet: eſſetq; dux alter exercitui præficiendus, obſeſſorum rebus adeo iam extenuatis, ut nihil aliud, quàm deditione cogitare uiderentur: Aſdrubal Aetolos adit: atq; æquum, inquit, eſſe, ſeſe, qui tot labores periculaq;

res periculaq;

res periculáq; in ea obſidione perpeſſus fuerat: fortunis quoq; hoſtium, ſi uincerentur, atque armis potiri. Fuere ea tempeſtate complures, ex ijs præſertim, ad quos peruenturus eiuſmodi magiſtratus uidebatur: qui eam conditionem moleſte ferentes, multitudinem rogarunt: ne quid noui decernerent: ſed rem omnem integram ei, quem fortuna uellet, reſeruarent. Tandem ab Aetolis decretum: ut quicunq; urbis potiretur: prædam omnem, fortunas, atq; arma cum Aſdrubale diuideret. Cum hæc ita ſe haberent: eſſetq; poſtridie comitiorum dies: quo pro conſuetudine Aetolorum prior dux à magiſtratu remouendus, nouuſq; creandus erat: per noctem circiter centum lembi Midioniam, ad loca urbi uicina nauigarunt. in his erant Illyriorum decem millia. Vbi ad portum uentum eſt: ac iam diluceſcere dies cœpit: clàm maturato greſſu in terram deſcendunt: & more ſolito aduerſus Aetolorum copias cohortes agunt. Aetoli aduentu eorum cognito, etſi nouitas rei, atq; audacia Illyriorum, omnium ſimul corda, menteſq; perſtrinxerat: animis tamen iam longo tempore elati, & proprijs confiſi uiribus, maiorem equitum, atq; armatorum partem ante caſtra in plano collocant: cum alia quadam equitum atq; expeditorum militum parte loca quædam peropportuna non longe à caſtris præoccupant. Illyrij impetu repente in expeditos facto, tum ob multitudinem militum, tum quod agmen in medio denſiſſimum erat: ſine mora eos expulere: equites uero, qui unà erãt: recipere ſeſe ad reliquum exercitum turpi fuga coegerunt. hinc ex opportunis locis in eos, qui conſtituti in planitie fuerant: citato agmine irruentes è ueſtigio o-

mnes in fugam uertunt. Midionij ex urbe profecti eos inſequuntur. Aetolorum magnam partem cædunt: alios capiunt: armorum, atq; impedimentorum omnium ſine controuerſia potiuntur. Illyrij peracto regis imperio, impedimentisq́;, atq; omni præda nauibus impoſitis, ſolutis lembis è ueſtigio domum redeunt. Midionij recuperata præter ſpem ſalute, aduocatoq́; concilio, cum de alijs rebus inter ſe conſultant: tū in primis de diuiſione prædæ, armorumq́; hoſtilium: fortuna quaſi de induſtria uim ſuam ex ijs, quæ illis acciderant: cæteris quoq; hominibus oſtendente. nam quæ propediem paſſuros ſeſe ab hoſtibus uerebantur: eadem ipſi iubente fortuna intra paucorum dierum ſpatiū hoſtibus intulerunt. Aetoli uero eò calamitatis redacti omnibus documento extitere: nunquam futuris rebus ueluti iam factis confidendum eſſe: neq; ſpem in ijs collocandam: quæ euenire aliter poſſunt: ſed continue partem aliquam ijs, quæ præter ſpem accidere ualent: reſeruandam, cum omnibus in rebus (quando quidem homines ſumus) tum uel maxime in bellicis. Agron rex, poſtq̃ lembi uictores affuere, cognitis ſuorū rebus geſtis incredibili lætitia elatus, ꝙ Aetolos tantopere uiribus ſuis confidentes à ſuis uictos intelligebat: intempeſtiuis conuiuijs, & ꝑpotandi peruigilandiq́; inſanæ dulcedini deditus, in ægritudinem incidit: qua paucos poſt dies conſumptus diem ſuū obijt. Extincto Agrone in locum eius Teucam uxorem ſuffecere. hæc regnum per fidem amicorum adminiſtrabat. Atq; muliebri uſa ingenio, & ad illam duntaxat proſperitatem reſpiciens, nihil autem exterarum rerum cogitans, primum omnibus ſuis conceſſit: ut, qui priuatim naui-

gare uellent: deprædari quoſcunq; impune poſſent. poſt hæc parata ingenti claſſe, eam emiſit, oppoſitam omnem prouinciam ſibi inimicam eſſe ducibus aſſerens. hi primo impetu Elienſes, Meſſeniosq; inuadunt. quippe eas frequenter regiones Illyrij populabantur. nam & propter longitudinem maris, et q̄ mediterraneæ erant præcipue earum regionum ciuitates: non facile obuiare Illyriorum incurſionibus poterat. intrepidi per omnem prouinciam diſcurrebant: uaſtabant, diripiebantq; omnia.

Per idem tempus cum forte in Epyrū proficiſcerentur exportandi commeatus gratia: phœnicem uenêre. Erant tum in ea urbe Galli milites circiter octingenti: qui mercede ab Epyrotis conducti urbem tutabantur. cū his habito ſermone de proditione ciuitatis, haud reluctantibus Gallis in terrā deſcendunt: ſtatimq; et urbe, et omnibus, quæ intus erant, Gallis iuuantibus potiuntur. Epyrotæ ea re cognita, extemplo cum omni populo ſuppetias ferunt: et non longe ab urbe iuxta, propinqui fluminis ripas caſtrametantur: tabulas, ut ab ijs, qui in urbe erant, tuti forent: è ponte dirimunt. Interea cum eis nūtiaretur: Scerdilaidū cum quinq; millibus Illyriorum pedeſtri itinere per anguſta Antigoniæ loca aduētare: exercitum diuidunt. partem in Antigoniam ſeruatum ea loca tranſmittunt: reliqui ibidē ſecuri permanent: perinde, ac ſi nullū ab hoſtibus periculū metuerent. Illyrij, quos eſſe in ciuitate diximus: cognita et diuiſione exercitus, et negligentia hoſtiū, intempeſta nocte urbē exeūt: pōti tabulas imponūt: flumē traijciunt: & munitū natura locū nacti, reliquū noctis quieti pagunt. Vix dies aduenerat: cum inſtructis utrinq; aciebus prælium collatis

uiribus capeſſunt. Victoria penes Illyrios fuit. Hoſtium paucos fuga ſeruauit: cæteri aut occiſi, aut capti. His tot tantisq; obſeſſi calamitatibus Epyrotæ, deſperata prorſus ſalute, legatos ad Aetolos, atq; Achæos mittunt: ab ijs opem precantur. Illi miſerati eorum iacturam, præſidiumq; afferre cupientes, Helicranum proficiſcuntur. Illyrij quoq;, quos Phœnicem cœpiſſe ſupra memorauimus: cum Scerdilaido coniuncti ad eundem locum uenêre. nec longe ab illis caſtrametati capeſſere prælium ſtudebant: ſed difficultas locorum id prohibebat. & allatæ interim à regina literæ: quibus amputari moras, & reuerti ad ſe omnes iubebat: quod nonnullæ Illyriorum ciuitates ad Dardanos defeciſſent. Quamobrem depopulati omnem prouinciam, inducias Epyrotis conceſſere. in quibus libera quidem corpora, & ciuitatem eis reliquerunt: multitudinem uero ſeruorum, & reliquam omnem prædam adduxerunt ad naues. Ita pars mari, alij terreſtri itinere per anguſtias Antigoniæ domum reuerſi, non paruum terrorem maritimis Græcæ ciuitatibus reliquerunt. nam cum munitiſſimam, potentiſſimamq; Epyrotarum urbem præter fidem atq; expectationem omnium deprædatam cernerent: non iam agris, ut antea, ſed ſibi ipſis, ſuiſq; ciuitatibus timebant. Epyrotæ rebus ſuis præter ſpem compoſitis, tantum abfuit ut uel eos ulciſci conarentur: à quibus iniuriam acceperant: uel ijs referre gratiam, qui ſibi opitulati fuerant: ut ſtatim miſſis ad Teucam legatis ſocietatem cum Acarnanibus, atq; Illyriis inierint. Quapropter Illyrios deinceps ſecuti Achæis, atq; Aetolis hoſtes fuere, non ſolum ingrati erga

beneficos, uerumetiam imprudentiſſimi rerum ſuarum ab initio conſutores. nam quod pleriq; interdũ, cum homines ſint, ex inſperato in grauiſſimas clades incidunt: non tam eorum, qui patiuntur, q̃ fortunæ, & eorũ, qui agunt, culpa euenit: quod uero ſponte ſeſe, & per imprudentiã nonnulli calamitatibus obijciũt: apertus eorũ, qui patiũtur, error eſt. Ideo ſi quos in grauiorẽ aliquẽ caſum fortunæ ſæuitia deductos intelligimus: nó ſolum miſericordia proſequimur, ſed quantũ in nobis ẽ, ueniam, opemq; præſtamus. quos uero per imprudentiã, aut peruerſitatẽ ſuorum ſibi malorũ authores cognoſcimus extitiſſe: reprehendimus: culpamus: atq; odio habemus. quod merito Epyrotis ea tempeſtate à cæteris Græcis accidere debuiſſet. nã quis adeo rerum expers: qui non ueritus communẽ apud omnes de leuitate atq; inconſtantia Gallorũ famam, urbem nobiliſſimã, & in qua totius rei ſumma conſtituta erat: fidei eorũ credere auſus foret? & præſertim eorũ Gallorũ: q primo proprijs laribus expulſi à ſuis fuerant: q infidi fuiſſent erga cognatos, atq; affines: hinc à Carthaginenſibus recepti: q bello à Romanis infeſtarẽtur? Primo audita defectione conductorum militum, qui ſibi deberi ſtipẽdia dicebãt: deprædari Agrigentũ urbem fidei eorum cómiſſam cœperunt, numero circiter mille hominũ exiſtentes. dehinc rurſus in Erycinã urbem à Carthaginenſibus præſidij gratia inducti, obſidentibus eã Romanis de prodenda hoſtibus ciuitate conſiliũ cœperunt. quod cũ eis non ſucceſſiſſet: ad Romanos transfugere. à qbus in fidẽ recepti, rurſus Erycinæ Veneris tẽplũ depopulati ſunt. Romani ſcelere, ac pfidia barbarorũ cognita, cum primũ pacẽ

ficati cum Carthaginenſibus fuere:inermes nauibus im poſitos omni Italia expulerunt. Hos Epyrotæ legum, et reip. ſuæ cuſtodes fecere:eorum fidei pulcherrimam ac feliciſſimam ciuitatem credidere. quis igitur eos non re prehendat? ac omnium ſuorum malorum cauſam ipſos ſibi ipſis fuiſſe aſſeueret? Magna quippe ſtultitia eſt: ta le præſidium præſertim barbarorum hominum in ur bem inducere: quod aut uiribus, aut multitudine magis, quàm ciues polleat. Sed hæc de Epyrotarum impru- dentia ſatis. Illyrij, & anteactis temporibus ſæpe ex Italia nauigantes infeſtarant: et ex Phœnice, cum eam nuper urbem colerent: pleriq; interdum à claſſe diuiſi italici generis mercatores deprædati erãt. Id ante eum diem Romanis ſæpe ad eos relatum contempſerãt. tunc uero cum plures ſimul de iniuria Illyriorum quæſtum ad ſenatum ueniſſent: legatos in Illyriũ Caium, et Lu- cium Coruncanos misêre. Teuca, cum lembi è Phœ nice incolumes reuertiſſent: ſpeciem ac magnitudinem prædæ admirata (ſiquidem ea urbs inter omnes Epy- ri ciuitates feliciſſima erat) auxit contra Græcos ani- mum: ac longe magis belligerandi ſtudio exarſit. ſed nequid tum noui tentaret: domeſticæ ſeditiones impedie bant. Cæterum compoſitis in Illyrio rebus, cum Iſ- ſam obſideret: quæ ſola ciuitas uſq; in eum diem in per tinacia durauerat: legati Romanorum ad eam uenêre. quibus dato dicendi, quæ uellent, à regina tempore, de iniurijs ſibi illatis differebant. regina ſuperbe nimium, atq; inſolenter eos audiebat. cumq; illi dicendi finem fe ciſſent: effecturam inquit ſeſe: nequa ab Illyrijs iniu- ria publice Romanis hminibus inferretur. prohibere

uero Illyrijs ne priuatim è mari quam quiſq; poſſit uti litatem capiat, haud eſſe regibus conſuetum. Ad ea reginæ uerba qui inter duos legatos iunior erat, intrepide quidam magnanimum reſponſum, ſed non ſatis pro tempore reſpondit. At quoniã, inquit, Romanis o Teuca optimus mos eſt: priuatas iniurias publice ulciſcendi, iuuandiq; iniuria affectos: dabimus operam dijs uolentibus: ut non longe poſt regias iſtas conſuetudines cogaris emendare. Ad hæc regina temere ſanè, ac muliebri ingenio eò iracundiæ prorupit: ut neglecto iure gentium, cum legati reuerterentur, miſerit poſt eos, qui iuniorem illum authorem eiuſmodi uerborum obtruncarent. Romani, fama tanti facinoris in urbem perlata, extemplo ad belli apparatum intenti eſſe. milites ſcribere: claſſem ædificare: nihil deniq; prætermittere, quod ad ultionem tanti ſceleris pertineret. At regina adueniente uere longe plures, q̃ antea, lembos in Græciam mittit. eorum pars Corcyram nauigant. alij Dyrrachienſium portum petunt: & dum ſe aquæ, & commeatus gratia eò proficiſci ſimulãt: conſilium capiendæ urbis ineunt. Dyrrachiẽſes ſecuri, & nihil prorſus ſuſpicantes, intrare urbẽ inermes pmittunt, aquæ et cõmeatus gratia uenire eos rati. At illi, ubi ſeſe intra urbẽ admiſſos cernũt: nudatis, quos in aquarijs urceis abſcõditos geſtauerãt, gladijs, cuſtodes portæ obtrũcãt: porta potiũtur. hinc ex cõpoſito irruẽtibus à littore reliqs magnã mœniorũ partẽ occupãt. Ciues, etſi tali, ac tã repẽtino caſu nonnihil pterriti fuere: acriter tñ, ac forti aĩo propugnãtes diu reſtiterũt: tandẽq; Illyrij excedere mœnibus coacti. Itaq; ui p negligentiã in piculo fuerãt et urbẽ, et patrios lares amit

tendi: per fortitudinẽ nihil mali perpeſſi, prudentius in poſterũ rebus ſuis cõſuluere. Duces Illyriorũ ſolutis extemplo nauibus in altum profecti, & cum ijs, quos nauigare Corcyram diximus, coniuncti, omnes ſimul maturato itinere obſidere urbem aggrediuntur. Corcyrenſes inſperato malo circunuenti, nec ſuis freti uiribus, legatos ad Achæos, atq; Aetolos mittunt: præterea ex Apollonia, & Dyrachio petunt ſubſidium: rogantq;: ne expelli ſeſe per ſcelus natali ſolo à barbaris patiantur. Ii caſum Corcyrenſium miſerati, decem Achæorum catafractas naues muniunt: ac paucis interiectis diebus Corcyram nauigant, ſperantes ſeſe primo aduentu obſidionem barbarorum ſoluturos. At Illyrij ſeptem Catafractis nauibus ab Acarnanibus, cum quibus ſocietatem inierant, acceptis, Achæis obuiam procedunt: nec longe ab inſulis, quas Paxos appellant, eos nacti, ineunt prælium. Acarnanes, & naues Achæorum, quæ aduerſus eos pugnabant: æquales erant in certamine: atq; integræ in congreſſibus permanebant: præterquam ꝙ uiri ex ipſis pugnantes uulnerebantur. Illyrij uero quaternis ſimul lembis connexis naues hoſtium implicabant: & undiq; circundatas impediebant: Hinc in eas cum impetu proſilientes facile ob multitudinem ſuperabant. Per hunc medum quatuor Achæorum quadriremes ab Illyrijs captæ: quinqueremis una ſubmerſa cum omnibus, q intentus erant: inter quos fuit Marcus Caryneus, uir maxime apud Achæos authoritatis: & quandiu uixit, omni officio erga patriam functus. Verum qui contra Acarnânes pugnabant: ſimulac Illyriorum uictoriam proſpexere: freti celeritate nauium, uer

terunt terga: & omiſſo prælio, domum incolumes remi grarunt. Illyriorum multitudo hac uictoria elata facilius, atq; audacius ſolito urbem obſidebat. Corcyrenſes iam omni ſpe deſtituti, tolerata aliquandiu obſidione, ad extremum Illyrijs ſeſe dederunt: præſidiumq; eorum, & ducem præſidij Demetrium Pharium intra urbem accepere. His rebus geſtis Illyriorum duces iterato Dyrrachium reuerſi, urbem obſedere. Per idem tempus cõſules Romani C. Fuluius cum claſſe ducentarum nauium & A. Poſthumius cum terreſtribus copijs Roma profecti. Fuluius Corcyram uenit, ratus adhuc durare eius loci obſidionem. ſed cum ſero ueniſſe ſe intelligeret, Illyrijs iã urbẽ adeptis: nihilominus nauigare in inſulã ſtatuit, tum intelligendi gratia quid actum foret: cũ ut ea, quæ de Demetrio ſenſerat, experiretur. Quippe Demetrius, quoniam exhibitum ſibi ab æmulis apud reginam negotium intellexerat: mulieris iram ueritus miſerat Romam, qui & urbem, & cætera, quorum dominus erat: Romanis pollicerentur. Corcyrenſes igitur aduentu Romanorũ hilares facti, cõſentiente Demetrio, & præſidium Illyriorum, quod intus erat, tradidere Romanis: & urbem, ac poſtremo ſe ipſos fidei eorum commiſere: ita demum ſe tutos fore contra ſcelera Illyriorum rati. Romani Corcyrenſibus in amicitiam receptis, Demetrio duce itineris uſi in Apolloniã nauigãt.

Eodem tempore A. quoq; Poſthumius terreſtres copias Brunduſio trãsfretabat. erant circiter uiginti millia peditum: eqtum duo millia. His ſimul omnes Apolloniam uenere: ſtatimque urbe in fidem recepta, Dyrachium nauigarunt: ꝗ obſideri ab Illyrijs urbem intellexerãt.

Illyrij aduentu Romanorum cognito, præ timore ſoluta obſidione paſſim fugiunt. Romani Dyrrachio quoq; in amicitiam recepta ad loca magis intra Illyrium nauigant: multis in itinere receptis oppidis. Interea legati è Parthenia obuiam Romanis ueniunt, ſeſe, & ciuitatem ſuam dedentes. quibus unà cum ijs, qui ab Atintanis mittebantur: in fidem receptis, iter uerſus Iſſum faciunt: quod eam quoque urbem audiuerant ab Illyrijs obſideri. Qua, ſimili modo diſſoluta mox obſidione, potiti, pleraq; in Illyrio oppida per uim expugnauere. in quibus non ſolum pleroſq; milites, uerumetiam tribunos militum aliquos, & quæſtorem amiſerunt. uiginti quoq; Illyriorum lembis potiti: qui commeatum uehebãt in caſtra. Ex ijs, qui Iſſam obſidebant: nonnulli, qui ex Pharo erant: Demetrij gratia ſalui permanſere: cæteri omnes profligati Narbonem fugerunt. Teuca perquam paucis comitantibus Rhizonem ſe recepit, oppidum ſanè munitiſſimum, & procul à mari in ipſa Rhizonis fluminis ripa ſitum. Poſthæc conſules pleriſq; Illyriorum ciuitatibus Demetrio traditis, cum claſſe, atq; omni pedeſtri exercitu Dyrachium reuerterunt. Hinc C. Fuluius cum magna naualium ac pedeſtrium copiarum parte Romam nauigat. Poſthumus uero Dyrrachij cõmoratus, paratis quadraginta nauibus, & nouo delectu ex finitimis ciuitatibus habito, ſtatiua faciebat: Ardienſes, cæteroſq;, qui ſe fidei Romanorum tradiderant: ſecum habens. Adueniente uere, Teuca legatos ad populum Romanum miſit: qui de fœdere agerent. tandemq; his conditionibus initum fœdus fuit. Vt Teuca quotannis tributum Romanis ſolueret: ut omni Illyrio

excederet: pauciſſimis quibuſdam locis exceptis: &, quod maxime ad Græcos attinebat: ut nauigare ei deinceps ultra Lyſſum non liceret, niſi cum duobus lembis, atque iis inermibus. His peractis Poſthumus ad Achæos, atque Aetolos legatos mittit: qui cauſam belli, & transfretationis Romanorum edoceant: res geſtas referant: conditiones legant initi inter eos fœderis. Hi peracto conſulis imperio, ab utroque populo humaniſſime recepti rurſus Corcyram redierunt: magno metu liberatis Græciæ ciuitatibus ob fœdus cũ Illyriis percuſſum. quippe ea tempeſtate Illyrii non aliquorum, ſed communes omnium hoſtes erant. Prima igitur Romanorum cum exercitu transfretatio in Illyrium, atque eas Europæ partes hæc, & ob huiuſmodi cauſas fuit. Poſt id Romani legatos Corinthum quoque, atque Athenas misêre: quo tempore Corinthii eius belli, quod aduerſus iſthmos gerebant: participem eſſe populum romanum uoluerunt. Aſdrubal ea tempeſtate (nam hic res hiſpanas ſupra dimiſimus) incredibili uirtute imperium Carthaginenſium in Hiſpania adauxerat. urbem condiderat: quæ à quibuſdam Carthago, ab aliis Noua ciuitas appellatur, ob loci opportunitatem non ſolum ad res Hiſpaniæ, uerumetiam Africæ commodiſſimam. de cuius ſitu, &, quam præſtare utrique prouinciæ poteſt, utilitate aliâs opportuniorem nacti locum diſſeremus. Romani, cum intelligerent uires Carthaginenſium uſqueadeo in Hiſpania creuiſſe: ne eam quidem partem negligendam putauere. ſed ignauiã ſuam accuſantes, q̄ anteactis tẽporibus ꝑ ſocordiã quaſi dormiẽtes adoleri

in Hiſpania Carthaginenſium nomen permiſerant: re- cuperare quod omiſſum fuerat, decreuerunt. Verum mouere in præſentia aduerſus Carthaginenſes bellum non audebant, ueriti imminentem Romanæ urbi Gallorum multitudinem: quorum impetum in dies magis formidabant. Quamobrem componere primum cum Aſdrubale de rebus Hiſpaniæ, deinde aggredi Gallos, et utcunq; ceſſura res eſſet, ſubire periculum ſtatuerũt: haud dubij, ſe nõ ſolũ non dominari Italia, ſed ne tuto quidem patriam, aut proprios penates tenere poſſe, niſi domitis Gallis. Miſſis igitur ad Aſdrubalem in Hiſpaniã legatis, percuſſum cum Carthaginenſibus fœdus fuit. In quo inter cætera cautum: ne liceret Carthaginẽſibus Iberum fluuiũ cum armis trajcere: per reliquam Hiſpaniam impune progredi ualerent. His compoſitis, ex- templo bellum in Italia contra Gallos mouerunt. quod ſummatim exponere operæprecium duximus: quo præ- paratio ad reliquam hiſtoriam, quemadmodũ ab ini- tio propoſuimus: dilucidior fiat. repetemus autem paulo altius ab eo tempore, quo primum Galli obtinuerunt Italiam. quippe hanc hiſtoriam non ſolum iucundam, ac ſcitu & memoria dignã, uerumetiam neceſſariã puta- uimus ad intelligendum quibus poſtea uiris, aut quibus locis fretus Annibal imperiũ Romanorum auſus ſit inuadere. Primũ uero de prouincia dicemus: quis eius ſitus ſit: & quo modo ſe ad reliquã Italiã habebat. q̃ppe hoc pacto quæ ad rerum geſtarum cognitionem attinent, faci- lius poterunt intelligi: deſcriptis primo locorum, ac regionis proprietatibus. Omnis igitur Italia triangu- li figuram habet. Latus, quod Orientem ſpectat: Ionio

mari,& ſinu Adriatico terminatur: quod uero ad me-
ridianam regionem,atq; occaſum uergit: Siculo,& Tyr
rheno clauditur pelago. hæc latera inuicem copulata
apicem trianguli faciunt propoſitum Italiæ promonto-
rium: quod Cocynthum incolæ uocant:& meridianam
plagam ſpectans, Ionium ac Siculum diuidit mare.
Tertium latus,quod ad gelidiſſimum Septentrionis axē,
& mediterranea loca prætenditur: terminat continua-
tio Alpium: qua à Maſſilia,& locis ſupra Sardoum
pelagus ſitis incipientes,uſq; ad intimum Adriatici ma
ris ſinum continue extenduntur,exiguo quodam ſpacio
in medio relicto. Huic lateri,quod terminari Alpibus
diximus:& quaſi trianguli baſem intelligimus: à me
ridiana regione uerſus Septentrionem ſubiacent cam-
pi extrema totius Italiæ,omnis Europæ maximi atque
uberrimi. horum etiam forma triangularis eſt. apicem
trianguli facit Appennini, atq; Alpium copulatio non
longe à mari Sardoo ſupra Maſſiliam. Latus,quod Se-
ptentrionem ſpectat: quemadmodum ſupra diximus:
Alpes faciunt: quæ ad duo millia & ducenta ſtadia pro
tenduntur. Latus uero,quod ad meridiem uergit: perfi-
cit Appenninus. hic ad tria millia & L X ſtadia pro-
tenditur. Baſigi locum tenet littus ipſum maris Adria-
tici. eius magnitudo eſt à Sena urbe uſq; ad intimum
eiuſdem maris ſinum. hæc duorum millium & quin-
gentorum ſtadiorum ſpatio continetur. Ita omnis cam-
porum circuitus X millibus clauditur ſtadijs. De ferti
litate huius regionis haud facile dixerim. ita enim in
omnia frugum genera fœcunda eſt: ut ſæpenumero no-
ſtra ætate modius frumenti ſiculus non amplius quatuor

obolis uenum erit:ordei uero non amplius duobus: dolium uini tantũdem.milij præterea,& farris tanta copia eſt:ut opinionẽ hominum ſuperet.Quàm uero glandibus abũdet:quæ ex nemoribus eius regionis diuerſis in locis producũtur:uel id in primis teſtimonio eſt:quod, cum infinitam penè porcorum multitudinem italici generis homines alant et ad ſacrificia facienda,& ad priuatos uſus,& ad neceſſarium exercitibus apparatum: ijs omnibus abunde hæc regio alimenta ſubminiſtrat. Iam uero q̃ta particulariũ etiam rerum,quæ ad uictũ hominum ſpectant:in ea prouincia copia ſit:ex hoc licet intelligere:quod uiatores,cum in hoſpitia diuertunt: nunquam de rebus,quas ſint accepturi particulatim paciſcuntur:quod cæteris in locis fieri conſueuit:ſed quantum ſinguli quiq; homines ſoluere debeant,cum hoſpitibus conueniunt.hi uiatoribus honorifice acceptis,& omnibus ad uictum neceſſarijs abunde ſubminiſtratis, non amplius,quàm ſiliquam capiunt.hæc oboli tertia pars eſt.id pretium raro excedunt.Hominum uero tanta copia:ea proceritas,ac pulchritudo corporum: tantum in rebus bellicis robur:ut facilius ſit id ex eorum rebus geſtis,quàm ex cuiuſquam oratione intelligere.In Alpibus ab utroq; latere loca montuoſa habitant,ad eã partem,quæ uerſus Rhodanum,et Septentrionem ſpectat: Galli,q̃ Tranſalpini appellantur:ad eã uero,quæ campis imminet:Taurisci,Agones,& alia pleraq; barbarorũ genera:à q̃bus Tranſalpini non genere,ſed differentia loci differunt:ideo Tranſalpini dicti:q̃d trans montes colant.Sũma uero Alpiũ iuga tum propter locorum aſperitatem,tum q̃a altæ niues premunt terram gelu,

et perpetuo pene rigore conſtrictæ: tantum abeſt ut ab hominibus colantur: ut nullũ quidem ueſtigium extet humanum. Apenninum uero à principio ſupra Maſſiliã, ubi cum Alpibus coniungitur: Lygures colũt: præterea omne id latus, quod mare Tyrrhenum, & campos ſpectat: uerſus mare qdem uſq; ad Piſanã urbẽ, quæ prima Tyrrheniæ ciuitas ad occidentẽ uergit: uerſus mediterraneã uero regionem Arretiũ uſq;. Poſt Lygures Tyrrheni habitant: mox utrũq; Apẽnini latus Vmbri. Dehinc Apẽninus diſtans à mari Adriatico circiter quingenta ſtadia dimiſſis campis cõuerſus ad dexterã, et per mediã Italiã tranſiens protendit in Siculũ pelagus. Campi uero, qui ĩter Apẽninum, et Adriaticũ ſinũ medij ſunt: uſq; ad urbẽ Senã extendũtur. Padus fluuius, quẽ poetæ Eridanũ uocant: ortum habens in radicibus Alpiũ, ubi quaſi apicẽ trianguli eſſe ſupra memorauimus: in planitiem uerſus meridiẽ defluit: hinc ſeſe ad orientem flectens, duobus oſtijs prorumpit in Adriaticũ ſinum. aquarum multitudine præter cæteros Italiæ oẽs abundat. quippe oẽs aquæ, quæ ab Apennino, Alpibuſq; deſcendũt: in unũ coeũt Padi alueũ. Aeſtiuo, q̃ hyemali tẽpore maior fluit, ob liqueſcentiũ niuiũ multitudinẽ. Nauigatur à loco, quẽ incolæ Volanã appellant: uerſus Alpes circiter duo millia ſtadiorũ. Vbi primũ oritur: ſimplex eſt: mox in duos alueos diuiſus, binis in ſinum Adriaticũ oſtijs erumpit. Padoam, Volanamq; incolæ uocant: Volana portum efficit inter omnes maris Adriatici portus, tutiſſimum. Padum eius loci habitatores olim Bodencum uocauere. Multa præterea de hoc fluuio Græci ſcriptores referunt: utputa Phaetontem ex auriga patris præci-

pitem in eum decidiſſe: continuas Heliadum lachrymas: quas deinde arbor reſeruat: incolas loci ex eo die pullatis ueſtibus, quas in ſignum mœſtitiæ geſtare incœperant: aſſidue uſos: atq; alia plurima: quæ nos in præſentia omiſimus, ſuperuacua fore rati ad noſtri operis præparationem: poſthac cum ſe locus offeret: quantum res poſtulare uidebitur, referemus: præſertim cum Timæum conſtet ea, quæ ad hanc regionem attinent, ignoraſſe. Campos omnes, quos Apennino, atq; Adriatico mari terminari diximus: olim habitauere Tyrrheni: quo tempore Phlegræos etiam campos, qui circa Capuam, et Nolam ſunt: tenebant. Cum ijs ob uicinitatem loci frequenter Galli conuerſabantur. hi ſpecie ac fœcunditate regionis pellecti, exiguam quandam nacti occaſionem exercitum comparant: factoq; in Tyrrhenos impetu, finibus expellunt. campos deinceps ipſi tenent. Inter Padum, atq; Alpes habitant Laij: mox Lebitij: dehinc ingens Inſubrum natio: poſt non longe à ripa fluminis Cenomani. Loca uero mari Adriatico uicina antiquum ex Paphlagonia genus colit. hi Veneti appellati. neq; moribus, neq; ornatu corporis, ſed tantummodo lingua à Gallis differunt. Inter Apenninum rurſus, & Padum primo Anânes: poſt Boij: inde Egânes: poſtremo Senones: qui iuxta Adriaticum mare extremi omnium Gallorum incoluerunt. Præcipuæ igitur authoritatis populi ex Gallis, qui in Italia morabantur: hi ſunt. uillas habitabant nullis ſeptas mœnibus: apparatuum omnium prorſus expertes erant. in terra ſuper ſtrato gramine dormiebant. ueſcebantur carne. bellicas ſolummodo res, atq; agriculturam exercebant: &

ſimplicem

ſimplicem uitam uiuentes neq; ſcientijs, neq; alijs artibus operam dabant. diuitias ſuas in auro, & pecudibus habebant: q hæc ſola, cum ferret neceſſitas, quocunq; liberet, facile transferri poſſent. amicitijs comparandis maximum quiſq; ſtudium adhibebat. qppe is maxime pollens inter eos putabatur: qui factioſis abundaret. principio duntaxat eam regionem tenebant: poſtea pleroſq; ex uicinis audacia eorum deterritos ſibi aſciuere. Interiectis temporibus, cum bellum aduerſus populũ romanum gererent: ſuperatos prælio Romanos, ac turpiter in fugam conuerſos perſecuti, triduo poſt initam pugnam Roma, præter Capitolium, potiti ſunt. Sed Venetis per id tempus regionem eorum infeſtantibus retrocedere coacti, fœdere cum Romanis percuſſo, ac reſtituta urbi libertate, domum remigrarunt. Hinc inteſtinis inter ſe bellis uexari cœpere. nam qui Alpes incolebant, animaduertentes uires iſtorum in dies ſummopere augeri, plerunq; aduerſus eos mouebant. Interea Romani inſtauratis uiribus, res Latinorum compoſuere. Annus erat poſt captam urbem trigeſimus: cum Galli ingenti exercitu comparato Albam reuertuntur. Romani, q aduentus eorum repentinus fuit: et neq; exercitum cogere, neq; à ſocijs auxilia conuocare potuerunt: haudquaq̃ aduerſati Gallis fuere. Cæterũ poſt duodecimum annum cum iterum Galli eodem reuerterentur: è ueſtigio Romani aduentu eorum cognito, obuiam alacres cum exercitu proceſſere, nihil magis q̃ dari ſibi ab hoſtibus pugnandi copiam cupientes: qua de omni imperio uno tempore decerneretur. Galli audacia Romanorum perterriti, ſimul orta inter ſe ſeditione, per noctem terga

uertentes turpi fuga redierũt in patriam: atq; annos tredecam quieti permanſere. poſtea cum uires populi romani in dies quammaxime augeri cernerent: de pace agere cœperunt: qua impetrata, ad trigeſimum annum quieuere. Iam uero Tranſalpini iterato eos infeſtare. hi, ne utrinq; premerẽtur ueriti, per generis affinitatem precari: ne ſibi inimici eſſent: munera præterea opima offerre: ut bellum in populum romanum conuerterent, hortari: ſe omnibus uiribus eis affuturos oſtendere. Id ubi ꝑſuaſum illis intelligunt: omnes unanimi conſenſu aduerſus Romanos per Tyrrheniam profecti (quippe magnus Tyrrhenorum numerus apud eos morabatur) facta ingenti præda domum incolumes reuertuntur. hic orta inter eos pro diuiſione prædæ, ſeditio uſqueadeo proceſſit: ut non ſolum prædæ uerũ etiam imperij magnam partem perdiderint. quod frequenter accidere Gallis conſueuit, ob immoderatas eorum crapulas, atq; ebrietates. Quarto dehinc anno cum Samnitibus coniuncti denuo Romanos inuadunt: plurimos eorum cædunt. Non multis interiectis diebus eos iterato aggreſſi, iuxta Sentinatum regionem præliũ ineunt: plurimos obtruncant: reliquos ad ſuã quenq; domum fugere compellunt. Poſt decimũ annum comparato ingenti exercitu, in Hetruriã profecti, Arretiũ obſident. Romani Arretinis auxiliũ ferentes non longe ab urbis mœnibus dimicarunt. In qua pugna ſuperati Lucio conſule amiſſo M. Curium in eius locũ ſuffecere. Hic ſtatim legatos in Galliã ad redimendos captiuos mittit. qui cũ eo perueniſſent: uiolato iure gentiũ à Gallis interficiũtur. Quo ſcelere indignati acriter Romani, nouo delectu habito penetrare in Galliã ag

grediuntur. Sed parũ proceſſum erat: cum eis Senones oc currunt. Hos collatis ſignis è ueſtigio aggreſſi ſuperant. magnã partem interficiunt: ſiqui ſuperfuerant: ſedibus fugant: regione potiuntur. nouã ipſi in urbẽ coloniam in ducunt. eã ueteri nomine, ꝙ primo à Gallis habitata fuerat: Senam appellant. Eſt autem ea urbs, quemadmo dũ ſupra memorauimus, in littore Adriatici maris ſita: ubi campi Italiæ terminãtur. Boij, cũ Senones proprijs finibus fugatos à Romanis ĩtelligerẽt: ueriti ne ipſi quoq; idẽ paterentur, coacto exercitu, Tyrrhenisq; oĩbus in ſub ſidiũ uocatis, arma aduerſus Romanos mouent: nec mul tis interiectis diebus prælium ineunt. in quo Tyrrheno rũ magna pars cæſa: Boiorũ ad extremum ꝗ pauciſſimi fugêre. Nec tamen ob eam ſtragem cecidere animis. quin proximo anno iterũ aduocatis uiribus, collectaq; omni iuuentute, quæ ad uſum armorũ apta uidebatur: in Ro- manos exeunt. ubi adeo fuſi, profligatiq; fuere: ut penè ad internitionẽ delerentur. Quamobrẽ mitigatis parũ= per animis, fœdus cũ Romanis ꝑ legatos percutiũt. Erat, dũ hæc gerebantur, tertius annus poſt traiectionẽ Pyrrhi in Italiã: et quintus poſt eam cladẽ: quã Galli apud Del phos paſſi fuere. Ita ea tẽpeſtate fortuna quaſi peſtis quæ dam hoſtilis in Gallos immiſſa paſſim omnes perſeque batur. Verum enimuero ex ijs prælijs, quæ ſupra memo rauimus: duplicem utilitatem Romani cepere. nam & aſſuefacti dimicare cum Gallis, quorum nomine ni- hil apud eos tetrius, nihil horribilius eſſe conſueuerat: præſtantiſſimi aduerſus Pyrrhum certatores facti ſunt: & ita Gallorum audaciam paulatim contriuerunt: ut nõ longe poſt ſecuri, primo cum Pyrrho de Italia,

deinde cum Carthaginenſibus de imperio Siciliæ dimicauerint. Galli ſuperioribus prælijs uexati, quinq; et quadraginta annos qeuere: nō uiolata pace, quam cū Romanis habebant. Poſtq̄ uero ſenes, qui & conſpexerant ſæpe pericula: & uarias experti fuerant iacturas: naturæ conceſſerūt: inſurrexere iuuenes īgenio prauo, rudes, & præteritarum rerum omnino inexperti. Hi (ut fert natura hominum) confeſtim nouis rebus ſtudere cœperunt: & quocunq; res ferret, infeſti Romanis eſſe: à Tranſalpinis etiam auxilium aduocare. Verum id principio duces tantum inconſulta plebe peragebant. quo factum eſt, ut uenientibus Ariminum cum exercitu Trāſalpinis, multitudo Boiorum, quæ eiuſmodi rerum ignara erant, aduentum Tranſalpinorum uerita, cum ducibus ſuis in diſſenſionē uenerit: ætati, atq; Gallo, regibus interfectis, prælium cum Tranſalpinis commiſerint. Romani quoq; ea tempeſtate aduentu Tranſalpinorum deterriti, copias eduxerant. ſed cum primū Gallorū inter ſe conflictum audiuere: domū iter uerterunt. Quinto dehinc anno M. Lepido conſule, C. Flāminius legem ad ad populū tulit: ut ea regio Galliæ, quā Picenum uocāt: unde Senones fuerāt expulſi: militibus romanis diuideretur. quæ res cauſa extitit: ut nouū bellū ſtatim ſuſcitatū fuerit. nā pleriq; ex Gallis, ac præcipue Boij, q̄ proximi Romanis erāt: eā rē grauiſſime idignabātur: rati Romanos iā nō amplius de pricipatu, aut gloria, ſed de præda atq; interitu ſuo certaturos. Boios igitur, atq; Inſubres in ſententiā trahunt: cōmuniq; conſilio trans Alpes legatione miſſa Cōgolitanū, atq; Aneroeſtē Gallorū reges, itēq; alios eius prouinciæ circa Rhodanū habitantes populos,

ac præcipuæ Geſſatas, q ex eo, ꝙ mercede militare ſole ant, ita appellãtur: aggrediũtur. Hortantur: ut coacto ex ercitu in Italiam trãſeãt. in præſentia utilitatẽ belli, in poſterũ magnitudinem romanæ felicitatis illis oſtendũt. quæ ſint parata commoda, ſi uicerint: ante oculos po- nunt. ſimul dant illis fidem: ſe ſocios belli futuros. res geſtas maiorum ſuorum in memoriam reuocant. eos nõ ſolum prælio fudiſſe olim Romanos iactant: uerum etiam poſt prælium incredibili celeritate urbem Romã cœpiſſe. dehinc rebus omnibus, quarum ea urbs refertiſ ſima erat, potitos, cum in ea menſibus ſeptem imperaſ- ſent: ſponte reſtituto Romanis imperio, integris omnibus fortunis ſuis feliciter in patriam reuerſos. Hæc iactan- do monendoq;, ita reges ipſos, populosq; Galliæ ad bel lum incenderunt: ut neq; maior unquam exercitus, neq; ex ualidioribus pugnacioribusq; militibus, neq; omnia apparatu inſignior ex ijs Galliæ partibus deſcenderit.

Hæc ubi Romam delata fuere: tantus in urbe terror co ortus eſt: ut confeſtim nouos delectus facere cœperint: commeatum parare: interdum copias ad fines ſuos edu- cere: ueluti iam præſentibus Gallis: qui tamen nondum proprijs ſedibus exceſſerant. quæ res non parum Car- thaginenſibus profuere ad imperium in Hiſpania pro- pagandũ. Siquidẽ Romani hæc, quẽadmodũ ſupradixi- mus, magis neceſſaria putãtes, ꝙ hi populi eorũ ceruici bus imminerẽt: negligere res hiſpanas coacti ſunt: quoad res Italiæ cõponerẽtur. Itaq; renouato cũ Aſdrubale du ce Carthaginẽſiũ, quẽadmodũ ſupra memorauimus, fœ dere, totis iã animus in bellũ gallicũ uerſi, id unũ ꝓ id tẽ ꝑus maxime cogitabant: quo pacto aduerſus Gallorum

impetum reſiſtere poſſent. Galli coacto circa Rhodanũ exercitu, & cum ingenti multitudine hoĩum ſuperatis tandẽ Alpibus, in cãpos, q̃ ſunt circa Padũ, deſcenderũt. cum his confeſtim Inſubres, Boijq; magna multitudine coniunguntur. Veneti uero, & Cenomani legationibus Romanorũ deliniti amicitiã populi romãi ſocietati Gallorũ prætulerunt. Quãobrem reges ob ſuſpitionẽ eorũ partem copiarũ Inſubribus præſidij gratia relinquere coacti, ipſi cũ reliquo exercitu caſtra uerſus Hetruriam mouerunt, ducentes peditũ circiter quinquaginta millia, equitũ uero, ac bigarũ duo millia. Romani, cũ primum ſup̃atas à Gallis alpes cognouere: L. Aemyliũ conſulẽ cum exercitu Ariminũ miſerunt: ut illic oppoſitus hoſtibus, tranſitũ eorum prohiberet. unus uero prætorũ proficiſci in Hetruriã iuſſus: ꝙ alter cõſulũ C. Attilius principio conſulatus ſui in Sardiniã cum claſſe nauigarat. Ciuitas tota mœſta, atq; ſolicita erat: nec ſine ingenti metu tanti Gallorũ conatus expectabantur. ueniebat. in mẽtem uetuſtæ cladis: & quaſi fatalẽ Romanæ urbi gentẽ oẽs formidabant. Itaq; maximus iãpridẽ exercitus paratus erat: noui inſup̃ delectus quotidie habebãtur. admonuerant ſocios: ut inſtructi, paratiq; forẽt. præterea ut deſcriptiones oĩum copiarũ totius Italiæ ad ſenatum referrẽtur, mandauerant: oẽm ſimul multitudinẽ italici exercitus noſſe cupientes. frumenti inſup̃, telorumq;, ac cæterarũ rerũ bello neceſſariarũ tantum apparatũ fecerant: quantũ nemo ante noſtrã ætatem meminit. Nec ſanè cæteri Italiæ populi ſegniores. adeo enim aduẽtu Gallorũ perterrefacti omnes erant: ut non iam pro Romanis bella geri, neq; pro eorũ imperio certari, ſed pro

ſua ſinguli quiq; ſalute, pro ciuitate, pro patria exiſtima rent. propterea omnes Italiæ populi libenter Romanis in hoc bello paruerunt. Libet mihi hoc loco apparatum populi romani, & magnitudinem copiarum, quas ea tempeſtate habebat: commemorare: quo manifeſte omnes intelligant: quales, quantasq; res, quibus tunc uiribus aggredi Annibal fuerit auſus: & quibus copijs potentiæ Romanorum oppoſitus urbē Romam in tantum diſcrimen adduxerit. Primum igitur cum conſulibus quatuor legiones urbanæ in expeditionem exiuerant. harum ſingulis quinq; millia & ducenti pedites, equites uero trecenti inerant. habebant ēt ijdem conſules auxilia ſociorū. horum numerus erat triginta millia peditum, eqtum uero duo millia. Erāt præterea tumultus gallici cauſa hæ copiæ paratæ: à Tuſcis, atq; Sabinis peditū circiter ſeptuaginta millia, eqtum uero ad quatuor millia. hi ſtatim, ut Galli trāſire Apenninū nunciati ſunt: uerſus Hetruriā miſſi: atq; eis prætor urbanus præfectus eſt. Poſt hos Vmbri, & Sarſenates Apennini accolæ ad uiginti millia coacti. Veneti item, atq; Cenomani circiter uiginti millia. hi oēs in Apennino cōſiſtere iuſſi erant: ac in Boiorū agros, cum facultas daretur, irrūpere. Has aduerſus Gallos copias principio oppoſuerāt. Erant præterea in urbe Roma paratæ aliæ copiæ: quæ præſidiorū gratia tenebātur: et, ſi qd ſubitaneū accideret, iuſſa ſenatus expectabāt. Romanorū uiginti millia peditū, eqtes uero mille et qngenti: ſociorū aūt triginta millia peditū, eqtū duo millia. In tabulis uero relatæ erant copiæ Latinorū octuaginta millia peditū, eqtum quinq; millia: Sānitiū ſeptuaginta millia peditū, eqtum

ſeptem millia: Lapigum, ac Meſapiorum peditum quin quaginta, equitum uero ſexdecim millia: Lucanorũ peditum triginta, equitum tria millia: Marſorum autem, et Marrucinorum, ac Ferentanorum, & præterea Veſtinorũ peditũ uiginti, eqtum quatuor millia. Erant quoq; per id tẽpus in Sicilia, & circa Tarentũ legiones duæ præſidij gratia cóſtitutæ. harũ ſingulæ habebãt peditũ quatuor millia & ducentos, equites uero ducẽtos. Inſup Romanorũ, ac Cãpanorũ multitudo erat circiter ducẽta et quinquaginta millia peditũ, eqtũ uiginti tria millia. Ita omniũ copiarũ, quæ ſenatui, populoq; romano ſubiectæ erant: numerus fuit peditũ ſupra centũ et quinquaginta millia, eqtum uero circiter ſex millia. oium autem ſimul ex tota Italia armatorũ numerus ſepties centena millia peditũ, eqtũ ad ſeptuaginta millia. aduerſus quos Annibal uix uiginti millia hominũ habens in Italiam auſus eſt irrũpere. Sed de his aliâs latius. Galli tandem ſupato Apẽnini iugo, in Hetruriá deſcẽderũt, oía ferro, igniq; uaſtantes. cũq; iã circa urbẽ eſſent, ꝗ Cluſiũ appellant: diſtatq; ab urbe Roma non amplius triũ dierũ ſpacio: nũciatur eis: Romanorũ copias, quas præſidij gratia in Hetruria collocatas diximus: ſimul coueniſſe: ac ſe inſequi. Quo nũcio accepto Galli, è ueſtigio iter in Romanos tumultuoſius couerterũt. cũq; in conſpectu eſſet, iã occidente ſole: ſua utriq; caſtra muniuere. Obortis deinde tenebris Galli erectis de more ignibus eqtatum omnẽ in caſtris relinquũt, iubẽtes: ut cũ prima luce poſtꝗ hoſtibus cóſpicui fuerint: iter poſt eos arripant. ipſi occulta fuga cũ omni multitudine peditũ Feſulas uerſus iter faciunt, eo cóſilio: ut ſimul eqtes ſuos recipent: ſimul in-

ſequẽtes hoſtes circũuenirẽt. Romãi ſub prima luce Gal lorum eqtes tumultuoſius abire cõſpicati, fugam & trepidationẽ exiſtimantes, rapto poſt eos agmine incautius ferũtur. quos ſimulatq; nacti fuere: conuerſantibus undiq; ex cõpoſito Gallis, atrox initũ eſt certamen. Tandẽ Gallis numero atq; ferocia animi longe præſtãtibus, Romanorum circiter ſex millia in ea pugna cecidere: reliqua ois multitudo ſalutẽ pedibus quæſiuit. corũ magna pars recepit ſeſe in tumulũ, ſitu atq; natura loci munitũ. Hos principio Galli obſidere aggreſſi. ſed qm̃ & tranſactæ noctis uigilijs, & eius diei labore confecti erant: ad curanda duntaxat corpora uertuntur: relicto ibidem præſidio equorum: qui diligenter tumulum cuſtodirent, eo propoſito: ut, niſi poſtridie ſe ſponte dederent: totis uiribus eum locum expugnarẽt. Per idẽ tempus L. Aemylius conſul, quem Arimini cum exercitu fuiſſe memorauimus: cognito Gallorum in Hetruriam tranſitu, & quod uerſus urbem Romam cum exercitu properarent: præſidium ferre ſocijs maturat. cumq; iam ſuperatis Apennini ſaltibus non longe ab hoſtibus caſtra poſuiſſet: q ad tumulũ confugerant: cognito aduentu conſulis (id enim p nocturnos ignes intelligebatur) auctis confeſtim animis, quoſdã e ſuis inermes per propinquã ſyluã ad eum mittunt: ac omnẽ rei geſtæ ſeriẽ nuntiant. Cõſul in tanto ſociorũ periculo minime cunctandũ ratus, tribunis militũ mandat: ut cũ prima luce pedeſtres copias educere maturent: ipſe cũ equitatu præcedens iter uerſus tumulũ facit. Gallorũ quoq; duces ex nocturnis ignibus aduentũ conſulis coniectati, cõcionẽ aduocarunt: ut qd agendũ foret, cõmuni cõſilio decerneretur. Tũ rex Ane

roeſtes,ſtultum eſſe,inquit,antequam tantum prædæ abi gant,(incredibilis enim multitudo hominum,ingensq; omnium rerũ copia in Gallorũ poteſtatem deuenerat) tempus cum hoſtibus terere:& res iam à ſe acquiſitas in ambiguo ponere.proinde primo in patriam reuertendũ:relictisq; ibi ſarcinis,atq; impedimentis, Hetruriam denuo,ſi uideatur,repetendum:ut prælium aduerſus hoſtes expediti committant. Id conſilium Aneroeſtis cum omnibus placuiſſet:Galli ante lucem ſigna mouentes,onuſti omnis generis præda per littus inferi maris Galliam repetebant. L. Aemylius conſul ſuſceptis copijs,quæ in tumulum confugerant:Gallos cum exercitu perſequebatur . non enim pugnare ex compoſito cum tanta multitudine conducere rebus ſuis exiſtimabat:ſed commoditatem aliquam loci,aut temporis opportunitatem cenſebat expectandam: qua uel hoſtes terrere,uel abactam recipere prædã ualeret. Per idẽ tempus C. Attilius alter conſul,qui nuper ex Sardinia cum exercitu Piſas uenerat:expoſitis in terram copijs , contrario quàm Galli itinere per littus inferi maris Romam uerſus ductabat exercitum.Atqui iam Galli non longe aberant à Telamone Tuſciæ ciuitate : cum quidam ex eis,qui exercitum antecedebant, in Romanos ex improuiſo incidentes,captiq;,rem omnem conſuli expoſuerunt,non longe abeſſe Gallos nunciantes: Lucium uero Aemylium conſulem ponè ſequi.Quibus rebus auditis,C.Attilius partim nouitatem rei admiratus, partim adductus in ſpem uictoriæ, ꝙ obiecisse ſibi medios inter duos exercitus hoſtes fortuna uidebatur : legiones tribunis militum tradit,iubens:ut aduerſus hoſtes proce

dant quouſq; locorum opportunitas ſinat. ipſe interea imminentem uiæ collem conſpicatus ad rem gerendam peropportunum quò tendere iam Galli uidebantur: collectis equitibus, locum præoccupare conſtituit: & primum ſeſe periculo obijcere, ſperans per eum modum, ſi uictoria penès Romanos foret, ſummam totius rei ſibi attributum iri. Galli principio aduentum conſulis ignorantes, coniectatiq; ex his, quæ cernebant, L. Aemylium conſulem per noctem cum equitibus præceſſiſſe, quo loca bello opportuna præoccuparet: confeſtim equitatum omnem, ac partẽ expeditorum præmittunt ad eum collem occupandum. cum uero captum iã ab Attilio collem ex captiuis intellexiſſent: confeſtim pedites iubent præcedere: à fronte ſimul, atq; à tergo aciem ſtruunt: quod hos quidẽ poſt tergum inſequi uiderent: illos uero à fronte conſiſtere, & ex captiuis, & ex ijs, quæ in præſentia acciderãt: ſcirent. Qui cũ L. Aemylio erant: etſi aduenìſſe Piſas ex Sardinia copias dicebatur: nondũ tñ eam rẽ compertã habentes, tunc è certamine, quod in colle fiebat. planè cognouerunt. iã enim ꝙproxime hoſtes acceſſerant. Quãobrẽ ingenti lætitia profuſi eqtes Aemyliani ꝑ proximũ callem in ſubſidiũ eorũ, ꝗ pro colle pugnabãt: trãſiuere. Aemylius uero ipſe cũ legionibus ſolito ordine poſt Gallos iter maturabat. Galli, ubi ſe ab hoſtibus utrinq; circũuentos uidêre: contra Aemyliũ, ꝗ à tergo ſequebatur: Geſſatas, atq; Inſubres conſtituerũt: à frõte aũt aduerſus C. Attiliũ Taurinos, et ꝗ circa Padũ habitant, Boios: Carros, cæteráq; impedimenta unũ in locũ extra utrãq; aciẽ collocarunt: prædã uero omnẽ in proximũ tumulũ, relictis ꝗ eã cuſtodirent equitibus,

expoſuerũt. Ita cũ bifrontem aciẽ conſtituiſſent: accidit
eã nonmodo terribilem aſpectu, uerumetiam ad pugnã
dum efficaciſſimam eſſe. Boij quidam, atq; inſubres au=
ratis fulgebant ſagulis. Geſſatæ uero ob magnitudinem
animi, & incredibilem gloriæ cupiditatem, huiuſmodi
ornamentis abiectis, nudi tantũ cum armis ante omnes
ſtabant, rati per eum modum aptiores ſeſe, & magis
expeditos ad bellum fore. ſiquidẽ denſæ in ijs locis ſen
tes implicarent ueſtes: & armorũ uſum præpedirent.
Principio certamen in colle erat omnibus conſpicuum:
ſimul hinc atq; illinc cõcurſantibus eqtibus, et ſumma
uirtute ab utroq; agmine pugnantibus. Hoc in loco C.
Attilius conſul fortiſſime dimicans occiditur. Caput eius
ad Gallorũ reges delatum. Romanorũ equites haud ob
eam rẽ cecidere animis: ſed longe atrocius prælio incũ
bentes, tandẽ non ſolum collem tutati ſunt: uerũetiam
Gallorum eqtatum omnem fuderunt. Interea cum pe=
ditum inter ſe acies appropinquaſſent: præliũ commiſſũ
nonmodo præſentebus uiſu, uerũetiam cæteris auditu
horrendũ, mirabileq; futurũ. Primo enim cũ ex tribus
exercitibus pugna conſtaret: facile ſibi quiſq; perſuade-
re poteſt, non ſolũ aſpectum, uerumetiam uſum eius
prælij nouũ atq; horribilem aſpicientibus fuiſſe. deinde
quis nõ ambigat, uel in præſentiarũ, uel eo tempore, ſi
interfuit: utrũ Galli peiores partes in eo prælio habue-
rint: quod non ſolũ à fronte, uerumetiã à tergo ab ho
ſtibus premebãtur? an meliores? ſimul ꝙ cũ utroq; exer
citu pugnabant: ſimul ꝙ utraq; pars impetũ hoſtiũ ab al
tera propulſabat: ut ſeſe inuicẽ uno tempore utriq; pro
tegerent: &, quod præcipuũ eſt: à fronte qdem prærũ

pere, a tergo uero fugã ſperare minime poſſent. habẽt
enim hunc in primis bifrontes acies uſum: ꝙ nullã mili
tibus uertendi terga ſpẽ præbent. Atq; Romani ſimul in
ſpẽ uictoriæ ducebantur: ꝙ medios hoſtes quaſi de indu
ſtria ſibi oblatos cernebant: ſimul ordinẽ, ſtrepitũq; gal
lici exercitus formidabant. Terribilis erat claſſicorũ ſo
nitus: cum quibus omnis ſimul Gallorum multitudo tan-
tum clamorem ululatumq; attollebat: ut incredibilis uo
ciferatio audiretur: nec tubæ ſolum, militesq;, uerum-
etiam circunſtantia omnia loca uocem emittere uide-
rentur. Terribilis etiam præcedentium nudorum ho
minum aſpectus. magna enim ac nuda corpora, & bel-
lici quidam motus ſub clipeis, miraculo ſimul & for-
midini erant. his accedebat ſplendor, & pulchritudo or
namentorum. quippe tota acies torquibus aureis, & uir
gatis ſagulis fulgebat. quæ aſpicientes Romani, partim
obſtupebant: partim ſpe prædæ uehementius incende-
bantur. Tandem uero ſagittarijs, qui aciem romanam ex
more præcedebant: tela paſſim emittentibus, qui poſte
riores erant, armis tecti facile ſe tutabantur. qui uero
ante alios nudi pugnabant: re longe aliter, ꝙ̃ ſperarant,
procedente, maxime infeſtabantur. prægrandia enim,
ac nuda corpora ſcuto gallico protegere omnino nequi
bant. itaq; ſpicula intro adacta facile cohærebant. De-
niq; cum infeſtius ferirentur: & ſagittarios cum pro-
pter diſtantiam loci, tum propter multitudinem uolan-
tium undiq; telorum ulciſci nequirent: in deſperationem
adducti, & quaſi rabie furentes, alij in hoſtes temere ob
dolorem ruentes opprimebantur: alij pedem ad ſuos re-
ferentes fœdati ſanguine terrebant cæterorum animos:

atq; ordinem perturbabant. Per hunc modum iactantia Geſſatarum, qui anteſignani in prælio erant, domita, Iuſubres, & Boij, & Taurini prælium excepere. Neq; iam ſagittis eminus, ut ante, ſed quominus pilis, & gladijs certabatur. Hic uero, quantum nũquam aliâs, atrox prælium fiebat: nec quicquam erat in tantis exercitibus ſegne. Sed & ſcuta ad tutelam corporum, & enſes ad uſum bellorum longe impares erant. quippe Gallorum enſes graues, & obtuſa cuſpide, ſcuta uero debilia erant. Romani autem & ſcutis ad protegenda corpora ualidioribus utebantur: & gladijs breuioribus, ſed tamen acutis. Itaq; ſemper & in uniuerſo certamine, & ſingulorum congreſſibus Galli ſuperati paſſim cadebant. Stetit tamen immota eorum acies: donec equites romani è colle cum ingenti impetu deſcenderunt. Tunc denique turbati Galli paſſim proſternuntur. pedites quidem in iiſdem locis, in quibus conſtituti fuerant: cæde re: equites uero in fugam ſe uerterunt. Perierunt in eo prælio quadraginta millia Gallorum: decem millia dũtaxat, inter quos & Congolitanus rex fuit: uiui in poteſtatem Romanorum peruenere. Alter uero Gallorum rex Aneroeſtes, cum in propinquum locum paucis quibuſdam comitantibus fugiſſet: non longe poſt omnes ſibi mortem conſciuere. His rebus geſtis, L. Aemylius conſul ſpolia hoſtium Romam miſit: prædam uero ijs, quorum fuerat, reſtituit. ipſe cum omnibus copijs per Lyguriam in Boiorum agrum profectus, omnia uaſtat, populaturq;: & intra paucorum dierum ſpatium omni genere prædæ ditato exercitu, Romam cum copijs reuertitur. armis, torqui-

buſq; (id genus ornamenti eſt ex auro: quod Galli circa collum geſtare ſolent) Capitolium ornat: reliquam uero prædam, & captiuos omnes ante ſe in triumphum ducit. Per hunc modum tanti Galloru͂ conatus, quos non ſolum populus romanus, uerumetia͂ tota Italia formidarat, in irritum deuenere. Quibus rebus Romani in ſpem adducti expellendi omnino ex Italia Gallos, Q. Fuluium, & T. Manlium creatos nuper conſules in Galliam cum ingenti exercitu tranſmittunt. Hi ſimulac prouinciam ingreſſi fuere: Boios in ditionem populi Ro. uenire compulerunt. Deinde cum in reliquos Gallos graſſari cœpiſſent: multitudine imbrium, ac ſubinde peſtilentia impediti deſiſtere coacti ſunt. Poſt hos creati conſules P. Furius, & C. Flaminius rurſus in Galliam cum exercitu profecti, receptiſq; in amicitiam Ananibus, qui non longe à Maſſilia habitant: mox in Inſubrum agros legiones traduxere, non longe ab eo loco, quo Adua fluuius in Padum influit. Inſubres magna multitudine ad prohibendum hoſtem conuenerant. à quibus nonmodo in tra͂ſmittendo amne, uerumetiam in muniendis caſtris cum magna detrimenta Romani ſuſcepiſſent: ſtatim ex eo loco diſceſſerunt: profecti'que in Cenomanorum regionem, & illorum copiis (erant enim ſocij Romanorum) ad exercitum adiunctis, rurſus è ſuperiori loco, qui ad Alpes ſpectat: in Inſubrum agros deſcenderunt, totam regionem longe lateq; uaſtantes. Principes Inſubrum immutabile hoc Romanorum conſilium animaduertentes, tentare fortunam belli, & cum Romanis decer-

nere ſtatuerunt. Coacto itaq; exercitu, & ſignis aureis, quæ immobilia uocitant, è templo Mineruæ ſublatis, cæteriſq; neceſſarijs rebus paratis, aduerſus Romanos intrepide profecti, non longe ab illorum copijs caſtrametati ſunt, numero circiter quinquaginta millia hominum exiſtentes. Romani cum ſe numero longe inferiores eſſe perſpicerent: aduocare Gallorum, cum quibus ſocietate iuncti erant: auxilia cogitabant. Cæterum quoniã cũ eiuſdẽ generis hominibus dimicandũ illis eſſe intelligebant: periculoſum uidebatur eiuſmodi hominibus in eo diſcrimine, atq; ijs præſertim locis ſalutẽ ſuam committere. Ita ancipites conſilij tandẽ periculoſum conſiliũ capiũt. Caſtra erãt apud Aduã amnem: ubi et pons erat ad ulteriorem fluminis ripam. uocatos igitur ad ſe Cenomanos tranſire amnem iubent, Cum omnis multitudo tranſiſſet: pontem reſcindunt: uno tempore & illis facultatem coniungendi ſeſe cum hoſtibus auferentes: & ſuis unam duntaxat ſpem ſalutis in uictoria relinquentes. quæ cum feciſſent: copias in aciem educunt: poteſtatemq; pugnandi Inſubribus faciunt. Vicerunt id prælium Romani prouidentia tribunorum. hi enim, ꝙ ex ſuperioribus pugnis animaduerterant Gallorũ gentem primo impetu acerrime dimicare: mox uero labaſcere animis, atq; confringi: enſes præterea illorum, quemadmodum ſupra memorauimus, unam duntaxat plagam uehemẽtem habere: ſed eſſe ad crebriores ictus prorſus inutiles: cum ſtructæ iam acies eſſent: acceptas à triarijs haſtas anteſignanis tradidere: admonentes ut Gallorum impetum tamdiu diſtinerent: quoad primus ille ardor animi efferueſceret: tum dimiſſis haſtis, enſibus uterentur. Illi

tur. Illi

tur. Illi tribunorũ imperio parentes ex cõpoſito ĩ Gallos irruunt: pectoráq; eorum haſtis feriunt. Galli in præci dendis haſtis omnem impetum effudere. tum deniq; Romani abiectis haſtis, pedem pedi conferentes Gallorum conatum omnino inutilem fecere: quippe auferentes ijs ſpatium ex diſtantia pugnandi: quod proprium eius gẽtis eſt: propterea quod obtuſi ſunt gladij ipſorum: nec niſi ad demittendos ex diſtantia ictus propter longitudinem utiles. Ipſi uero breuioribus enſibus freti, nec cæſim, ut illi, ſed punctim ora pectoráq; Gallorum crebris ictibus ferientes, magnam partem hoſtium interfecere. Tantum in eo prælio ualuit prouidentia tribunorum. nam conſul haud ſanè prudẽter locum ad pugnam elegerat. quippe ſtructa acie iuxta ripam fluminis abſtulerat Romanis, quod proprium eſſe illorum uidetur: nihil loci eis relinquens ad referẽdos ex acie pedes. Quod ſi quid inter pugnandum tantillum retrocedere coẽgiſſet: incidere omnes in profluentem oportebat ob inſcitiam conſulis. præclaram tamen (ut diximus) uictoriã propria uirtute adepti fuere. & ingenti captiuorum multitudine, multiſq; Gallorum ſpolijs onuſti incolumẽ Romam exercitum reduxerunt. Proximo dehinc anno Galli tantis cladibus afflicti pacem à Romanis per legatos petiere, omnia illis pollicentes. At M. Claudius, & C. Cornelius conſules creati, ne id à ſenatu impetrarent, educere omni celeritate in prouinciam exercitum maturant. Quamobrem Galli deſperata pace, quaſi extremum periculum ſubituri iterato exercitum comparare. conductiſq; XXX millibus Geſſatarum, quos cis Rhenum habitare ſupra memorauimus: omnes in-

ſtructos paratosq; in armis habere: Romanorum aduentum præſtolari. Conſules igitur adueniente uere, copijs in Inſubres ductis, Acerras urbem, quæ eſt inter Padum, & Alpes: obſedere. Inſubres, etſi ferre auxilium obſeſſis nequibant: propterea q media loca fuerant à Romanis præoccupata: ad diſſoluendam tamen obſidionem toto animo intenti, partem copiarum trans Padum mittunt. hos obſidere Claſtidium oppidum ſociorum populi Ro. iubent: rati ea difficultate coactos conſules urbem obſidione ſoluturos. Id ſimulac conſulibus nunciatum fuit: M. Claudius cum equitatu, & parte expeditorum ferre obſeſſis auxilium properat. Galli poſtquam aduentum conſulis cognouerunt: ſoluta mox obſidione, aduerſus Romanos intrepidi fecerunt iter: ſtructaq; acie in conſpectu conſtitere. ſed principio quidem Galli, incidentibus ex improuiſo in ipſorum equites Romanis, meliores partes habuerunt. poſtea uero undiq; circunuenti ab equitibus romanis fuſi paſſim, profligatiq; fuere. multi in fluuium metu hoſtium præcipitati, uorticibus abſorpti periere. magna pars ab hoſtibus cæſa: reliqui uiui capti. At Galli, qui apud Acerras obſidebantur: ſimulac ſuperatos apud Claſtidium ſuos audiuere: fuga ſaluti ſuæ conſulentes, Mediolanum præcipuam Inſubrum ciuitatem petierunt. Cornelius urbe, quæ et frumento, & omni genere commeatus refertiſſima erat, potitus, Gallos perſequitur: nec longe à Mediolano exercitum duxit. Cum uero obuiam Galli non prodirent: mediolanenſem agrum populatus copias reducebat. Galli redeuntem inſecuti extremum laceſſere agmen cœpere: pleriſque Romanorum obtruncatis: nonnullis

& in fugam conuerſis:donec Cornelius cum legioni bus conuerſus omnes ad prælium cum hoſtibus capeſſendum cohortatus eſt.qui mandatum conſulis alacri animo audientes,in Gallos audaciſſime irruunt. Galli maximis nuper detrimentis affecti,haud diu reſiſtere: ſed reuocato extemplo gradu in proximas alpes aufugerunt. Hos perſecutus conſul, ſimul prouinciam omnem populatus eſt:ſimul Mediolanum profectus,urbem per uim in populi romani ditionem redegit. Quibus rebus geſtis duces Gallorum nullam amplius ſalutis ſpem ſibi relictam uidentes,ſeſe,resq; ſuas omnis in populi romani poteſtate poſuerunt. Hic tandem belli gallici finis fuit:quo nullum uſq; in hunc diem uel obſtinatione animorum,uel militum audacia,uel atrocitate præliorum,uel multitudine interfectorum,uel numero copiarum maius aut audiuimus,aut legimus: quanquam & conſilijs,& incœptis,& quotidianis deliberationibus prorſus inutile fuerit:propterea quod Galli ira potius atque impetu mouentur,quàm ratione. De quibus cum conſideraremus quàm breui tempore è natali ſolo expulſi à Romanis fuerint,paucis quibuſdam locis ſibi intra Alpes relictis:conſentaneũ exiſtimauimus,cum primos eorum conatus,tum omnem rerum ſucceſſum ac postremo ultimum interitum ipſorum breuiter commemorare:id maxime proprium hiſtoriæ exiſtimantes,huiuſmodi res caſusq; fortuitos poſteris tradere: nec forte noſtri homines eiuſcemodi rerũ ignari uanas,ac frequentes barbarorum infeſtationes facile pertimeſcant: ſed certi quàm leuiter,quamq; nullo negotio ea gens poſt primos ſtatim impetus,ſi quis eis obſtiterit,infringatur,& cor=

ruat: omnem potius fortunæ euentum experiri malint: quàm aliquid neceſſarium, ut Barbaris cedant, prætermittere. Equidē qui Perſarum aduerſus Græcos, Gallorumq; contra Delphos res geſtas ſcripſerant: plurimum profuiſſe arbitror ad certamina Græcorum pro communi patriæ libertate. Et certe nemo uel diuitijs alicuius, uel armis, uel multitudine hominum deterritus à patriæ & communis ſoli defenſione deſiſtet: ſi ſibi ante oculos ponet res ea tempeſtate geſtas: conſiderabitq; quot millia hoīum, quas uires, quātos apparatus uirtus Romanorum cum ingenio & ratione pugnantium ſuperarit: fregerit: profligauerit. Sed enim Gallorum terror non ſolum priſcis temporibus, uerum & noſtra ætate ſæpenumero Græcorum animos inuaſit. Quæ res me uel in primis animauit: ut eorum res geſtas ſummatim quidem, ſed tamen ab origine referrem. Verum ut aliquando eò reuertamur, unde diſceſſimus: Aſdrubal dux Carthaginenſium annos octo in Hiſpania commoratus, tandē per inſidias noctu à Gallo quodam priuatarum inimicitiarum cauſa domi occiditur: uir non modo bellicis artibus, uerum & eloquentia ad mouendos hominum animos adeo pollens potensq;: ut magnā imperio carthaginenſi acceſſionem fecerit. Copiæ, * quæ in Hiſpania erant: Annibali filio eius adhuc ſatis adoleſcenti ob egregiā iuuenis indolē, et incredibilē in ea ætate magnitudinē animi, tradūtur. Hic in ipſis ſtatim principijs hoſtem ſe populi romani futurū declarauit. qđ nō longe poſt accidit. Ex eo tempore uariæ inter Romanos, Carthaginenſesq; ſuſpitiones oriri cœptæ. Quippe Carthaginenſes, quod expulſi è Sicilia fuerant: ſe-

creto Romanis inſidias machinabantur. Romani uero è contrario conſilia eorum intelligentes, non ſatis Carthaginenſibus fidebant. quibus rebus facile intelligebatur: non poſt longum tempus bellum inter eos futurum. Per idē tempus Achæi, & Philippus Macedoniæ rex, cæteriq; eorum ſocij bellum aduerſus Aetolos gerebāt: quod ſociale appellatur. Nos igitur, cum bellum à Romanis contra Carthaginenſes in Sicilia atq; Africa geſtum, cæteraq;, quæ id bellum ſecuta ſunt, commemorauerimus: ac deinde ſecundum ordinem noſtræ præparationis uentum ſit ad principium ſocialis belli, & ſecundi belli carthaginenſis, quod Annibalis bellum appellant: atq; ex his temporibus nobis inſtitutum ſit noſtræ narrationis initium facere: conſentaneum eſt: ut iā ad res in Græcia geſtas ueniamus: quo per hunc modum ſimili undecunq; præparatione facta, cum ad eūdem rerum omnium exitum uentum fueritis: inſtitutam à nobis hiſtoriam inchoemus. cum enim non unius duntaxat, aut alterius gentis, quemadmodum cæteri ſcriptores fecere: utputa Græcorum, ſiue Perſarum, ſed omnium ſimul totius orbis partium, quæ in noſtram notitiam uenerunt, res geſtas ſcribere præpoſuerimus: non abſurdum erit: notiſſimarum gentium, locorumq; totius orbis breuiter ante initium noſtri operis meminiſſe. De his igitur, quæ in Aſia, atque Aegypto geſta ſunt: ſatis erit à noſtris inde temporibus referre: quod multi ante noſtram ætatem res geſtas eorum ſcripſere: ſuntq; ferè omnibus in promptu: nec quicquam ex eo tempore immutatum eſt: quod ſit à ſcriptorum commentarijs alienum. quæ uero Achæi, Mace-

cedoneſq; geſſere: breuiter nobis ab initio repetenda ſunt: ꝙ earum rerum (quemadmodum ſupra memorauimus) incredibilis mutatio fuerit noſtris temporibus, nam cum multi ante hæc tempora laboraſſent: ut Peloponnenſes in unam ad uoluntatem redigerent: neque id perficere potuiſſet: ꝙ omnes ſuo potius commodo, quàm libertati patriæ ſtuderent: tanta hac noſtra tempeſtate immutatio facta eſt: ut non ſolum amicitiam, ſocietatemque inter ſe inierint: ſed etiam iiſdem legibus uſi ſint, iiſdem ponderibus, iiſdem menſuris, iiſdem nummis, præterea iiſdem principibus, iiſdem conſultoribus, iiſdem iudicibus: ut nulla alia res Peloponneſo deeſſet quin omnis una ciuitas foret: niſi ꝙ non erant una mœnia habitantium: cætera omnia uel eadem, uel quamſimillima erant. Primum autem quomodo regnare inter Peloponnenſes cœperit Achæorum nomen, haud abſurdum erit oſtendere. Nã hanc qui appellationem ab initio ſortiti fuere: neque regione cæteris præſtant: neque urbium multitudine, neque diuitiis, neque uirtute. ſiquidem Arcades, atque Lacedæmonii multitudine uirorum, urbiumq; non parum cæteros antecellunt: uirtute ac rebus geſtis nemini Græcorum ſecundi. Quomodo igitur, aut quamobrem uel hi, quos modo memorauimus: uel cæteri Peloponnenſes pati æquo animo poſſunt: ſe non ſolum in rempublicam, uerumetiam in nomen Achæorum tranſmutatos? Ac fortuna quidem hoc factum eſſe, ſtultiſſimum eſſet aſſerere. Cauſa potius huius rei perquirenda eſt: ſine qua nihil nec eorum, quæ ratione fiunt: nec eorum, quæ præter rationem agi ui-

dentur: perfici poteſt. Eſt autem hæc, ut mea quidem fert opinio: æqualitas, & communis licentia, quæ inter omnes ſeruabatur: & quoddam quaſi exemplar ueræ reipu. quippe ſinceriora inſtituta in aliqua Græciæ ciuitate reperta nunquam fuere. Hæc cauſa pleroſque Peloponnenſes ſponte ſua æmulos, atque imitatores eius reipu. fecit: alios ad id rationibus, perſuaſionibusq; adduxit: nonnullos cum tempore paulatim coëgit: ita tamen: ut ſtatim poſtea animos eorum ſedaret. nam cum nemini quicquam ſupereſſe ab initio permiſiſſet: ſed omnia omnibus uoluiſſet æqualia fore: ſtatim ad eam amplitudinem Achæos perduxit: duabus rebus ad id efficaciſſimis uſa, æqualitate, atq; clementia. Hæc igitur primaria cauſa fuiſſe dicenda eſt: quæ Peloponnenſes unanimes inter ſe, atque concordes ad eam felicitatem, in qua modo ſunt, perduxit. Verum hic mos uiuendi, atque hæc ratio adminiſtrãdæ reip. longe ante hæc tempora apud Achæos fuit: quod infinitis penè teſtimonijs licet oſtendere. ſed in præſentia unum duntaxat, uel ad ſummum duo proferamus. Nam quo tempore in ea regione Italiæ, quæ tunc magna Græcia appellabatur: cœtus Pythagoreorum ob clandeſtinam coniurationem concrematus fuit: magna rerum publicarum mutatione facta, ut' pote principibus uniuſcuiuſque ciuitatis temere interfectis, accidit ea loca, eaſque urbes maximis cædibus, ſeditionibusq; uexari. Quocirca uariæ ad eos undecunque legationes componendarum rerum gratia confluxere. At illi cæteris poſthabitis, Achæorum duntaxat fidei res ſuas commiſerunt. quin etiã non multo

interiecto tempore, omnino inſtituta illorum imitari, atque eam remp. effingere decreuerunt. Siquidem Crodematæ, Sybaritæ, Caulonitæ compoſitis inter ſe unanimiter rebus, primo Omarij Iouis templum publicæ conſtituerunt: ubi & contiones fieri, & cum populo agi poſſet. præterea acceptis ab Achæis inſtitutis & legibus, ijs duntaxat uti, ſuamque rempu. componere uolebant. Sed à Dionyſio Syracuſarum tyranno, & uagantibus per id tempus circum ea loca Gallis, deſiſtere ab incœpto coacti. Præter hæc Lacedæmonijs ex inſperato apud Leuctras profligatis, Thebanis uero iam imperium Græcorum affectantibus, ingens per omnem Græciam tumultus, atque incredibilis perturbatio orta, præſertim apud hos ipſos Lacedæmonios, atque Thebanos: cum et illi ſuperatos ſe arbitrarētur: & hi nondum ſe uictoriam inſecutos exiſtimarent. Veruntamen uterque populus cōmuni conſilio ſolos ex omni Græcia Achæos delegere: quibus rerum omnium, quæ in ambiguo erāt: iudicium permitteret: non tam uires, aut potentiam eorum animaduertentes (erat quippe tunc ea regio cæteris omnibus Græciæ prouincijs minor) quàm fidem, atq; integritatem populorum: quæ ea tempeſtate apud omnes habebatur inſignis. Tunc igitur nuda apud eos uirtus erat: ſed res geſtæ nullæ: gloria dignæ forent. Itaque reſpu. eorum parum augebatur: ꝙ neminem uirtutibus ſuis dignum principem haberent: ſemper autem uel Lacedæmoniorum, uel Macedonum imperio obſcurarentur. at poſtquam interiectis temporibus dignos eorum principatu præfectos inuenere: clari è ueſtigio, atque illuſtres facti ſunt. perfecerunt

Crotoniatæ

H, quod optimum omnium erat: Peloponneſium inter ſe concordiam. cuius authorem, ac ducem fuiſſe nemo ambigit Aratum Sicyonium: qui uero rem cœptam confirmauit, atque perfecit: Philopœmenem Megalopolitanum: Tertium autem, qui eam auxit, amplificauitq́; Lycortam, & cæteros eius ſequaces. Quæ uero à ſingulis geſta fuerint: & quemadmodum, quo'ue tempore, hinc oſtendere conabimur: quantum pro materia licebit. Sed Arati quidem res geſtas & nunc, & rurſus poſt hac ſummatim referemus: q̃ ipſe in commentarijs ſuis omnia fuerit non minus uere, quàm aperte copioſe'q; complexus. De cæteris uero paulo diligentior, atque prolixior ſermo erit. Atqui & faciliorem nobis narrationem, & diſcentibus apertiorem hiſtoriam futuram arbitramur: ſi ab his temporibus repetemus: in quibus Achæorum populi, qui à principibus Macedoniæ per ciuitates diuiſi fuerant: rurſus in unum quaſi corpus coaluerunt: & ita aucta confeſtim ea gens fuit: ut ad hanc amplitudinem peruenerit; de qua hactenus particulatim diximus: & quæ durat uſque in præſentem diem. Olympias igitur erat centeſima uigeſimaquarta: cũ Patrẽſes, et Dymenſorina animis conuenere: tẽpore quo Ptolemæus Lagi filius, & Lyſimachus, et Seleucus, & Ptolemæus Ceraunus uitã obiere. omnes enim ſub hac olympiade diem functi ſunt. Superioribus itaque temporibus hic erat Achæorum ſtatus. Regnari apud eos cœptum: tempore quo Tiſamenes Horeſtis filius poſt deſcenſum Heraclidarum Lacedæmone expulſus loca, quæ ſunt circa Achæiam: occupauit. Ab hoc continue

per ſucceſſionem uſq; ad Sygi tempora reges habuere. Poſtea uero moleſte ferre regnum cœperunt: ꝙ filij Sygi iam non legitime, ſed per tyrannidem prouinciam gubernarent. Igitur rempu. à regibus ad populum tranſtulerunt. et reliquum quidem tempus uſq; ad Alexandri, Philippiq; ætatem uarie uarijs temporibus ſe geſſere. conati tamen, quantum in ſe fuit, rempub. publice adminiſtrare. Hæc autem ex duodecim ciuitatibus conſtabat: quæ noſtra quoq; ætate extant, præter Olenum, & Elicem: quas ſolidas ante certamen Leuctricum terræmotus abſorbuit. hæ ſunt. Patræ, Dymæ, Phare, Tritea, Leontia, Egira, Pellene, Bura, Ceraunia, Carynia. Poſt Alexandri uero ætatem, & ante eam olympiadẽ, de qua modo locuti ſumus: tanta inter eos maxime propter reges Macedoniæ diſſenſio orta eſt: ut diuiſæ inter ſe ciuitates id demum conducere ſibi arbitrarentur: ſi arma aduerſus ſe inuicem hoſtiliter ferrent. Quibus ex rebus accidit: alias Achæiæ ciuitates præſidium Demetrij, Caſſandriq;, & non longe poſt Antigoni intra urbem recipere: pleraſque à Tyrannis, qui tunc in Græcia complures erant: occupari. Centeſima uero & uigeſimaquarta olympiade (quemadmodum ſupra memorauimus) rurſus conuenire inter ſe ij populi cœperunt: tempore quo Pyrrhus Epyrotarum rex in Italiam tranſfretauit. Principio conuenere Dymenſes, & Patrenſes, & Tritenſes, & Pharenſes. poſtmodum uix elapſo quinquennio Egirenſes eiecto extra urbem præſidio illis adhæſerunt: quos Burij interfecto tyranno, ac non longe poſt Ceraunij ſecuti. quippe Iſeas Cerauniorum ea tempeſtate tyrannus cum eiectum Egira præſidiũ,

interfectumq́; à Burijs tyrannum, ſe uere bello undiq; circumuentum intelligeret: depoſito principatu, & pacta ab Achæis ſalute, urbem adminiſtrationi eorum reliquit. Sed quamobrē hæc tam alte à nobis repetita ſunt? Primo ut palàm omnibus fiat, quo pacto, quibus'ue temporibus, q primi Achæorum rurſus hanc rem publicam, quā florere hac tempeſtate cernimus: inſtituerit: deinde ut non ſolū hiſtoriæ noſtræ, uerumetiam rerum ab illis geſtarum cognitis ipſorū inſtitutis, facilior apud omnes fides ſit. Siquidem unus ſemper apud eos gubernandæ rei publicæ mos, una ratio fuit: per quam ſeruata continue erga ſuos omnes æquabilitate, & ijs, qui uel per ſe, uel per reges occupare eorum patriam conabantur: frequenter bello profligatis, tandē opus hoc pulcherrimum perfecerunt, partim ſuis uiribus freti, partim auxilio ſociorum. Nam quæ ſunt ab his ſecutis poſtea temporibus in ea prouincia geſta: ad Achæos referenda ſunt. q cum multis, maximisq́; in rebus ſocij Romanorum fuiſſent: nunquam ſibi quicquam ex rebus geſtis aſcripſere: ad nullam protinus rem, niſi ad Peloponneſi libertatem, atque concordiam intenti. Verum hoc ex ipſis rebus geſtis manifeſtius apparebit. Quinq; igitur & uiginti annos cum his pariter rem publicam adminiſtrarūt à principio hæ, quas modo memorauimus, ciuitates, quæſtorem unum, & duos duces uiciſſim creātes: poſtea rurſus unum duntaxat ducē decernere ſtatuerunt: cui ſumma rerum omnium committeretur. Primus omnium eum honorem adeptus fuit Marcus Geryneus: poſt quem perfectis quatuor annis dux creatus fuit Aratus Sycionius: cum eſſet annorum uiginti. Hic

ſtatim ſingulari uirtute, ac magnitudine animi patriam tyrannide liberauit: & rei publicæ Achæorum, cui iam inde ab initio affectiſſimus fuerat: adiunxit. Nec longe poſt cum octo annis imperaſſet: dux denuo electus, ſi qua uia arcem Corinthi, quàm tunc Antigonus tenebat, capere poſſet, animum intendere cœpit: qua mox potitus, perterritis omnibus, qui Peloponneſum colebant: Corinthijs uero tyrannide liberatis, eam quoq; urbẽ Achæis addidit. idem etiam de ciuitate Megarenſium paucis interiectis diebus effecit. Hæc geſta ſunt anno ante eum Carthaginenſium conflictum: quo Carthaginenſes omni Sicilia excedere, ac tributum populo romano pendere ſunt coacti. Aratus huiuſcemodi rebus intra breue tempus ſtrenue peractis, reliquũ ætatis in adminiſtratione reipub. conſumpſit, omnes conatus ac cogitationes ſuas ad unum finem dirigens: ut Macedones Peloponneſo eijceret: tyrannides infringeret: communemq́;, ac patriam libertatem unicuique conſeruaret. Itaque quandiu Antigonus uixit: facile & conatui, ac omnifariam machĩnis ipſius, & cupiditati Aetolorum reſtitit: utriſque alioquin eò temeritatis atque audaciæ prolapſis: ut fœdus inter ſe inuicem de diuiſione ciuitatum Achæiæ facere non erubuerint. Mortuo uero Antigono, initaq; inter Achæos, atque Aetolos ſocietate, cum bello à Demetrio infeſtarentur: diſſenſiones, atque diſcordiæ pauliſper ſedatæ: communisq́;, & mutua quædam amicitia inter eos orta eſt. poſtquam uero Demetrius, qui decem tantum regnauit annos, diem functus fuit: tempore quo primum Romani Illyrium transfretarunt: incredibile rebus Achæorum additamentum acceſſit. Quippe omnes Ty=

ranni, qui in Peloponneſo regnabant: in deſperationem adducti ſunt, tum propter Demetrij mortem: quo duce, atq; imperatore uti conſueuerant: tum q Aratum cernebant totis uiribus adniti: ut Tyrannides deponerentur: & ijs quidem, qui ſeſe ſponte imperio abdicarent: ſummos honores, premiáq; proponere: ijs uero, qui in pertinacia permanerent: metum, terroremq; inijcere: denique; uniuerſos hortari: ut tyrannides dimitterent: patrias in libertatem uendicarent: & in rempub. Achæorum conuenirent. Lyſidas igitur Megalopolitanus, qui adhuc uiuo Demetrio ſingulari prudentia futura præuiderat: confeſtim depoſita tyrannide reipu. Achæorum aſcribi uoluit. Ariſtomachus quoq; arguorum tyrannus, & Xenon Hermioniorũ, & Cleomnus Phliaſiorum, depoſitis tyrannidibus in eandem remp. confluxere. Quibus ex rebus cum ea gens mirumimmodum adoleleuiſſet: Aetoli ob innatam eis cupiditatem Achæis inuidentes, ſperantesq; ſe ciuitates, quæ unà coaluerant, diſſoluere poſſe, quemadmodum ab initio fecerant: Acarnanum ciuitates cum Alexandro, Achæorum uero cũ Antigono ſe diuiſuros pollicentur. Ita ſimili ſpe in ſententiam trahunt Antigonum: qui per ea tempora Macedonibus præerat, relictus à Philippo filij Tutor: & Cleomenem regem Lacedæmoniorum. nam cum Antigonum ea tempeſtate Macedonibus imperantem cernerent, uirum bellicoſum, & ob ammiſſam Corinthi arcem Achæis maxime infeſtum: facile ſibi perſuadebant: ſi Lacedæmonios quoq; eo bello adiutores haberent, ſe haud dubie eam gentem armis undiq; circumuẽtam oppreſſuros. quod proculdubio eueniſſet: niſi, quod

illi minime conſiderauerant: Aratum ſingulari uirtu-
te, ac magnitudine animi uirum propugnatorem ha-
buiſſent. Totis itaq; uiribus iniquiſſimum bellum ag-
greſſi, non ſolum quod ſperabant, perficere nequiue-
runt: ſed econtrario Aratum, qui ea tempeſtate Achæis
præerat: & omnem illorum gentem robuſtiorem, au-
daciorem'q; fecere: duce callide omnia ac diligenter
prouidente: quemadmodum ex ſequentibus liquebit.
Nam cum uir prouidus animaduerteret, pudere Ae-
tolos palàm Achæis bellum indicere, ob recepta nuper
ab illis in bello demetriaco beneficia: proptereaq; La-
cedæmonios, ut id ipſi factitarent, hortari: tanta dein-
de inuidia ob res Achæorum ſecundas premi: ut Cleo
meni, qui Tegeam, Mantiniam, Orchomenum'q;, am-
pliſſimas Aetoliæ ciuitates ſibi per fraudem ſuſtulerat:
non ſolum irati non fuiſſent: ſed eas regi lætiſſime con-
firmaſſent: præterea nulla ab Achæis iniuria laceſ-
ſitos, duntaxat immani cupiditate regnandi omnem bel
lo occaſionem quæritare: patiq; in præſentia haud inui
tos ut fœdus ſibi à rege uiolaretur: auferrentur'q; per
fraudem ampliſſimæ ciuitates, ea tantum fine, ut auctæ
per eum modum Cleomenis uires facilius Achæorum
rempublicam labefactare poſſent: cum inquam hæc o-
mnia Aratus, cæteriq; Achæorum duces animaduerte-
rent: ſtatuerunt inter ſe bellum quidem nemini indicen-
dum: ſed conatui Lacedæmoniorum totis uiribus reſi-
ſtendum eſſe. Principio igitur hæc inter ſe duces decre-
uere. interiectis uero temporibus cum animaduerterēt
Cleomenem oppidum quoddam, quod poſtea Athenienſe
appellatum: in regione Megalopolitarum intrepide ædi

ficantem, & iam ſeſe apertum, atq; acerrimum Achæorum hoſtem indicantem: congregato concilo decernunt bellum aduerſus Lacedæmonios non iam ex addito, ſed palàm eſſe ſuſcipiendum. Bellum igitur, quod cleomenicum appellatur: per ea tempora huiuſmodi initium habuit. Achæi primum per ſeipſos ſine cuiuſquam ſubſidio reſiſtere Lacedæmonijs cœperunt: ſimul quod glorioſius nomini eorũ futurum arbitrabantur, per ſeipſos, quàm per alios ciuitates, patriamq; tutari: ſimul quod ſeruare cũ Ptolemæo amicitiam totis uiribus adnitebantur: ueriti ne forte is ægre ferret, ſi ab alijs potius, quàm à ſe præſidia quæritarent. Iam uero procedente bello cum Cleomenes peſſundata republica legitimum imperium in tyrannidem uertiſſet: & bello alioquin fortiter, prudenterq; uteretur: Aratus quod futurum erat, longe proſpiciens, quippe quem minime latebat conſilium atq; audacia Aetolorum: ſedulo irritandos eſſe illorum conatus iudicauit. Cum itaq; animaduerteret Antigonum induſtria atq; experientia rerum, præterea etiam fide præter cæteros præſtantem: & reges conſideraret natura quidem neminem uel hoſtem: uel amicum habere: ſed ex eorum commodo amicitias, inimicitiasq; metiri: conuertere ſe ad eum regem decreuit: omnemq; belli euentum illi ante oculos ponere: poſtremo unà belli ſocietatem inire. Verum id palàm facere, complures cauſæ prohibebant. quippe ea re intellecta Cleomenes, atque Aetoli diligentius ſe paraturi ad bellum uidebantur: & Achiui nouitate rei perterriti, quod ducem ueluti in ſumma deſperatione rerum ad hoſtem confugere exiſtimarent: magna ex parte bellum de-

deſerturi. quamobrem nequid huiuſmodi accideret: non modo nemini conſilium aperiebat: ſed multa præter ſententiam faciebat, loquebaturq́;: queis contrariū eius rei, quam moliebatur, oſtenderet. Cum itaque Megalopolitanos cerneret ob uicinitatem, quam cum Lacedæmone habebant, bello præter cæteros quammaxime affligi: neque ullum ab Achæis, qui eodem bello premebantur, expectare præſidium: fœdere præterea, atq; amicitia cum Macedonibus coniunctos eſſe: quorum ſingularia fuerant erga Philippum Amynthæ filium beneficia: non dubitabat, eos, quamprimum infeſtari à Cleomene cœpiſſent: Antigoni, atque Macedonum præſidium imploraturos. Itaq; ſecrete conſilium ſuum Nicophani, & Cercidæ Megalopolitanis aperit. hi ei paterni hoſpites erant: ac præter cæteros ad componendam rem aptiſſimi uidebantur. Per eos itaq; Macedonas hortatur: legatos ad Achæos mittant: rogentq;: ut ſecum unà præſidium ab Antigono poſtulent. Megalopolitani Nicophanem, atque Cercidam legatos ad Achæos mittunt: & ut inde conſentientibus Achæis ad Antigonum proficiſcantur, iubent. Achæi id Megalopolitanis facile permiſerunt. Profecti igitur ad regem legati, quæ in mandatis habebant, referunt: et ex iis q̃dem, quæ ad patriam eorum ſpectabant: duntaxat neceſſaria breuiter ſummatimq́; exponunt. de uniuerſa uero re plura, ut ab Arato edocti fuerant, uerba faciunt. Aetolorum, Cleomenisq́; conatus quid poſſint: quo tendant, ante oculos ponunt. eſſe id bellum in præſentia quidem Achæis periculoſum: ſed poſthæc, ſi illi uoti compotes fuerint: ipſi Antigono longe

pernitioſius

pernitioſius futurum. Nemnem quippe dubitare: Achæos uno tempore amborum uiribus oppreſſos, facile peſſundatum iri: at Cleomenem, Aetolosq́; ſi ea uictoria potiti fuerint: haudquaquam in ijs finibus permanſuros, longe minus dubium eſſe. quippe Aetolorum cupiditatem credendum non ſolum non Peloponnenſium, ſed ne totius quidem Græciæ finibus contentam fore. Cleomenis uero ambitionem, tametſi in præſentia Peloponneſi tantummodo principatum appetere uideatur: tamen ſi uoti compos fuerit: non prius ab incœpto deſtiturã: quam omnem Macedoniam ſubiugauerit. His, atque alijs huiuſcemodi rationibus regem admonent: ut futura diligenter proſpiciat: conſideretq́; quid rebus ſuis magis conducere uideatur: uel unà cum Achæis, atq; Bœotijs bellum in Peloponneſo pro imperio Græciæ contra Cleomenem gerere: uel derelicta maxima gente, non longe poſt aduerſus Aetolos, Bœotios, Achæos, atque Lacedæmonios in Theſſalia pro principatu Macedoniæ certare. Quod ſi Aetoli pudore ducti, ne concordiam tempore demetriaci belli cum Achæis initam uiolare uiderentur: in amicitia, quemadmodum in præſentia faciebant, perſiſtere ſimularent: Achæos per ſeipſos ſatis ſuperque eſſe ad Cleomenis iniurias propulſandas. Itaq; ſi fortuna ſecundis rebus ſecum ageret: nihil opus eſſe aliorum ſubſidio: ſin uero rebus ſuis iniqua Aetolos potius reſpiceret: regem, ut ſibi adeſſet, obteſtabantur: neque opportunum tempus prætermitteret: Peloponnenſes, antequam ad internitionem delerentur, conſeruaret. De fide ac præmijs nullam in præſentia curam habendam dicebant. inuen-

incredibile quantis et tot mendis

hac Editio scateat: Porotti quoque versio [...]grida, subobscura et parum sermone [...]tino castigata

turum eſſe Aratum in ſumma rerū neceſſitate modum, quo utriq; rei ſatisfaceret. hunc ipſum, tempus, quo opus præſidio foret, regi indicaturum. Antigonus auditis, quæ relata per legatos fuere: Arati prudentiam ſummo pere commendauit: ſeq; ad omnem rei euentum paratum reſpondit. dedit præterea ad Megalopolitanos literas: quibus ſignificauit: præſto fore à ſe ſubſidium: dum modo id uolentibus Achæis fieret. His peractis, Nicophanes, & Cercidas domum reuertuntur: redditisq; Antigoni literis, beneuolentiam ac promptitudinem regis oſtendunt. Megalopolitani his rebus lætitia affecti, mittunt denuo ad Achæos legatos: rogantes, ut fœdus cum Antigono ineant: ac totius rei ſummam fidei illius credant. Aratus intellectis particulatim à Nicophane rebus, & ſtudio regis erga Achæos, ſeq; ipſum cognito, incredibilem cæpit animo uoluptatem: ſimul quod haud fruſtratum ſe ſpe ſua eſſe intelligebat: ſimul quod Antigonus præter ſpem Aetolorum haud aſpernari amicitiam ſuam uidebatur. Stabat tamen in ſententia à nemine petendi ſubſidium: niſi ſumma rerum neceſſitudine cogeretur. quod ſi accideret: nequaquam id per ſe ſolum, ſed per omnes ſimul Achæos fieri cupiebat. Verebatur enim, ne, ſi forte rex uictoria potitus, Cleomene ac Lacedæmonijs ſuperatis, ad extremum aliquid noui contra rempublicam Achæorum tentaret: cauſam cuius rei ſibi aſcriberent: q regem ſibi ob captam Corinthi arcem infenſum admittendum intra patriæ limites per imprudentiam cenſuiſſet. Cum igitur legati Megalopolitanorum ad conſilium ueniſſent: & recitatis primo literis regis be

nignitatem atque amicitiam oſtendiſſent: ac poſtremo Achæos hortati forent ad res cum Antigono componendas: atque ad id prompta eſſe omnis multitudo uideretur: procedens in medium Aratus regis benignitatem facile amplexus eſt. dehinc multitudinis ſtudium ſummis laudibus extulit. Verum pluribus eos hortatus eſt: ut per ſeipſos ſeruare ciuitates, & patriam conarentur. Si id fieret: nihil neq; præclarius, neq; utilius fore. Quod ſi rebus ſuis omnino fortuna aduerſaretur: omnia prius experienda: & poſtquam nullam amplius intelligerent ſpem ſibi relictam eſſe: tunc demum ad amicorum præſidia confugiendum. Id conſilium facile multitudo omnis probauit. decretumq; à concilio fuit: nequid in præſentia noui tentaretur: ſed per ſe ipſos Achæi præſens bellum adminiſtrarent. Cum uero interea Ptolemæus Cleomeni auxilio eſſe, & neceſſaria ad bellum ſuppeditare cœpiſſet, cupiens eum per hunc modum Antigono infeſtum facere: quod Lacedæmoniorum potius, quàm Achæorum uiribus Macedoniæ regnum conſequi poſſe ſperabat: Achæi autem primo iuxta Lycæum ex improuiſo Cleomeni obuiam facti, cæſi, ac profligati fuiſſent: dehinc rurſus in Laodicea non longe ab urbe Megalopoli cum ex compoſito ad manus ueniſſent, ingentem iacturam paſſi: tertio propè Dymeam in loco, quod Hecatombeum appellatur: adeo fuſi, diſſipatiq;: ut penè in extremum periculum incidiſſent: tunc demum tot malis circunuentus Aratus, moram omnem amputandam cenſuit: ſubſidiumq; ab Antigono, uti à principio ſtatuerat, petendum. Filium itaque legatum ad regem

mittit ea confirmatum, quæ de ſubſidio inter ſe conuenerant. Verum anceps conſilij, ac non parum ſolicitus erat: ꝙ neque Antigonum cum præſidio uenturum ſperabat: niſi arcem Corinthi, q̄ Acrocorinthium uocant: et ipſam Corinthiorum urbem fidei gratia accepiſſet: neq; intelligebat Achæos poſſe inuitis Corinthijs eam urbem Macedonibus tradere. Quamobrem dilatum conſilium fuit: ut de modo dandæ fidei conſideraretur. Inter hæc Cleomenes rebus feliciter à ſe geſtis elatus, intrepide per omnem prouinciam diſcurrere: ciuitates partim perſuaſione, partim terrore ſibi aſciſcere. Cum uero per hunc modum Caphyas, Pellenem, Pheneum, Argos, Phliantem, Cleonas, Epidaurum, Hermionem, Tryzenem, & ad extremum Corinthum cepiſſet: caſtra non longe ab urbe Syciniorum poſuit: pariterq; Achæos ab ea, quam ſupra diximus, ſolicitudine animi liberauit. Quippe Aratus, ſimulatque nunciatum eſt: eiectum à Corinthijs ex urbe præſidium Achæorum: miſſosq; ad Cleomenem legatos, qui urbem ei traderent: optimam ad eam rem occaſionem nactus, arcem, quæ ab Achæis tenebatur: Antigono reſtituit. quæ res & offenſam, quam apud regem contraxerat, purgauit: & fidem ac munimentum quoddam, & ueluti receptaculum futuri belli regi breuiter. * Cleomenes, poſtquam conueniſſe cum Antigono Achæos intellexit: arcemq; illi ſponte tradidiſſe: confeſtim ſoluta obſidione caſtra non longe ab Iſthmo traduxit: Atque eum locum, qui medius eſt inter arcem, & eos montes, quos incolæ Onios uocant: uallo ac foſſa diligentiſſime muniuit: ut qui iam animo ſpem conceperat,

totius ſe Peloponneſi imperio potiturum. Antigonus iampridem ad bellum paratus opportunitatem temporis præſtolabatur. Cum uero ex his, quæ acciderant: appropinquare profectionem Cleomenis in Theſſaliam, ſicuti ab Arato didicerat, coniectaretur: miſſis ad Achæos de omni re nuncijs, ipſe cum exercitu uerſus Iſthmum per Eubœam iter facit. Nam Aetoli aduentũ ipſius ægre ferentes, ei nunciarunt: ne intra Thermopylarum anguſtias exercitum duceret. quod ſi faceret: amotos inter ſe eius impedituros. Igitur Antigonus, atq; Cleomenes aduerſus ſe inuicem caſtra poſuere: ille animo ingrediendi Peloponneſum: hic ſtudio arcendi eum à finibus ſuis. Achæi etſi maximam in uniuerſum iacturam paſſi erant: haud tamen prorſus cecidere animis: ſed quamprimum rebellaſſe contra Cleomenem Ariſtotelem Arguum ſenſerũt: in eius auxilium profecti Timoxeno duce, Argos cepere. Quæ res non mediocre momentum attulit uiribus Achæorum. ſiquidem et Cleomenis impetus ob eam rem non parum repreſſus: & animi militum proſtrati fuere: ut res ipſæ facile oſtẽderunt. nam cum & locorum opportunitate, & copia commeatus, & uiribus atq; audacia militum longe præſtaret Cleomenis exercitus: tanta repente facta eſt immutatio rerum, capta arguorum ciuitate: ut Cleomenes dimiſſis ijs omnibus fugæ ſimulẽ profectionem fecerit: ueritus ne ab hoſtibus undiq; circumueniretur. Profectus autem eſt Argos. ubi facto in urbẽ impetu, expugnare eam totis uiribus nititur. Sed hinc Achæis fortiſſime reſiſtentibus, illinc Arguis ob pœnitentiam commiſſi erroris acerrime propugnantibus, ea quoq; ſpe fruſtratus,

facto per Mantiniam itinere, copias Spartam traduxit. Antigonus Peloponneſum ingreſſus, Acrocorinthum capit. Hinc citato gradu Argos contendit: Arguos pluribus uerbis laudat: res ciuitatis componit. dehinc rurſus uerſus Arcadiam ducto exercitu, ex munimentis à Cleomene extructis extrahit præſidia: eaq; per egyptanam regionem profectus Megalopolitanis tradit. Ipſe Egiũ, ubi Achæorum conciliũ erat: ſe tranſtulit. Hic multa de rebus præſentibus loquitur: futurorũ etiã haud paucis admonet. poſtremo omniũ ſociorum dux creatus, exercitũ ꝑ hyemẽ in agro Corinthiorũ detinet. Ineunte aũt uere copias educit. coniunguntur unà Achæi. Itaq; triduo Tegeã profectus obſidere urbẽ aggreditur. Tegetã conſpicati Macedones, foſſis, cuniculis, atq; omnifariã machinis ad expugnationẽ urbis intentos, deſpata prorſus ſalute ſeſe hoſtibus dedunt. Antigonus cõpoſitis in urbe rebus, cõfeſtim Laconicen traducit exercitũ. Ita Cleomeni, q ſe intra fines ſuos continebat, appropinquans, exiguis interdũ certaminibus manus cũ hoſte conſerit. Interea ꝑ exploratores nunciatur: milites ab Orchomeno in ſubſidiũ Cleomenis ueniſſẽ. Quamobrẽ conuerſo itinere Orchomenũ contendit: urbẽq; nullo negotio capit. Poſt hæc Mãtiniam ciuitatem obſidet: qua mox potitus, uerſus Heream, et Thelphuſam legiones ducit. & eas quoq; urbes per deditionem ſine interuallo accipit. Poſt hæc huiuſmodi ſunt tempeſtates inſecutæ: uti opus neceſſario intermitteretur. itaq; macedones domi in hibernis relinquit. ipſe cum mercenarijs proficiſcitur Egium: ut interea cum conſilio de rebus neceſſarijs diſputet.
Per id tempus Cleomenes, cum animaduerteret Antigo

num relictis domi copijs Egij moram trahere: diſtantem Megalopoli amplius trium dierum ſpatio: eam uero urbem ut ſitu uaſtam, ita hominibus uacuam eſſe: multis præſertim pauloante in ijs prælijs, quæ iuxta Lycæum, & Laodicyam facta memorauimus, inter certandum interfectis: præterea eo tempore propter præſentiam Antigoni negligentius obſeruari: facile eſt adductus in ſpem urbis capiundæ. Eò itaq; repente profectus comitantibus quibuſdam Meſſenijs, qui patria exules, extorreſq; Megalopoli uitam trahebant: ab ijs noctu intra mœnia admittitur. Facta uero luce parum abfuit quin cum omni exercitu periclitaretur: Megalopolitanis fortiſſime reſiſtentibus. ueruntamen ad extremum & multitudine militum, & quia opportuniſſima quæque loca præoccupauerat: uoti compos fuit. Vrbem captam, ſpoliatamq; funditus euertit: ut nulla in poſterum ſpes ipſius denuo ædificandæ relinqueretur. Id mihi quidem eo conſilio uidetur feciſſe: ut Lionenſibus, Megalopolitanis, Stimphalijs, cæteriſq; propinquis populis oſtenderet nihil proditoribus aut ijs, qui res nouas molirentur: tutum eſſe. nam Clitoriorum uirtutem, ac gloriã unius hominis peruerſitas fœdauerat. Is fuit Thearces: quem merito ob eam rem Clitorij genitum apud ſe eſſe negauerunt: dicentes eum aduenæ cuiuſdam militis filium ex Orchomeno aduenisse. Cæterum cum non deſint, qui inter huius hiſtoriæ ſcriptores Philarchum cæteris omnibus præponant: cum tamen plerunque contraria Arato & dicat, & ſentiat: utile, immo potius neceſſarium iudicauimus: nobis præſertim, qui ſumus Aratũ ſecuti:

XX. Ego hanc Polybii [in] Philarchum eruptionem nimiam [e]xtra leges historiae vagantem censeo: [il]lud potius privatae invidiae quam [ve]ritatis testimonio concessisse mihi

hanc partem nequaquam præterire ſilentio: ut facilius diſcerni à mendacio ueritas poſſit. Hic igitur multa paſſim per uniuerſam hiſtoriam, prout libido animi tulit: locutus eſt, quæ refutare in præſentia ſuperuacuũ duximus: rati ea duntaxat penès hunc authorem diſcutiẽda nobis eſſe: quæ ijs tẽporibus, quopios meminimus: id eſt in bello cleomenico, geſta fuerunt. hæc ſanè ſatis ſuperq; erunt ad reliquos eius authoris errores intelligendos. Principio cum niteretur oſtendere Antigoni, & Macedonum, præterea etiam Arati, atq; Achæorũ crudelitatem: Mantinienſes inquit, cum primum in eorum poteſtatem uenêre: omnia ſæua, crudeliáq; ab hoſtibus paſſos. antiquiſſimam, nobiliſſimamq; Archadiæ ciuitatem in tot erumnas, tot calamitates incidiſſe: ut uniuerſam Græciam ad lachrymas mouerit. Poſt hæc dum augere crudelitatem, & legentium animos mouere ad cõmiſerationem ſtudet: refert mulierũ mutuos amplexus: crines paſſos: nudatas papillas: uirorũ, et fœminarum gemitus, atq; ululatus: paruos liberos, & confectos ætate parentes circum ſe trahentium. Hoc uero homo in malis ambitioſus paſſim per uniuerſam hiſtoriam facit, ubique uulnera gemitus, cruorem ante oculos ponens: ut nihil in operibus eius legi contingat non muliebre, atque effœminatum. Atqui ſcriptorem rerum geſtarum decet, non mouere hominum affectus: neque orationem ad id aptam perquirere: neque calamitates mortalium inſectari: quod tragœdiarum ſcriptores faciũt: ſed dicta, factáq; hominum uere referre: etiam ſi mediocria fuerint. neque enim eſt idem hiſtoriæ, atque tragœdiæ finis: ſed planè contrarius. quippe in hac elabo

Quid monstri hoc quo pioz.? quorum

randum: ut ueriſimili oratione audientium animos in ſpem, metum, ſolicitudinem, uoluptatem, aut aliud huiuſcemodi affectum trahamus: illic autem totis uiribus adnitendum: ut ſtudioſis noſtrorum operum dicta factaq; hominum uere referamus. quamobrem illic ueriſimilibus rebus opus eſt: ut ſpectatores facilius decipiãtur: hic ueris: quia in utilitatem legentium ſcribuntur. Adde ꝙ idem author plerunque inter ſcribendum nullam neq; cauſam, neque rationem earum rerum adducit: ſine quibus neq; ad miſericordiam, neque ad indignationem mouere quempiam iuſte poſſumus in rebus mortalibus. nam quis eſt, qui non indignum putet: hominem liberum loro cædi? tamen ſi quis ob patratum à ſe delictum quid paſſus fuerit: iure eum id paſſum fatemur. porro ſi caſtigandi, emendãdiq; gratia q̃ſpiam hominem liberum uerberarit: non'ne honore, ac gratia dignus ab hominibus iudicabitur? Eodem modo ciuem interficere nefas eſt: idq; punitur acerrime. at ſi quis furem, aut adulterum interfecerit: non'ne inſons eſt? Quod ſi proditorem patriæ, aut tyrannum quiſpiã obtruncarit: non ab omnibus laudabitur? commendabitur? extolletur? Ita in omni re finis, & intentio hominis ſpectari debet. Mantinienſes igitur primo relicta republica Achæorum, Aetolis ſe patriamq; ſponte tradiderunt: nec longe poſt Cleomeni. Inter hæc, dum ſub republica Lacedæmoniorum uiuerent: anno ante Antigoni ad eas partes aduentum quarto iterum ab Achæis duce Arato capti fuere. quo tempore tantum abfuit ut ob contractam offenſam mali quippiam paterentur: ut incredibile omnibus apparuerit: quàm facile, quamq;

celeriter uterq; populus in unam denuo rempublicam coaluerit. quippe Aratus, ſimulatq; potitus eſt urbe: mandauit ſuis: nequid alienum tangerent: poſtea uocatos ad ſe ciues hortatus eſt: ut bono animo eſſent: ſuiſque rebus fruerentur. futuros enim ſaluos: quandiu ſub republica Achæorum manerent. Mantinienſes, qui omni prorſus ſpe deſtituti uidebantur: Arati uerbis ſummopere recreati, è ueſtigio ſententiam mutant: & quorum modo pernicioſiſſimi hoſtes erant: in proprias domos admittunt: cum ijs res, fortunaſq; ſuas communicant: nihil deniq; prætermittunt: quod ad ineundam firmiſſimam amicitiã pertinere uideatur. Neq; id iniuria. neſcio enim an aliqui unq̃ uel in manus mitiorum hoſtiũ uenerint: uel in maiores fortunæ caſus lapſi cum minori detrimento ſurrexerint. quod Arati, atq; Achæorum humanitas fecit. Poſt hæc cum & futuras inter ſe ſeditiones, & Aetolorum, ac Lacedæmoniorum machinas longe proſpicerent: mittunt ad Achæos legatos, qui urbem fidei eorum tradant: ac ſubſidium poſtulent. Achæi ſine mora trecentos uiros ex ſuis forte deligunt: hos proficiſci Mantiniam iubent. Igitur trecenti uiri de gente Achæorum, relicta patria, fortuniſq; ſuis omnibus, Mantiniæ moram trahebant: & libertatem, ac ſalutem urbis tutabantur. mercenarios præterea circiter ducentos ſecum habebant. Non multo interiecto tempore ſeditio inter Mãtinienſes oritur. quamobrẽ aduocatis cõfeſtim Lacedæmonijs, urbẽ eis tradũt: et, ne quid ſceleri deſit: Achæos omnis obtrũcant. quo neſcio an pnicioſius aliquod facinus memorari poſſit. nã ſi recedere omnino à fœdere, atq; amicitia Achæorũ ſtatuerãt: fuerat ſaltem præſidiũ

incolume in patriam remittendum. quippe hæc conſuetudo etiã cum hoſtibus iure gentiũ ſeruari ſolet. Sed hi ut facilius facerent fidẽ ſui erga Cleomenem & Lacedæmonios animi: eò immanitatis ac uecordiæ proceſſere: ut uiolato iure gentiũ ne amicos quidem parcerent. Quod igitur tantopẽ in eos ſæuierint, q etiam pauloãte urbe eorũ per uim potiti oẽs ueluti inſontes dimiſerãt: & in præſentia patriã, ac libertatem eorũ tutabãtur: qua pœna, quo cruciatu putabimus dignos? quod iudiciũ par tanto ſceleri excogitari poterit? an ut unà cum liberis, atq; uxoribus uenum eant? at hoc iure belli etiam de his, qui nihil ſæuum, nihil crudele commiſerunt: fieri licet. Non igitur maiori pœna, & grauiori exemplo digni putabantur? Quo circa ſi ea tantum paſſi fuere, quæ ſcribit Philarchus: non ſolum non credendum, Græcos ob eam rem miſeratione affectos eſſe: ſed potius laudaſſe iudicium Achæorum: ꝙ tantam, tamq; inauditam crudelitatem cenſuiſſent acerrime puniendam. Quamobrem cum nihil aliud fuerint ea tempeſtate Mantinienſes paſſi, quàm quod ſpoliati fortunis ſuis, & uenundati ab hoſtibus fuere: quis non uideat hunc hiſtoriarum ſcriptorem nonmodo fuiſſe mendacem, uerumetiam incredibilia dictu ſcripſiſſe: &, ut ignorantiæ cumulus accederet: ne id quidem animaduertiſſe: ꝙ Achæi in Tegeatas eodem tempore à ſe prælio captos nihil tale moliti ſunt. Atqui ſi eius rei cauſa crudelitas Achæorum fuiſſet: profecto Tegeatæ quoq; eandẽ crudelitatẽ forent experti. Sed cum hæc diuerſitas duntaxat aduerſus Mantinienſes fuerit: manifeſtum: ipſam quoq; cauſam iracundiæ diuerſam apud eos extitiſſe. Rur-

ſus hic ipſe author Ariſtomachū Arguum refert cla riſſima familia ortum Arguorum Tyrānum fuiſſe an tiquam à tyrannis originem ducentem. hunc ab Anti gono, atq; Achæis captum, ac Cenchream adductum iniuſtiſſimam, atq; iniquiſſimam omnium mortalium necem tuliſſe. facit prætereà eū ubiq; ſui ſimilis per no ctem uoces quaſdam in uinculis emittentem: quibus ui cinos partim crudelitate rei perterritos: partim, ut rem certius intelligerent: nonnullos etiam grauiter indigna tos ad eum locum curſitaſſe: & alia quædā muliebria, atq; effœminata: quæ impræſentiarū omittimus: cōtēti ijs, quæ hactenus cómemorata à nobis fuere. Ego uero Ariſtomachū arbitror, etiā ſi nihil aliud aduerſus A chæos deliquiſſet, præterq̄ ꝙ peſſūdata republica liber tatem patriæ in tyrannidem conuerterat: quamlibet ma gno cruciatu dignū extitiſſe. quanq̄ præclarus author cupiens illius gloriam extollere, & cómemoratione ma lorum, quæ pertulerat, mendicare ab audientibus miſe ricordiam, non ſolum tyrannum fuiſſe ſcribit: uerum etiam è tyrannis genitum. quo qd grauius, aut pernicio ſius dici poteſt? hoc enim nomen quaſi ſeminariū in ſe continet crudelitatis: & oēs hominum iniurias, ſcele ráq; cóplectitur. Atqui Ariſtomachus, ēt ſi grauiſſimos cruciatus paſſus fuiſſet: ut Philarchus tradit: non tamen dignas uel unius diei pœnas luiſſet. In quo cū Aratus Ar gos cū Achæorum manu per inſidias ingreſſus uindica re in libertatē Arguos niteretur: tandem nemine ob me tum tyranni ſe mouente, exire urbe coactus eſt. Quā obrē Ariſtomachus occaſione ſumpta, quod conſcij ad uentus Achæorum fuiſſent: LXXX ciues trucidari in

conſpectu neceſſariorum iuſſit: fœdum prorſus, miſerandumq́; ſpectaculum. Sed longum eſſet ipſius per omnem uitam crudelitatem referre. quippe hanc à maioribus ſuis quaſi hæreditario iure habuit. Igitur ſi huiuſmodi exemplis, ac cruciatibus affectus fuit: haud eſt indignum cenſendum. ſiquidem longe indignius fuiſſet: ſceleratiſſimum hominem poſt tot uirorum cædes, tot rapinas ueluti inſontem impunitum mori. Neq; Antigoni, atq; Arati ſæuitiæ aſcribendum eſt: ꝙ tyrannum, quo bello potiti legitime fuerant: interfici in uinculis iuſſerunt: quem etiam tempore pacis capere, & ſummis afficere cruciatibus optimũ ſimul, atq; honorificum fuiſſet. quod uero præter hæc Achæos & prodiderit: quibus ſupplicijs dignus iudicabitur? Depoſuerat non multis ante temporibus tyrannidem ob Demetrij mortem omni ſpe ſubſidij deſtitutus. Quo tempore Achæi eum nonmodo ſaluum fecere: uerumetiam ita humaniter, ac benigne ſuſceperunt: ut & iniurias omnis, quibus uſus in tyrãnide fuerat: ei dimiſerint: & in ſuam rempublicam acceptum maximis honoribus affecerint: ac denum ducem Achæorum creauerint. At homo omnium ſceleratiſſimus oblitus tantæ humanitatis atq; clementiæ, ſtatim cogitare cœpit quo pacto inire Cleomenis amicitiam poſſet. nec multis interiectis diebus, non ſine ingenti periculo Achæorum tempore maxime neceſſario ad hoſtes defecit. quem poſt paucos dies in bello captum, non Cenchreis ꝑ noctem in uinculis interfici dignum erat: quemadmodum Philarchus ſcribit: ſed per omnem Peloponneſum circunductum poſt multa maximaq́; ſupplicia tandem crudeliſſime trucidari. ueruntamen homo omni genere

ſceleris præditus nihil grauius pertulit: q̃ quod in uincu lis ſtrangulatus eſt. Adde: ꝙ idem author Mantinienſium calamitates pluribus uerbis proſequitur: quaſi decere ſcriptorem hiſtoriæ putet duntaxat res crudeles, atq; in iuſtas legentibus exponere. De Megalopolitanorũ uero uirtute, ac magnitudine animi, qua per id tẽpus uſi fue re: nullam prorſus mentionem facit: perinde, ac ſi ma- gis proprium hiſtoriæ foret ſcelera atq; flagitia homi- num, q̃ quæ iuſte honeſtéq; facta ſunt, commemorare: præclari uiri minus laudis ex rebus egregie geſtis aſ- ſequi, quàm ex ſæuitia ac crudelitate uiderentur. Præ terea quo pacto Cleomenes ciuitatem ceperit: integram ſeruauerit: tabellarios Meſſenem ad Megalopolitanos cũ literis miſerit: ut in incolumen patriam reuerterentur: ſibiq; adeſſent, hortatus fuerit: quo deinde modo Megalo politani literas, dum legerentur, abſolui non ꝑmiſerint: et uix à tabellariis manus abſtinuerint: cæteráq; huiuſ modi leuia, atq; humilia conſectatur. quod uero ſeque- batur: quódq; maxime proprium erat hiſtoriæ, præter- mittit: laudem uidelicet, atq; memoriam rerũ egregie ge ſtarum. At quid ei erat impedimento? nam ſi eos qui ſo- lummodo uerbis, ac uoluntate bellum pro ſociis ſuſtinẽt, bonos uiros putamus: qui uero populationem patriæ, incendia, obſidiones patiuntur: non ſolũ laudamus, atq; admiramur: uerumetiam gratiis, muneribusq; proſequi mur: qbus laudibus Megalopolitanos efferemus? quibus ſtudiis complectemur? nõ ne maximis, atq; ampliſſimis? Hi primo prouinciam Cleomeni reliquerunt: deinde o- mnino ſe patria abdicarunt: ne ab Achæorum ſocietate recederent. poſtremo cum præter ſpem, atq; opinionem

omnium reuerti incolumes in patriam poſſent: maluerunt uitam in exilio trahere, dimiſſis domubus, ſepulchris, templis, fortunis, omnibus deniq; rebus neceſſarijs: q̃ aliqd uiolatæ ſocijs fidei ſignum præ ſe ferre. Quo qd maius, aut præclarius factum eſt unq̃: uel in poſterum fiet? Cui igitur rei magis attentos reddere auditores ſcriptorem hiſtoriæ oportebat? aut quibus exemplis melius poterat hortari homines ad fidem ſeruandam: resq; egregie geſtas imitandas? Ac Philarchus nullam huiuſmodi rerum mentionem fecit, cæcus (ut mihi quidem uidetur) ubi pulcherrimæ res occurrunt, & inter cæteras maxime memoratu dignæ. Addit non longe poſt: cepiſſe Lacedæmonios Megalopoli prædam ſex milliũ talentorum: ex quibus duo millia Cleomeni ex conſuetudine dediſſe. Vbi quis non ſtatim admiretur inſcitiam, atq; ignorantiam hominis de diuitijs, & potentia Græcorum? quæ maxime nota eſſe hiſtorico debent? Equidem ita affirmo: non ijs temporibus, quibus & à regibus Macedonibus oppreſſæ & uarijs inter ſe bellis exhauſtæ erãt Peloponnenſium uires: ſed ea tempeſtate, qua iunctæ unà cunctæ ciuitates ſecunda fortuna potiri uidebantur: haud tantum pecuniarum ex omni Peloponneſo colligi potuiſſe. Nam quis ignorat: Athenienſes, quo tempore cum Thebanis bellum aduerſus Lacedæmonios geſſere: ut exercitum decem millium hominum, & claſſem triremium centum pararent, facto cenſu, non ſolum ærarium publicum, uerum etiam proprias domos, ciuitates, omnem deniq; prouinciam exhauſiſſe? & uix tandem congregare potuiſſe ſex millia talentorum, ducenis quinquaginta exceptis? Ex quo haud abſur-

dum uideri debet, quod modo de Peloponneſo affirmauimus. At iis temporibus in urbe Megalopoli nemo ſit, qui audeat dicere amplius q̃ trecentorum talentorũ prædam potuiſſe capi: præſertim cum clare apud omnes conſtet: homines tam liberos, quàm ſeruos Meſſenem confugiſſe. Maximum uero huius rei argumentum eſt: q, cũ per id tempus Mantinienſes, q neq; uiribus neq; fortunis inferiores Arcadibus erãt: ut hic ipſe author teſtatur: cincti undiq; obſidione ita in manus hoſtium ueniſſent, ut neque fugere quiſpiam, neq; ſurripere quicquam potuiſſet: ad extremum tamen præda omnis etiam cum corporibus non amplius trecentis talentis æſtimata ab omnibus fuit. Cæterum quod mox ſubiungit: quis non magnopere admiretur? Veniſſe inquit decimo ante id prælium die à Ptolemæo oratorem: qui Cleomeni nunciaret: negare Ptolemæum ſe ad belli impenſas ſuppeditare aliquid uelle. proinde eum hortari: ut pacem cum Antigono faceret. qua re audita, Cleomenem ſtatuiſſe de omni ſimul re confeſtim decernere, antequam id ad aures militum ueniret: ne forte indignarentur: nullam ſibi amplius ſpem ſtipendii relictam intelligentes. At ſi nuper ſex millia talentorum Megalopoli lucri fecerat: quid erat Ptolemæi præſidium neceſſarium? cui trecenta ſolummodo talenta ſatis ſuperq; fuiſſent ad uires Antigoni confringendas? Simul igitur aſſerere Cleomenem omnem ſpem ſtipendii in Ptolemæo collocatam habere, ſimul tantum pecuniarum Megalopoli nactum affirmare, non'ne ſumma inſcitia eſt? Longa mihi ſuppeditaret oratio: ſi cætera uitia, quibus egregius ſcriptor & hic, & ubique ſcatet: perſequi uellem. ſed hæc in

præſentia ſatis eſſe exiſtimaui. Poſt Megalopolis captiuitatem Antigono in ciuitatem Arguorum in hibernis commorante, Cleomenes, cum primum per anni tempus licuit, copias cogere cœpit. hinc militum animos pro tempore hortatus, exercitum in Arguorum regionem educit. Fuere pleriq; qui eum ob hanc rem ueluti audacem nimis, ac temerarium reprehenderunt, propter ſitus locorum aſperos, ac natura munitiſſimos. Alij id melius conſiderantes, ſapienter eum feciſſe exiſtimauere. nam cum animaduerteretur Antigonum uictoriam in manibus, ut qui longe multitudine militum præſtaret: dimiſſo domi exercitu paruam admodum mercenariorum manum ſecum habere: huiuſmodi quædam cogitare cœpit: facile ſibi fore prouinciam ſine diſcrimine ingredi. quod ſi per eam ferro igniq; uaſtatam uſq; ad mœnia urbis pergeret: neceſſario Arguos Antigonum, ꝙ talia per deſidiam pateretur, increpaturos. qui ſi murmure multitudinis commotus aduerſus hoſtem exire cogeretur: quidni eſſe ſibi uictoriam in manibus? ut qui lõge in multitudine militum præſtaret? ſin uero fretus ratione in urbe permaneret: ſe, factis per omnem agrum incurſionibus, ac non paruo terrore hoſtibus relicto, ſuorum uero animis confirmatis, tuto ad proprias ſedes reuerſurum. Quæ res ita planè, ut cogitauerat, euênit. nam cum paſſim uaſtari prouinciam multitudo cerneret: Antigonum reprehendere. ille nihilominus prudentiſſimi ducis officio fungi: ſeſe intra urbem continere: Cleomenes per omnem regionem intrepide diſcurrere. Ita tandẽ rebus ex ſententia geſtis, deuaſtata prouincia, perterritis Arguis, ſuis uero ad futura bella audacio-

ribus factis, ſecurus domum reuerſus eſt. Ineunte autem uere, cum Macedones atque Achæi reuerſi ex hibernis forent: Antigonus cum exercitu Laconicen proficiſcitur: Macedonum intra phalangem habens circiter decem millia: ſagittariorum ad tria millia: equites trecentos: præterea ferentarios mille: Gallos totidem: mercenariorum tria millia peditum: equites trecentos: Megalopolitanos circiter mille, inſtar Macedonum armatos: quibus dux præerat Cercidas Megalopolitanus: ex ſocijs uero Boiorum duo millia peditum: equites ducentos: Epyrotarum mille pedites: equites quinquaginta: Acarnânum totidem: præter hos etiam mille & ſexcentos Illyrios: quibus præerat Demetrius Pharenſis: ita ut omnis ſumma copiarū eſſet octo & uiginti millia peditum: equites mille & ducenti. Cleomenes aduentu hoſtium per exploratores cognito, omnis aditus, qui in prouinciam patebant: militibus, foſſis, ac ſectis arboribus diligenter muniuit. ipſe aditum, quem Sellaſiam uocant: cum exercitu occupauit: ratus (id quod euenit) hoſtes per ea loca iter facturos. erant eius copiæ circiter uiginti millia hominum. Duo colles huic loco imminebant: quorū alterum Euam incolæ uocant: Olympum alterum. Via inter hos media eſt: quæ per ripam profluentis fluminis ducit Spartam. Cleomenes igitur occupatis collibus, uallóq; & foſſa diligentiſſime munitis, in Eua gregarium militem, ac ſocios poſuit. ijs ducem reliquit germanum ſuum Euclidē. ipſe cum Lacedæmonijs, & mercenarijs in Olympo cōſtitit. equites autem in planitie ſupra utranq; fluminis ripam cum parte mercenariorum collocauit. Cum ad ea loca appropinquaſſet Antigonus: uno tempore & diffi-

alem locorum ſitum, & miram Cleomenis in diſponendo exercitu induſtriam conſpicatus, quippe qui nullum optimi ducis officium prætermiſerat: abſtinendum ſibi prælio in præſens tempus exiſtimauit. itaque haud procul ab eo loco iuxta Gorgyli fluminis ripam caſtra poſuit. Vbi paucis quibuſdam diebus commoratus, loca omnia, atque exercitum hoſtium luſtrabatur. poſtea laceſſere ad prælium hoſtes tentauit. Sed cum nullum prorſus uacuum cuſtodia locum offenderet: (ſiquidem Cleomenis prouidentia omnia diligentiſſime conſtruxerat) ab incœpto deſtitit. Veruntamen ad extremum communi conſenſu prælio inimicitias dirimere ſtatuerunt. ita prorſus uno tempore duos duces uirtute, conſilio, ac ſapientia pares fortuna coniunxerat. Antigonus igitur ijs, quos in Eua collocatos diximus: Macedones ſcutatos opponit: item Illyrios, cohorteſq;, in plures partes diuiſas alternatim diſponit. his Alexandrum Ameti filium, & Demetrium Pharenſem duces præfecit. poſt hos Acarnânes, & Cretenſes collocat. poſtremo duo millia Achæorum ſubſidij gratia ſubſequi iubet. Equites non longe à ripa fluminis aduerſum hoſtium equitatum conſtituit: Alexandro duce cum duobus millibus peditum illis relicto. ipſe cum mercenariorum, ac Macedonum manu contra Olympum conſtitutus, inire cum Cleomene prælium decreuit. Deductis igitur in aciem mercenarijs, Macedonum phalangem ſtatim ſubſequi iuſſit. quippe locorum anguſtiæ ne ſecus fieret impediebant. Signum erat Illyrijs inchoandi certaminis: cum primum oſtenſum ex locis, quæ circa

Olympum erant, linteum proſpicerent. nam hi per noctem ſub ripa Gorgyli fluminis iuxta radicem collis conſtiterunt. Megalopolitanis quoq;, atq; equitibus ſignum ineundi prælij erat: cum primum à rege purpuream ueſtem erectam aſpexiſſent. Iam igitur certaminis tempus aduenerat: & Illyrij datum ab Antigono ſignum notauerunt. hortantur pro tempore ſocios: ut forti, magno'q; animo ſint: uictoriam ſibi in manibus eſſe non dubitent. Poſt hæc omnes incredibili audacia ad expugnationem collis irrumpunt. At leuis armaturæ milites, quos cum equitatu Cleomenis in planitie relictos ſupra memorauimus: ubi animaduertêre cohortes Achæorum omni ſubſidio nudas eſſe: à tergo iam collem aſcendentes inſecuti, maximum in diſcrimen adduxerunt. ſi quidem à dextra Euclides cum gregarijs militibus à frontibus præſtabat: à læua uero mercenarij milites de tergo pertinaciſſime irruentes impreſſionem faciebant. Quibus ex rebus accidebat eos uno tempore ab utroq; hoſtium agmine circumueniri. Id ubi animaduertit Philopœmenes Megalopolitanus: ſtatim quod optimum factu erat, excogitauit: id'q; aperuit ducibus. Sed quia & adoleſcens admodum erat: nec ducatum unquam fuerat aſſecutus: parum ei adhibitæ aures fuere. Quapropter ad conciues ſuos conuerſus, parta, inquit, nobis eſt uictoria fortiſſimi uiri: ſi me ſequimini. facto'q; contra hoſtium equitatum impetu, audaciſſime eos inuadit. Mercenarij, qui de tergo expugnantes collem infeſtabant: audito ingenti ſtrepitu, ſimulque equorum certamen conſpicati, retrahunt greſſus: & ad equitum ſubſidium, ubi conſtituti ab initio fuerant: re-

uertuntur. Per hunc modum turbatis hoſtium ordinibus, Illyrij, atq; Macedones, cæteriq; unà ab Antigono conſtituti magno impetu in hoſtes feruntur. Ex quo poſt hæc clara apud omnes opinio fuit: Euclidem eo tempore Philopœmenis induſtria, ac magnitudine animi ſuperatum. unde & Antigonum tradunt, cum poſtea Alexandrum interrogaſſet, quamobrem haud expectato, uti conuenerant, ſigno mouiſſet aduerſus hoſtes equitatũ? atq; ille reſpõdiſſet: id à ſe minime, ſed ab adoleſcente quodam Megalopolitano, ſe inſcio, factum: dixiſſe: adoleſcentem quidem optimi ducis, Alexandrum uero ignari adoleſcentis officio functum. Qui autem cum Euclide cacumen collis tenebant: aſcendentes hoſtium cohortes conſpicati, facile imperitiam ſuam oſtendêre. neq; enim cunctandum erat: quoad hoſtes ad uirtutem collis integri peruenirent: ſed fretos opportunitate locorum obuiam hoſtibus procedere: & ex ſuperiori loco impetum in eos facere oportebat: poſtea, cum opus foret, ad dexteram conuerſos confeſtim ſeſe ad tuta recipere: dehinc rurſus in hoſtes ferri. per hunc modum fractas tandem, diſſipatasq; Macedonum copias facile uertiſſent in fugam. At hi, tanquã uictoriam in manibus haberent: planè contrarium fecere. ſiquidem immoti in loco, ubi collocati à Cleomene fuerant: aduentum hoſtium præſtolantes conſtiterunt: rati eo maiorem fore hoſtium conflictum: quo ex altiori loco, & prærupto magis colle proiecti, præcipitatiq; eſſent. Verum mox inſcitiæ ſuæ pœnas dedêre. quippe Macedones ſine impedimento ſuperato colle, poſtquã in æquum locum uenerũt: pedem pedi conſerentes, tanta audacia in medios hoſtes

proruperе:ut eos ſtatim in præcipitem ac pernitioſiſſimam fugã conuerterint. Atrox eodẽ tempore prælium etiam inter equites gerebatur: ubi operæpretium erat aſpicere quo ardore, quibus uiribus, qua animi alacritate Achæi concurrent: quippe omnibus pro libertate patriæ dimicantibus. Præcipue tamen inter cæteros Philopœmenis uirtus clara, atq; illuſtris habebatur. Hic, cum eius equus telo grauiter confoſſus exanimis cecidiſſet: nihilo timidior factus, pedeſtri certamine diu atrociſſime ſe exercuit. ad extremum utrunq; crus ſagitta transfixus cum incredibili animi robore ſpirauit. Reges quoq; in Olympo cum mercenarijs, ac leuis armaturæ militibus prælium inierant. Erant hi circiter quinq; millia hominum: qui interdum priuatis certaminibus inuicem congreſſi, nonnunquam uniuerſi ſimul fortunam belli tentantes, diu uariam uictoriam experti fuerant: eratq; ad extremum æquo marte diſceſſum. At poſtquam Cleomenes relictum ab Euclide collem, ſociosq; in fugam conuerſos animaduertit: equites uero iam ad ſummam deſperationem redactos: undiq; formidine circunſtrepẽte, patefacere propinquum aditum, & fronte per unum ex lateribus aciei exercitum educere decreuit. Iubet itaq; tubicines receptui canere. ac ſtatim per eum modum reuocatis leuis armaturæ militibus, phalanges ex utraq; parte conuerſis haſtis prælium capeſſunt. fit atrox certamen: tantisq; animis utrinq; concurritur: ut modo cedentibus Lacedæmonijs, modo facta impreſſione Macedones cedere compellentibus, diu anceps uictoria fuerit: & cuius laus prima eſſet, difficile iudicium uideretur. Ad poſtremum Lacedæmo-

nij ſuperati, cum ſe fugæ commiſiſſent: paſſim inſtar pecudum cæſi, trucidatiq; fuere. Cleomenes paucis quibuſdam equis comitatus Spartam incolumis peruenit. Hinc proxima nocte Gythium profectus, naues, quæ iam dudum ad neceſſarios uſus paratæ erant: conſcendit: atque Alexandriam cum amicis nauigat. Antigonus nemine iam reſiſtente Sparta potitus, cum cæteris in rebus magnanimiter ſe, ac perhumaniter erga Lacedæmonios geſſit: tum uel in primis: ut ſalua integráq; re publica patrijs inſtitutis uiuerent, permiſit. Paucos deinde dies ibi commoratus, cum ei nunciatum eſſet: Illyrios Macedoniam ingreſſos, prouinciam deuaſtare: in patriam cum exercitu reuertitur. Ita ſemper maximas res pro libidine fortuna uerſat. nam ſi uel id prælium Cleomenes aliquanto diutius diſtuliſſet: uel ſaltem poſt fugam Spartæ commoratus, ſpem aliquandiu protraxiſſet: procuIdubio diſcedente Antigono, ſumma totius rei ad eum inclinatura erat. Profectus itaque Tegeam Antigonus ijs quoque integram rem publicam permiſit. poſtridie Argos aduenit: tempore quo omnis populus ad celebrandos Nemeæ ludos conuenerat. Huic effuſa omnis multitudo obuiam procedit. in hunc oculos ciuitas uniuerſa, in hunc ſuſpenſa ora conuertit. hunc laudibus efferunt: hunc omnibus non humanis tantum, uerumetiam diuinis honoribus & commune Græcorum concilium, & per ſe ſingulæ quæq; ciuitate honorant. Demum Macedoniam properat. Vbi cum uagantes offendiſſet Illyrios ſtructis utrinq; aciebus eos ador-

Gythium

tus, poſt longum certamen ſuperauit. Verum tantis inter certandum clamoribus uſus eſt: ut pro fluuio ſanguinis paucos poſt dies interierit: ingenti ſpe fraudatis Graeciæ populis: quàm de eo non tam propter armorum uſum, quàm propter uirtutem atq; integritatem regiam conceperant. Regnum Macedoniæ Philippo Demetrij filio reliquit. Verum ſi quis forte à nobis quærat: cur præſens bellum tam longe repetitum tot uerbis ſcripſerimus? ſciat: nos illud conſulto feciſſe. nam cum hoc tempus in ea potiſſimum tempora incideret: de quibus ſcripturi in præſentiarum ſumus: dignum, immo potius neceſſarium iudicauimus, quemadmodum inſtitutum ab initio fuerat: Macedonum, ac Græcorum ſtatum, qualis ea tempeſtate extiterit: notum omnibus facere. Per idem tempus Ptolemæo etiã morbo conſumpto, Ptolemæus Philopater regnum ſuſcepit. Seleucusq; diem functus eſt Seleuci Callimaci & Pogonis filius. Huic Antiochus frater in regno Syriæ ſucceſſit: Ita ſimile quiddam his accidit: atq; ſuperioribus illis, qui poſt mortem Alexandri ea regna obtinuerant: ideſt Seleuco, Ptolemæo, & Lyſimacho. illi enim centeſima & uigeſima quarta olympiade, uti ſupra memorauimus: hi uero centeſima & trigeſima nona diem ſuum obierunt. Nos igitur, poſtquam totius noſtræ hiſtoriæ præparationem expoſuimus: ſatiſq; abunde declaratum eſt, quo tempore, quo modo quibus cauſis populus romanus omni Italia potitus exterarum gentium in regna adortus fuerit: quis eo tempore Græciæ, ac Macedoniæ ſtatus, quis Carthaginenſium extiterit: conſentaneum arbitramur: cum

ad ea uentum ſit tempora, uti ab initio fuerat inſtitutum: in quibus Græci ſociale, Romani Annibalis bellum geſſere: reges uero Aſiæ inferioris Syrio imperio contenderunt: præſentem librum unà cum huiuſmodi rerum commemoratione, & hac permutatione regnorum terminare.

POLYBII HISTORIARVM LIBER TERTIVS, NICOLAO PEROTTO INTERPRETE.

sATIS EST À NOBIS IN *primo libro oſtenſum: ꝙ ſociale, Annibaliſq;, & ſyriacum bellũ ueluti principia, ac fundamenta rerum à Romanis geſtarum ſubiecimus. ubi etiam redditæ ſunt cauſæ: quæ nos: ut repetitis altius principijs ſecundi libri hiſtoriam connecteremus, impulere. nunc uero ipſa bella, cauſaſq;, à quibus & orta ſunt, & tam longe lateq; diffuſa: demonſtrare conabimur: ſi prius conatum populi romani quàm breuius fieri potuerit, expoſuerimus. nam cum unum opus, ac ueluti unũ ſpectaculum ſit, quod ſcribere aggreſſi ſumus: quo pacto, quando, aut quamobrem uniuerſæ orbis partes in populi romani ditionem peruenere: idq; & principium cognitum habeat, & tempus definitum, & finem certum: profecto utile exiſtimauimus: res etiam, quæ intra principium, ac finem huiuſmodi bellorum geſtæ ſunt: duntaxat memoratu dignas ſummatim commemorare:*

...iber primus 3 hac Decadis Titi livii
... libro tertio Polybii volumine exceptus
... miror in quibusdam horum veritate
... a Polybio recedere auctorem ... praecipue

rati p̄ hunc modū ſtudioſos noſtri operis totius hiſtoriæ cognitionem facilius adipiſci poſſe. multa ſiquidem animus noſter ex uniuerſalis hiſtoriæ cognitione ad particularium rerum hiſtoriam neceſſaria percipit: nec parum etiam particularium rerum peritia ad uniuerſalis hiſtoriæ ſcientiam confert. quod ſi utrunq; inuicem iunctum ueluti unam ex ambobus faciem præbeat: incredibilem ſanè legentibus fructum affert. Verum nos quidem de ſumma totius operis ſatis ſuperq; duobus ſuperioribus libris diximus. particulariū uero rerum, quæ medio tempore geſtæ fuerunt: principia quidem ſunt hæc, quæ ſupra memorauimus, bella: finis uero regum Macedoniæ interitus: tempus inter principium finemq́; medium, anni quinquaginta. intra quos tales, ac tantæ res geſtæ ſunt: quales quantasq́; ſuperior ætas intra tam breue temporis ſpacium nunquam tulit. de quibus nos à centeſima & quadrageſima olympiade ſcribere incipientes, hunc ordinem ſeruabimus. Principio oſtendemus cauſas, unde id bellum, quod Annibalis appellatur: inter Romanos, ac Carthaginenſes oriri cœpit. ut Carthaginenſes Italiam ingreſſi, maximum in diſcrimen populum romanum adduxerunt: ut repente inciderunt in ſpem non ſolum reliqua Italia: ſed ipſa etiam urbe Roma potiundi. poſt hæc exequi conabimur, quo pacto Philippus rex Macedoniæ poſt bellum cum Aetolis geſtum compoſitis in Græcia rebus, in Carthaginenſium quoq; ſpem deuenit: Antiochus uero, & Ptolemæus Philopater poſt longam diſſenſionem tandem pro inferiori Syria bellum inter ſe geſſere; Rhodij autem, & Pruſias illato By-

Zantijs bello, abſtinere eos Ponto coegerunt. Hic huiuſmodi narratione terminata, de inſtitutis, atq; re publica Romanorum dicere aggrediemur: quod hæc ueluti peculiaris, populi Ro, in tantum uires eorum auxit: ut non ſolū Italia, Siciliáq;, præterea & Gallijs, atq; Hiſpanijs incredibili celeritate potiti fuerint: ſed tandem ſuperatis bello Carthaginenſibus, totius orbis imperium affectarint. Hinc ueluti per tranſgreſſionem narrabimus, quo pacto Hieronis Syracuſani imperium dirutum, proſtratumq; ſit: item uarias turbationes, quæ in Aegypto fuere: præterea quemadmodum poſt Ptolemæi regis interitum Antiochus, & Philippus iunctis inter ſe conſilijs de diuiſione regni puero relicti gerere bellum cœperunt: Philippus aduerſus Aegyptum, ac Samum: Antiochus aduerſus Syriam, atq; Phœnicem. Poſt hæc receptis ſummatim Hiſpaniæ, Libyæ, atq; Siciliæ rebus, ſermonem protinus ſimul cum ipſarum rerum mutatione ad loca Græciæ transferemus. expoſitis enim naualibus prælijs, quæ Attalus, & Rhodij aduerſus Philippum geſſere: item Romanorum, ac Philippi bello commemorato, quo pacto, aut per quos geſtum ſit: quem finem habuerit: ſeruata ſerie rerum, ad indignationem Aetolorum ueniemus: qua indixere Romanis bellum: Antiocho ex Aſia aduocato. cuius belli cauſas unà cum transfretatione Antiochi in Europam executi, primo oſtendemus, quomodo Antiochus è Græcia fugerit: dehinc, quo pacto bello ſuperatus, omni prouincia, quæ eſt citra Taurum: Romanis ceſſerit: tertio, quibus

uiribus freti Romani poſt Gallorum, qui in ea prouincia uagabantur, excidium, totius Aſiæ imperium uindicauerint: omneſq; citra Taurum habitantes populos barbarorum timore, & Gallorum temeritate liberarint. Poſt hæc commemoratis Aetolorum, ac Cophallinorum rebus infeliciter geſtis, Eumenidis, Pruſiæq;, & Gallorum bellum aggrediemur: item Ariarati bellum contra Pharnacem. Dehinc de concordia Peloponnenſium, & incremento reip. Rhodiorum breuiter locuti, narrationem noſtram pariter cum rebus geſtis concludemus: repetitis ultimo loco Antiochi, cui Epiphanes cognomen fuit: in Aegyptum expeditionibus: itē bello perſico, & interitu regni Macedoniæ. quibus ex rebus facile intelligi poterit: quomodo Romani ſingula quæq; aggreſſi haud longo interuallo uniuerſum: terrarum orbem ſubiugarunt. Quod ſi ex rebus proſpere, ſiue infeliciter geſtis liceret uirtutem à uitio, aut laudatum hominem ab illaudato diſcernere: profecto hic finem facere oportuiſſet: narrationemq; ad ea, quæ nouiſſime explicare à principio propoſueramus: conuertere. nam & tempus trium ac quinquaginta annorum in hæc deſit: & imperium Romanorum ita propagatum eſt: ut in poſterum omnes clare intelligerent: id factu neceſſarium fore: quod populus romanus iuberet. Verum quoniam iudicari hæc ex euentu rerum non recte poſſunt: cum ſæpenumero ea, quæ factu optima uidentur, niſi opportune fiant, ingētes afferant iacturas: & econtrario, qui in aduerſum aliquem caſum inciderunt: ſi id forti ac magno animo tolerent, plerunq; fortunam ſuā in melius uertant: dignum iudicauimus: his,

quæ ſcripta à nobis ſunt, etiam illud addere: quæ conditio uictorum fuerit: quæ ratio adminiſtrandi imperij: quomodo reliquæ urbes, regiones, loca ſponte ad eos deſciuerint: præterea qui mores, quæ'ue inſtituta apud omnes fuerint, tum uitæ priuatæ, tum in uniuerſum totius reipublicæ. ſic enim & præſentibus palàm fiet: fugiendum'ne, an potius ſponte eligendum ſit imperium populi romani: & poſteris: utrum laude & memoria dignæ: an econtrario uituperandæ omnino ſint res geſtæ Romanorum. in hoc enim conſiſtet imprimis noſtræ hiſtoriæ utilitas: ſiue ad præſentes, ſeu ad poſteros reſpexeris. Quippe nec qui bella gerunt: nec qui de bellis iudicant: finem bellorum ſtatuunt ipſam uictoriam: nec ut imperio ſuo cuncta ſubijciant. neq; enim prudens quiſpiam iccirco cum finitimus bellum gerit: ut fuſos, profligatosq; inſpiciat hoſtes: neq; multa maria nauigat, duntaxat transfretandi gratia: neq; artes, & diſciplinas illarum tantummodo cauſa ſectatur. ſed omnes ad hæc mouemur ob id, quod ſequi exinde cernimus, uel iucundũ, uel utile, uel honeſtum. Quamobrem & finis noſtri operis merito dicetur: noſſe, quæ conditio omnium fuerit poſt acquiſitum à Romanis imperium orbis terrarum: quouſq; rurſus noua rerum turbatio orta eſt. De qua quoniam multæ, maximæq; res memoratu dignæ acciderũt: quibus ipſe non ſolum ſpectator magna ex parte, uerũ etiam hortator, atq; adiutor interfui: haud inuitus facto quaſi alio principio ſcribere decreui. Hæc turbatio fuit: in qua Romani quidem bellum aduerſus Celtiberos mouerunt: Carthaginenſes uero aduerſus Maſaniſſam Libyæ regem. quo tempore in Aſia quoq; Attalus, & Pru

ſias inuicem contendebant: Ariarathes autem Cappado ciæ rex à Roſerne per Demetrium regno expulſus, non longe poſt per eundem in paternum imperium reſtitutus eſt. At Demetrius Seleuci filius, cum annos duodecim regnum Syriæ tenuiſſet: cæteris regibus aduerſum ſe conſpirantibus, uita ſimul, ac regno ſpoliatus fuit. Romani Græcos, quos bello perſico patrio ſolo extorres egerát: ciuitatibus ſuis reſtituerunt. ipſi non longe poſt Carthaginenſibus bellum intulere ob cauſas, quas dicemus. Ita cum Macedones quidem ab amicitia Romanorum, Lacedæmonij uero ab Achæorum rep. deſciuiſſent: ſecuta eſt communis totius Græciæ calamitas. Sed hæc de apparatu noſtro ſatis. Vtinam mihi tantum uitæ deinceps deorum uoluntate ſit: quantum ad perficiendum incœptum opus ſufficiat. quanquam mihi perſuadeam, etiã ſi longiora uiuendi ſpacia nobis negarentur: non defuturos tamen in tanta eruditorum multitudine, qui opus noſtrum ad finem perducerent: & quod nobis repentina mors uetaſſet, exeq conarentur. uerũ cũ res, quæ memoratu digniores uidebantur, abunde commemorauerimus, cupidi ut lectoribus noſtri operis omnia & in uniuerſum et per ſpecies innoteſcant: tempus eſt: ut iam propoſiti noſtri memores ad narrationem ueniamus. Ex his, qui res geſtas Annibalis ſcripſerunt: pleriq; cupientes cauſam eius belli oſtendere, quod inter Romanos, Carthaginenſeſq; exarſit: primam quidem aſſerunt: ꝙ Carthaginenſes Saguntum obſederunt: ſecundam: ꝙ præter fœdus cum Romanis percuſſum Iberum amnem tranſgreſſi ſunt. Ego uero hæc quidem initium belli fuiſſe exiſtimo: cauſas uero minime. multum enim inter principia

uerum, ac cauſas intereſt. niſi forte quiſpiam aut Alexādri tranſitum in Aſiam cauſam fuiſſe dicat eius belli, q̄d aduerſus Perſas geſſit: aut Antiochi deſcenſum ad Demetriadem eius belli cauſam, quod eſt cum Romanis incœptum. quod neq; uerū eſt, neq; uerisimile. nam quis adeo rerum ignarus eas belli cauſas uocet: quarum partem Alexander, partem etiam Philippus, cum adhuc uiueret, ad bellum perſicum parauerat? ſiue Aetoli ante Antiochi aduentum ad bellum cum Romanis gerendū? Sed hæc hominum ſunt non animaduertentium quantum inter principium, cauſamq; interſit: & quod cauſæ omnibus in rebus primæ ſunt: principia uero ultima cauſarum. Equidem ita exiſtimo: principia dici primas hominū actiones in rebus, quæ iudicatæ, ac deliberatæ ſunt: cauſas uero: quæ iudicium, deliberationemq; præcedunt: quæq; efficiūt ut ita iudicemus, deliberemus'ue: ut cogitationes, conſilia, ratiocinationes, cæteraq; huiuſmodi. Hoc autem ex ſequentibus palàm fiet. Nam quæ cauſæ belli perſici fuerint: aut unde id bellum ortum ſit: facile erit cuiuis perſpicere. Prima quidem fuit, Græcorum cum Xenophonte per tot indomitas nationes, & barbaras gentes in patriam reditus. in quo nemo barbarorum per tanta itineris ſpacia, totq; hoſtilium terrarum anfractus Græcis ſe opponere auſus fuit. Secunda, transfretatio Ageſilai Lacedæmoniorum regis in Aſiam. in qua cum nihil dignum, nihil uiribus ſuis aduerſum comperiſſet: ueluti triumphatis barbaris ob turbationes, quæ in Græcia exarſerant: retrogredi coactus eſt. His enim rebus Philippus rex Macedonum ignauiam, atque ſegnitiem Perſarum expertus, & ſimul fretus

ſua atq; Macedonum in rebus bellicis promptitudine, grandi præterea ſpe præmij allectus, cum primũ Græcorum ſibi beneuolentiam haud dubie conciliatam intellexit: ſumpta occaſione, ꝙ Perſæ in Græcos aſperrime ſæuiſſent: omni conatu bellũ contra eos mouit. Quapropter cauſæ quidem huius belli dicendæ ſunt, quas primo memorauimus: occaſiones, quas ſecundo loco diximus. principiũ autem transfretatio Alexandri in Aſiã. eius uero belli, quod ſub Antiocho contra romanis geſtum eſt: cauſa extitit indignatio Aetolorum. Hi enim, cũ in bello Philippi, ſicuti ſupra memorauimus, ſpreti atq; contempti fuiſſe à Romanis uiderentur: non ſolum Antiochum in ſubſidium adhibuerunt: ſed omnia & facere, & perpeti decreuere. tanta eorum animos ſuperioris temporis indignatio ceperat. occaſio uero fuit Græciæ libertas: ſub cuius ſpem finitimas ciuitates in ſententiam ſuam trahere conabantur. principium uero belli extitit nauigatio Antiochi ad Demetriadem. Verum nos quidem huius rei pluribus uerbis meminimus: non quo ueterum ſcriptorum aliquem inſectaremur: ſed ut ſtudioſorum utilitati conſuleremus. nam quemadmodum medici nihil prodeſſe ægrotantibus poſſunt: ſi morborum cauſas ignorant: ita qui circa res geſtas uerſantur: omni prorſus utilitate carent: niſi & loci, & temporis, & cauſarum, atq; occaſionum omnium ratio conſtet. Nihil igitur uel magis neceſſarium, uel tantopere quærendum: quàm cauſas rerum omnium, quæ accidũt, noſſe. ſiquidem ex opportunitate maxime interdum res oriri ſolent: facillimumq; eſt cuilibet rei in ipſo introitu obſiſtere. Atqui Fabius Romanus hiſtoricus eius belli, quod

li, quod Annibale duce inter Carthaginenſes, atq; Romanos exarſit: cauſam fuiſſe refert ſæuitiam, atq; crudelitatem Annibalis in Saguntinos: & Aſdrubalis ambitionem, ac immanem regni cupiditatem. Hunc enim inquit, cum imperium Carthaginenſium in Hiſpania mirifice auxiſſet: paulopoſt Carthaginem delatum, remp. eorum peſſundatis legibus conuertere in tyrannidem tentaſſe. Quod cum principes eius reip. intellexiſſent: facto inter ſe concilio ab Aſdrubale diſſenſiſſe. Quare motum Aſdrubalem relicta Africa confeſtim eſſe in Hiſpaniam reuerſum: resq; Hiſpanas in poſterum, uti propoſuerat, ſine authoritate ſenatus Carthaginenſiũ tractaſſe. Annibalem uero, ꝗ ab ineunte ætate ſub eo imperatore meruerat: eiuſdem planè conſilij fuiſſe, refert. Quocirca tunc Hiſpanienſium rebus potitum Aſdrubalis ueſtigijs planè inſtitiſſe. ex quo id bellum uoluntate ipſius eſſe cum Romanis exortum inuitis Carthaginenſibus. Siquidem neminem omni Carthagine fuiſſe, cui duntaxat ſalus reip. cura foret: qui facta Annibalis in Saguntinos non maxime improbarit. Hæc locutus, addit poſt captiuitatem Sagunti ueniſſe Carthaginem legatos romanis qui Annibalem in pœnam rupti fœderis depoſcerent. Quod ſi negaretur: bellum Carthaginenſibus indicerent. Si quis uero Fabium roget: quidnam uel opportunius, uel iuſtius, uel conducibilius eſſet Carthaginenſibus: quandoquidem ab initio (ut idem inquit) factum Annibalis ægre tulerant: quàm ipſum authorem culpæ & criminis reum poſcentibus Romanis ad piaculum tradere? atque ita communem patriæ hoſtem per alios ulciſci? ſtatumq; ci-

uitatis ſuæ quietum facere, authore bellorum eiecto: cum id duntaxat decreto fieri liceret? quidnam reſpondere poſſit? profecto nihil. At hi tantum abfuit ne quid tale agerent: ut decem & ſeptem annos in bello continue cum Romanis perſeuerauerint: neq; prius deſtiterint: q̃ omni ſpe nudati non ſolum in patriæ, uerumetiam in capitum ſuorũ diſcrimen deuenerint. Sed quorſum hæc de Fabio, & ſcriptis eius? Non quo fidem authori detrahamus: quandoquidem ſcriptorum ipſius uanitas facile per ſe ipſam legentibus apparet: uerum ut ſtudioſos eius hortemur: ne tam authoris antiquitatem, q̃ ipſam rerum geſtarum ſeriem animaduertant. ſunt enim nõnulli: qui non tam ſcripta ab authore, q̃ ipſum amplectuntur authorem: &, quia ille tempore, quo hæc gerebantur, uixit: ſenatuiq; Romano interfuit: nihil ab eo dici poſſe non uerum exiſtimant. Ego uero adhibendam quidem in multis huic authori fidem exiſtimo: haud tamen uſquequaq; credendum. ſiquidem res ipſæ, quæ, quales'q; fuerint, quomodo conueniant, conſiderandum. Cæterum ut eò reuertamur, unde diſceſſimus: cauſa quidẽ eius belli, quod Romani cum Carthaginenſibus geſſerunt: prima exiſtimari debet indignatio Amilcaris: cui Barcæ cognomen erat. fuit autem Annibalis pater. Hic enim in bello ſiculo haudquaquam à Romanis uictus eſt. nam exercitum omnem, cui præerat: iuxta Erycem ſingulari uirtute ſeruauit incolumem. Sed cum Carthaginenſes nauali prælio profligatos cerneret: tempori conſulendum ratus, pacem cum Romanis iniјt: nequaquam tamen indignatione depoſita. quin continue opportunitatem aliquam præſtolabatur: qua Romanos

ulciſci poſſet. & niſi turbulento mercenariorum mili-tum motu res Carthaginenſium uexari cœpiſſent: è ueſtigio bellum renouaſſet: ſed inteſtino malo impeditus rem in aliud tempus deſtulit. Romani uero periculum Carthaginenſium animaduertentes in mercenariorum diſſenſione, bellum eis minati ſunt. quod illi ut euitarent: nullam conditionem reſpuebant: ſicuti ſuperioribus libris oſtendimus: ſine quibus nec quæ in præſentia diximus: nec quæ relaturi poſthac ſumus, intelligi poſſunt. tandemq; cum Romani deſiſtere à propoſito aliter non uiderentur: conſilij, atq; ſubſidij inopes Sardinia eis ceſſerunt: tributoq;, de quo primo conuenerant: mil le & ducenta talenta addiderunt. quæ res ſecunda, & maxima cauſa extitit eius belli, quod poſtea ortum eſt. Amilcar enim, cum ad indignationem eius tertius quoque Carthaginenſis populi indignatio acceſſiſſet: ſimulatque extincto mercenariorum tumultu, res patriæ compoſitas, ſedatasq; intellexit: bellum in Hiſpania aggreſſus eſt: ſtudens hac ueluti præparatione uti ad bellum contra Romanos gerendum. Hæc uero tertia cauſa eius belli exiſtimari debet: ideſt felix Carthaginenſium in Hiſpania ſucceſſus. his enim aucti Carthaginenſium animi, audacius poſtea huic bello incubuerunt. quod autem Amilcar maxima cauſa extiterit ſecundi belli punici, quanquam decennio ante mortuus: multis quidem teſtimonijs comprobari poteſt. Sed ſatis in præſentia erit, quod ſequitur, referre. quo tempore uictus à Romanis Annibal relicta Africa curſum ad Antiochum direxerat: Romani conatum Aetolorum animaduertentes,

legatos ad Antiochum miſerunt: qui uoluntatem regis explorarent: & ſub ſpecie legationis apparatum eius ſpecularentur. Hi ſimul ac fauere Aetolis Antiochum intellexerunt: paratumq; inferre Romanis bellum: omnibus diebus aſſidui circa Annibalem fuere: ſtudentes eum aſſiduo colloquio ſuſpectum inuiſumq; regi facere. neque eos conſilium ſuum fefellit. quippe Antiochus tanta familiaritate reconciliatam ei cum Romanis gratiam exiſtimans, diu Annibalem ſuſpectum habuit. uerum interiecto tempore accidit, ut in conſilium uocatus à rege, liberiorem loquendi locum nactus ſit. Tunc commemoratis multis tandem, ueluti indignabundus in hæc uerba prorupit. Quo tempore, inquit, pater meus Amilcar exercitum in Hiſpaniam traiecturus erat: annum ætatis agebam ferè nonum. Tūc patre Ioui ſacrificante, altaribus adhærebam. At pater meus ſacrificijs rite peractis, ſecedere parumper ab aris cæteros iuſſit: meq; ſolum ad ſe uocatum perhumaniter, & blandienti ſimilis, an uellem in expeditionem duci? rogauit. qui cum id non ſolum libenter acceptaſſem: uerumetiam pueriliter deprecatus forem: pater capta dextra mea, & altari admota, uoluit, ut tactis ſacris iureiurando aſſererem: me, cum primum per ætatem liceret, hoſtem populi romani futurum. Itaq; quandiu hoſtis romanis eris ô rex: licet in tuto credas omnia: nec quicquam de Annibale ſuſpiceris. ſimulatq; uero uel fœdus cum Romanis percuſſeris: uel in amicitiam redieris: tunc noli expectare alium de me calumniatore: ſed ſtatim ueluti hoſtem populi Ro. cauendum puta. Semper enim quantum in me erit, illis ad-

uerſus ero. Hæc *cum intellexiſſet* Antiochus *& uere, & præ* dolore *ex animo ab* Annibale *dicta: confeſtim ſuſpitionem omnem*. Hoc *itaq; apertiſſimum teſtimonium eſt inimicitiarum* Amilcaris*, infeſtiq; aduerſus* Romanos *animi.* q̃q̃ *id ex ipſis rebus intueri liceat. eiuſmodi enim hoſtes populo romano reliquit* Aſdrubalem *filiæ ſuæ uirum, &* Annibalem *filium: ut nihil eis ad cumulum iniuriarum potuiſſet accedere.* Verum Aſdrubal *quidem morte interceptus, ſuum aduerſus* Romanos *animum oſtendere non potuit.* Annibali *uero tempora conceſſerunt, ut factus uoti compos paternum odium longe lateq; diffunderet.* Icirco *eos, qui in publicarum rerum adminiſtratione uerſantur: intueri hæc diligenter, & exactiſſimo ſtudio examinare decet: ne eos lateat animus illorum, cum quibus uel iunguntur fœdere: uel pace conciliantur: quando id cedentes tempori faciant: quando animo non ulterius ſæuiendi: quo ab ijs quidem, qui opportunitatem maleficiendi præſtolantur: cauere aſſidue poſſint: ijs uero, quos uel ſubiectos imperio ſuo, uel ueros amicos norint: quandocunq; res ferat, ſecure ac fideliter utantur.* Cauſæ *itaq; ſecundi belli punici hæ ſunt, quas hactenus diximus: principia uero: quæ mox referemus.* Carthagnenſes *grauiter, atq; iniquo animo ferebant iacturam ablatæ ſibi à* Romanis Siciliæ. *hanc eorum indignationem (ſicuti ſupradiximus) intercepta per fraudem inter motum* Africæ Sardinia*, & ſuperimpoſitum ſtipendium augebat. quas ob res, ſimulatq; imperium in* Hiſpania *auxiſſent: ultro arma iniecturi* Italiæ *uidebantur. mortuo autem* Aſdrubale*, cui poſt* Amilcaris *obitum ſumma imperij*

commiſſa fuerat: anteq̃ nouum ducem crearent: expe- ctare exercitus uoluntatem decreuerant. ut uero è ca- ſtris nuncius aduenit Annibalem ingenti omnium cla- more, atq; aſſenſu imperatorem appellatum: aduocata è ueſtigio concione, unanimi conſenſu electionem exer- citus confirmarunt. Annibal igitur accepto imperio ni- hil cunctandum ratus, exercitum in Olcadum fines, ueluti per tranſitum ducit. hinc diſcedens Carteiam ur bem, caput gentis eius obſidet: nec multis interiectis die bus expugnat. Quo metu perculſæ reliquæ ciuitates, ul tro ſe Carthaginenſibus dederunt. Exercitus uictor præ da onuſtus Carthaginem Nouam in hiberna deduci- tur. Ibi Annibal prædam omnem inter milites liberaliſ ſime partitus, mirifice omnium beneuolentiam ſibi con- ciliauit: nec paruam futurarum rerum militibus ſpem adiecit. Vere primo rurſus in Vacceos exercitum ducit. Ermandica mox potitur. Arbacalam uero ob magnitu dinem ciuitatis, & multitudinem, uirtutem'q; oppida- norum diu defenſam, poſt longam tandem obſidionem non ſine diſcrimine ui capit. Poſthæc repente in maxi mum periculum præter opinionem incidit: Carpetanis eum ex Vacceis regreſſum, præda'q; onuſtum adortis. quæ gens & ferocia, & multitudine hominum cæteros eius prouinciæ populos antecellit. Cum ijs etiam ſe con uixerant profugi ab Ermandica: quos Olcadum exu- les in eam ſententiam adduxerant. Quod ſi Carthagi- nenſes aperto prælio unà concurriſſent: profecto uicti, profligati'q; fuiſſent à Carpetanis. Verũ Annibal præ- lio abſtinuit: & callide hoſtibus cedens, caſtris ſupra ri- pam Tagi fluminis collocatis, equitibus præcipit: ut, cum

hoſtē aquā ingreſſum uiderint, adoriātur peditū agmen: in ripa elephantos præterea quadraginta diſponit. ita cum & flumen, & feras ueluti concertantes haberet: omnia ex ſetentia proceſſerunt. nam barbari metu ceſſiſſe Carthaginenſes rati, ſublato clamore paſſim in amnem ruunt. Quare magna pars eorum iuxta exitum fluminis abſumpta ab elephantis per ripam graſſantibus: & ad ſe delatos inaniter conculcantibus obtriti: pleriq; autem ab equitibus in ipſo flumine trucidati: quod eques corpore armisq; liber facilius per medios gurgites rem gereret: peditemq; uix uado fidentem infeſtaret. poſteriores, quibus regreſſus in ſuam ripam facilis erat: retrocedebant. cum tandem Carthaginenſes omnibus copijs amnem ingreſſi uniuerſos in fugam uerterunt. Erant autem Carpetani unà cum Olcadibus, atq; Vacceis ultra centum millia hominum. quibus ſuperatis, nemo trans Iberum fuit: qui poſtmodum reſiſtere Carthaginenſibus auderet: præter Saguntinos. Hos nondum bello infeſtare Annibal uoluerat: ne prius cauſam aliquam belli Romanis præberet: quod cætera omnia iuxta Amilcaris parentis admonitionem ſibi conſtantiſſime aſciuiſſet. Saguntini interea frequentes Romam nuntios mittebant, ſimul ſoliciti de rebus ſuis, & uelut præſcij futurorum: ſimul, ne Romanos laterēt felices Carthaginenſium in Hiſpania ſucceſſus. At Romani poſt multos, uarioſq; de eadem re nuntios tandem oratores in Hiſpaniam ad ſpeculandos actus Annibalis mittunt. Annibal ea tempeſtate peractis quæ concupierat, rurſus Carthaginem Nouam in hiberna ſeceſſerat. Vt primum uero

aduenisse legatos Romanorum nuntiatum eſt: ad ſe admitti iuſſit: & loquendi quæ uellent, poteſtatem fecit. Hi primo Annibali denuntiant: ut à Saguntinis abſtineat: eſſe enim ſocios populi romani: deinde, ne Iberum tranſgrediatur: id enim in fœdere cum Aſdrubale icto caueri. Quæ cum audiſſet Annibal: ut iuuenis, & bellico ardore feruens, quiq; facillime omnia per principes factionis ſuæ in ſenatu Carthaginenſi obtinebat: ac iam iam in bellum aduerſus Romanos exarſerat: legatis quidem reſpondet ueluti amicus Saguntinorum: increpans populum romanum: ꝙ nuper orta inter Saguntinos diſſenſione, cum ab ijs literas accepiſſent, ut ad componendas res legatos Saguntum mitterent: per iniuriam quoſdam è principibus ciuitatis interfeciſſent: quos ulciſci ſe uelle minatus eſt. eſſe enim hunc ueterem Carthaginenſibus morem: ne iniurias ſuorum inultas patiantur. Ex alia parte nuntijs Carthaginem miſſis, quid agere opus ſit conſulit: cum Saguntini ſocietate Romanorum freti pleriſq; Carthaginenſium oppidis grauis iniurias intulerint. Deniq; omnis inconſtantiæ, atq; indignationis plenus, & ardore belli gerendi fluctuans, nullam ueram rationem adducit in medium: inanes tantummodo, ac ratione carentes cauſas ſectatur. quod his accidit: qui uicti perturbationibus animi, officium deſerunt. nam quanto melius erat id dicere? Optimo quidem iure petere à Romanis Carthaginenſes: ut Sardiniam, ſtipendiumq́;, quod iam tot annis in ſumma eorum neceſſitate per iniuriam abſtulerant: reſtituerent. id ni facerent: bellum ſe eis indicturos. At nunc prætermiſſa uera cauſa, falſam hanc de Sagun-

tinis fingens, non ſolum præter rationem, uerumetiam per ſummam iniuriam moturus bellum uidetur. Legati Romanorum, etſi neceſſario ſuſcipiendum eſſe bellum intelligebant: Carthaginem tamen profecti, eadem illis quoq; denunciarunt. Verum Romani quidam non in Italia ſe, ſed in Hiſpania dimicaturos, Saguntumq́; ueluti monumentum ac receptaculum belli habituros ſperabant. Quamobrem ad id ſe parantes, componere primum res illyricas nitebantur: quippe intelligentes maximum ſe, ac diuturniſſimum bellum, & procul à finibus Italiæ habituros. Accidit per ea tempora: ut Demetrius Illyriorũ rex oblitus complurium populi romani erga ſe officiorum, cũ eos cerneret hinc Gallorũ, illinc Carthaginenſium terrore pulſos: oẽmq; ſuã ſpẽ in regibus Macedoniæ haberet: ꝙ particeps fuerat eius belli, quod aduerſus Cleomenẽ Antigonus geſſerat: oppida Illyrij, quæ ditioni Romanorũ ſubiecta erant, uaſtaret: urbes expugnaret: terminos in fœdere nõiatos trãſgrederetur: pleraſq; inſulas è Cycladibus diriperet: & quaſi tempeſtas quædam cuncta proſterneret. Quæ ubi Romani intellexerunt: uidentes florentem ea tempeſtate Macedonum principatum, componere omni ſtudio res illyricas in præſentia nitebantur: ſperantes id facile factu fore: ſéq; paucis diebus & Illyriorum inſcitiam caſtigaturos eſſe: & ulturos Demetrij ingratitudinem. Verum res longe aliter, q̃ ſperabant, euenit. nam dum tempus huiuſmodi rebus teritur: Annibal omnium ſpe celerius Saguntum capit. Quo factum eſt: ut bellum iam non in Hiſpania, ſed prope urbem Romam, & per omnem Italiam exardeſceret, Romani tamen hoc con-

ſilio freti, L. Aemylium in Illyrium cum exercitu miſere: qui res eius prouinciæ componeret. Anno primo centeſimæ & quadrageſimæ olympiadis Annibal Carthagine Noua cum omnibus copijs profectus, Saguntum petit. Ciuitas ea ultra Iberum ſita eſt radicibus montis, qui Hiſpanos à Celtiberis diuidit: circiter mille paſſus diſtans à mari. Cuius incolæ & copia terreſtriū fructuum, & multitudinis incremento, & uirtute militari cæteris Hiſpaniæ populis præſtant. Huius fines infeſto exercitu ingreſſus Annibal, peruaſtatis paſſim agris, ad obſidionē urbis omnis machinas adhibet: commodiſſimum rebus ſuis fore ratus: ſi ea per uim poteretur. Primum enim ablaturum ſe Romanis ſpē gerendi in Hiſpania belli animaduertebat. præterea, non paruum metum cæteris iniecturum. ex quo & ciuitates Hiſpaniæ, quæ iam in eius poteſtatem deuenerant: fideliores futuræ, & quæ adhuc in libertate uiuebant, è ueſtigio ſe dedituræ uidebantur. tertio, ꝙ ſe deinceps tuto ad reliqua progredi poſſe intelligebat: nullo hoſtili loco poſt ſe relicto. Præter hæc, ſperabat ſe ingentem pecuniam comparaturum: qua poſtmodū in rebus agendis uteretur: militum uero animos confirmaturum, ob ſummam utilitatem, quam quiſq; ex præda urbis caperet. poſtremo etiam beneuolentiam ciuium, qui Carthagini morabantur: ſibi conciliaturum, ob munera, quæ de manubijs ad eos miſſurus foret. His rationibus fretus, omni ſtudio obſidioni urbis inhæret: multitudinis animos nunc ira in hoſtes ſtimulando, nunc ſpe præmiorum accendit. interim ſe ipſum exemplum præbet, tum in conficiendis, admouendisq; ad mœnia machinis: tum

in adeeundis locis, ubi magis imminens periculũ oſtendebatur. omnia deniq; non ſecus agit: q̃ ſi nihil inter ſe, atq; militem intereſſet. Per hunc modum octo continuis menſibus animo & corpore fatigatus, tandem Saguntum ui capit. Vbi maxima pecuniarum copia parta, multiſq; captiuis in poteſtatem redactis, illam quidem in neceſſarios belli uſus, uti ſtatuerat, ſeruauit: hos uero inter milites pro dignitate cuiuſq; partitus eſt. reliquam autem ſuppellectilem dono Carthaginenſibus miſit. Quibus peractis, haudquaq̃ opinione ſua fruſtratus eſt: ſed omnia ei ex ſententia ſucceſſerunt. ſiquidem & militum animos promptiores in poſterum reddidit ad ſubeunda pericula: & Carthaginenſes ſibi obſequioſiores fecit: & ipſe maiorem rerum gerendarum facultatem ob partam pecuniæ ſummam adeptus eſt. Dum hæc agerentur: Demetrius Illyriorum rex cognito conſilio atq; apparatu Romanorum, confeſtim Dimaliam urbem præſidio, & commeatu diligentiſſime muniuit. In reliquis uero oppidis Illyrij, eiectis diuerſæ factionis hominibus, ſuos tantum manere paſſus eſt. ipſe electis ex omni exercitu ſex millibus ueteranorum, Pharum petijt. Inter hæc Aemylius conſul in Illyrium applicuit integris omnibus copijs. ubi cum animaduertiſſet: hoſtes forti ac conſtanti animo eſſe: q̃ ſitu ac munitionibus Dimale freti. irritum fore Romanorum aduentum opinabantur: eam primum urbem omni conatu cenſuit oppugnari debere: ratus, id quod euenit, ſi ea caperetur, facile reliquas perculſas timore in poteſtatem Romanorum uenturas. hortatuſq; milites, & admotis urbi ma-

chinis, Dimalam obſidet. qua intra ſeptem dierum ſpatium ui capta, adeo animos hoſtium fregit: ut repente ex omnibus illyricis ciuitatibus legati aduenerint, ſe ſe fidei Romanorum dedentes. Quibus in amicitiam receptis, ictisq; cum ſingulis pro cuiuſq; conditione fœderibus, exercitum uerſus Pharum mouet: ubi Illyriorum rex immorabatur. Hic, quoniam eam urbem & natura loci munitiſſimam eſſe intelligebat: & electorum ex omni numero militum præſidio firmatam: cómeatu præterea & cæteris rebus ad bellū neceſſariis abundantē: ne difficilis, & perq̃ diuturna futura eſſet eius obſidio, uerebatur. quamobrem diu conſilij anceps tandem hanc uiam ingreditur: Facto per noctem in inſulam curſu, magnam partem copiarum intra ſyluam denſiſſimis obſitam arboribus collocat. ipſe orto iam die cum uiginti nauibus palàm propinquum urbi portum ingreditur. Illyrij naues hoſtium conſpicati, ac earum numero contempto, denſo agmine procurrunt ad portum: ut Romanos à littore arceant. ubi inito cum illis certamine, acriter aliquandiu dimicatur: multis continue ex urbe in ſubſidium ſuorum exeuntibus. tandemq; omnis in eum locum ciuitas confluxerat. Tum Romani, qui in propinqua ſylua noctu delituerant: audito clamore, per loca abdita tempeſtiue eodem concurrerunt: occupatoq; colle, qui intra urbem & portum natura munitiſſimus erat: reditum hoſtium in urbem prohibent. quod animaduertentes Illyrij, inceptum arcendi hoſtes conſilium deſerunt: atque omnes in unum congregati ſe inuicem hortantur, uelu ti ex compoſito cum his, qui collem occupauerant,

conflicturi. Romani uero iam appropinquantes Illyrios conſpicati, inſtructis aciebus eos aggrediuntur: atq; alacres capeſſunt prælium. iam etiam pars altera à nauibus aderat: hoſteſq; premebat à tergo. Ita undiq; concurrentibus Romanis, Illyrijs uero non ſolum à fronte, uerumetiam à tergo laborantibus, diu atrociter pugnatur. Tandem uictoria penès Romanos fuit. Illyriorum maxima pars cæſa. pauci ſe intra urbem receperunt: reliqui in deſerta inſulæ profugere. Demetrius ad Lembos, quos fugæ gratia, ſi qui tale accideret, tribus in locis parauerat: clã perlatus, inſequenti nocte præter opinionem omnium ſaluus euaſit. profectuſq; ad Philippum Macedoniæ regem, reliquum ætatis ſuæ apud eũ egit: uir alioquin audax, atque robuſtus: ſed temere, ac parum conſiderate in rebus bellicis ſe gerens. quapropter exitum quoq; talem habuit: qualis ante acta eius uitæ fuerat. nam cum ex ſententia Philippi Meſſeniorum urbem oppugnare cœpiſſet: nimia audacia profuſus turpiſſime ab hoſtibus interfectus eſt. Verũ quæ de his particulatim dicenda erunt: cum ad ea tempora uentum fuerit, diſſeremus. Aemylius Pharo repente potitus, urbem funditus euertit. hinc reliquis Illyrij ciuitatibus intra paucos dies imperio romanorum additis, rebuſq; omnibus, uti ſtatuerat, in prouincia compoſitis, ineunte iam autumno Romam reuerſus eſt: ubi cum ſumma gloria receptus triumphauit: iudicatus ab omnibus non ſolum prudenter, uerum etiam fortiſſime egiſſe. Cum interea nuncius de excidio Sagunti Romam perueniſſet: haudquaquam de bello inferendo eſt inter patres conſultum: ut quidam ſcripſere, addentes rationes & cauſas,

quæ animos eorum in utranque partem impellebant. quo quid inconſtantius dici poteſt? quomodo enim credibile eſt: ut, qui proximo anno bellum Carthagnenſibus denuntiarant, ni Saguntinorum finibus abſtinerent: iidem nunc capto per uim Sagunto, an ſit cum Carthagineſibus belligerandum, an contra bello abſtinendum, inter ſe conſulant? quid uero minus credibile? quàm ex una parte ſenatum, perinde ac ſi de ſumma rerum dubitaret: triſticia, atq; mœrore incredibili affectum? ex altera uero pueros omnes, qui duntaxat duodecimum annum trangreſſi eſſent: in ſenatum à parentibus perductos, & conſiliorum omnium participes, nihil unquam cuiquam ſecretum aperuiſſe? Hæc profecto neq; uera ſunt, neq; ueriſimilia. Sed de huiuſmodi ſcriptis, qualia ſunt Chereæ, & Solyli: ſatis. non tam enim hiſtoriæ, quàm fabulæ anicularum uidentur: & iis ſimiles: quæ in tonſtrinis memorari ſolent. Romam nuncio capti Sagunti, ſociorumq; indigne peremptorum accepto, extemplo legatos Carthaginem mittunt, duo denunciaturos: quorum alterum ignominiam pariter, ac detrimentum allaturum Carthagnenſibus uidebatur: alterum uero in ſummum diſcrimen imperium eorũ adducturum. Petebant enim: ut uel Annibalem in pœnam rupti fœderis ſenatui traderent: uel bellum ſibi à populo romano indictum ſcirent. Legati, poſtquam Carthaginem uenerunt: datuſq; eis eſt ſenatus: non ſine Carthagnenſium indignatione iuſſa patrum expoſuere. quo peracto, Carthagnenſes elegerunt Annonem, qui de iure ſuorum diſſereret. Is primo fœdus Aſdrubalis ueluti nunquam cum Romanis ictum præterire: deinde etiam, ſi ictum fuerat: non

teneri eo Carthagnenſes aſſerere: q abſq; authoritate ſenatus, & populi iuſſu ab Aſdrubale priuato arbitrio ictum extitiſſet. Ad id adducere Romanorum exemplum: q fœdus à Luctatio conſule in Sicilia ictum, quia id ſine authoritate populi romani factum erat: infringi debere iudicauerint. Deniq; in hoc uno fœdere per totam orationem inſiſtere: id ſæpius lectitare: in eo nullam de Ibero factam eſſe mentionem, aſſerere: ſed tantummodo de ſocijs utriuſque populi caueri. hoc uero ad Saguntinos nihil attinere: quippe qui tempore icti fœderis nondum erant ſocij Romonorum. Legati eam de iure fœderum diſceptationem ut alienam à dignitate populi romani atroci oratione reſpuerunt: dicentes, eam facile tolerari poſſe: ſi res Saguntinorum integra foret. nunc uero exciſa Sagunto, uiolatisq; iniquiſſime fœderibus, uel patratorem ſceleris Romanis dedant: quo manifeſtum omnibus ſit: Saguntum publico Carthagnenſium conſilio minime oppugnatum: uel, ſi id nolint: conſilioq; eorum expugnatam urbem fateantur: ſe ad bellum parent. Hic ſermonum finis fuit. Verum nobis quidem neceſſarium uiſum eſt haud tacitam hanc partem præterire: ne uel eos, qui in rebus gerendis uerſantur: quorumq; intereſt hæc exactiſſime conſiderare: in rebus maxime neceſſarijs lateat ueritas: uel diſcendi cupidi inſcitia atq; errore ſcribentium decepti labantur: ignoratis fœderibus, quæ ab initio primi belli punici uſque in noſtram ætatem inter Romanos, ac Carthagnenſes acta ſunt. Primum igitur fœdus inter utrunq; populum initum eſt ſtatim poſt eiectum urbe regũ nomen, L. Iunio Bruto, & M. Vale- NB.

on est veri ſimile L. I. Bruto et M. Valerio Coss.
dus tale inter Romanos et Carthaginenses ictum
le Polybius exponit. Quo modo eâ tempestate
nani vix in Italiâ meridionali bene cogniti.

rio conſulibus. Sub quibus etiam Ioui Capitolino templum dicatum, duo detriginta annis ante primam Xerxis in Græciam transfretationem. quod quanto diligentius fieri potuit, interpretati ſumus. Tanta enim facta eſt mutatio romanæ linguæ ab ea tempeſtate in hodiernum diem: ut etiam qui antiquitatis peritiſſimi ſunt: pleraq; non niſi difficulter intelligant. In fœdere igitur hæc ferè continentur. Amicitia eſto populo romano, carthaginenſiq;: item Romanorum Carthaginenſiumq; ſocijs. Romani, ſocij'ue Romanorũ ultra promontoriũ Pulchri non nauiganto, niſi uel intempeſtatis, uel hoſtili impetu coacti. ſiquis ob huiuſmodi cauſas eò applicuerit: nihil emito: nihil'ue ſumito: niſi quantum ad ſacra, uel ad nauigia opus ſit. Intra diem quintum inde abito. Iis, qui mercimonij gratia aduenerint: immunitas eſto: præter ſcribam, & præconem. Quotcunq; præſentibus his in Africa, uel Sardinia uenum ierint: de his publica fides eſto. Si quis Romanorum in Siciliam uenerit: ubi Carthaginenſes imperent: æqua omnia ſunto. Carthaginenſes iniuriam non inferunto Ardeatibus, Antiatibus, Aricenis, Circeis, Terracinenſibus, alijs'ue Latinis: quotcunq; imperio populi romani parent. Si qua ciuitas non pareat: aliena eſto. Si Carthaginenſes cæperint: populo romano integram reddunto. Præſidiũ in Latio nullum ædificanto. ſi perduelles prouinciam ingreſſi fuerint: non pernoctanto. Huiuſmodi ferè primum fœdus fuit. Promontorium uero Pulchri Carthagini adiacens ad Aquilonem uergit. Vltra hoc meridiẽ uerſus nauigare Romanos, Carthaginenſes non permiſerunt: ea cauſa: (ut mihi quidem uidetur) ne in eorum

notitiam

in Siciliam aut ad pulchrum promontorium i[...]
potuissent? Ex altera parte quo modo urbe Rom[a]
a Gallis exusta, exemplar huius foederis ad
Polybii aevum durare potuit? Omnibus fere
monumentis flamma consumptis?

notitiā uenirent loca ſyrtibus propinqua: quæ illi propter fertilitatē regionis Emporia appellantur. Si quis uero intempeſtatis, uel impetu hoſtium huiuſmodi loca applicuiſſet: nihil ſumere licebat: præter ea tantummodo: quæ uel ad inſtaurandas naues, uel ad ſacrificia opus forent. cæteris prorſus abſtinebant: atq; intra quintum diem inde abire cogebantur. Carthaginem uero, & ad cætera Africæ loca, quæ cis promontorium erant: item in Sardiniam, atq; Siciliam, ubi Carthaginenſes imperabant: nauigare mercimonij gratia licebat: dátaq; ijs à Carthaginenſibus de ſeruando iure publica fides erat. Verum in hoc quidem fœdere Carthaginenſes uidentur de Sardinia, atq; Africa ut de proprijs prouincijs ſermonem facere: de Sicilia autem longe ſecus. addunt enim: in eam Siciliæ partem: ubi Carthaginenſes imperent. Eodem modo Romani de Latio fœdus ineunt: de reliqua uero Italia nullam faciunt mentionem: quod nondum ſub imperio foret ipſorum. Poſt hæc aliud fœdus initum eſt: in quo additi ſunt Tyrij, et Uticenſes. Cuius fœderis uerba hæc fuere. Amicitia eſto populo romano, ſocijſq;, et Carthaginēſibus, Tyrijs, atq; Uticenſibus, eorumq; ſocijs. Romani, ſocij'ue Romanorum ultra promontorium Pulchri nec prædæ, nec mercaturæ gratia nauiganto. Si quod oppidum in Latio Carthaginenſes ceperint: quod populo romano non ſit ſubiectum: prædam omnem ipſi habento: oppidum Romanis reddunto. Si qui captiui abducti fuerint ex libero populo: qui cum fœdus populo romano ſit: in portum populi romani non adducito. Si quis adductus fuerit: atque à Romanis deprehendatur: dimittito. Idem Ro-

mani in locis, ubi Carthaginenſes imperant: faciunto. Si aquam, uel commeatum ſumpſerit Romanus: iniuriam non inferto quibus amicitia, fœdus'ue cum Carthaginenſibus fuerit. Si fecerit: publica iniuria eſto. In Sardinia, atq; Africa nulli Romanorum, ſociorum'ue negociantor: ne'ue oppidum poſſidento: nihil emunto: præter res ad ſacra, & ad nauigia neceſſarias. Si quas naues eo tempeſtas detulerit: intra quintum diem abeunto. In Sicilia, ubi Carthaginenſes imperent: item Carthagini, Romani omnia faciunto, negociantor'q;: quæ facere, negociari'q; ciuibus Carthaginenſibus licet. Idem Romæ Carthaginenſibus ius eſto. In hoc quoq; fœdere Carthaginenſes Sardiniam quidem, atque Africam ſuas prorſus oſtendere uidentur: Siciliæ uero duntaxat eam partem: quæ ipſorum imperio pareat. A Romanis etiam cautum: ne Carthaginenſes iniurias inferant Ardeatibus, Antiatibus, Circeijs, terracinēſibus, cæteris'q; Latij ciuitatibus. de reliqua uero Italia nulla mentio facta eſt. Poſt hæc tertium fœdus inter Romanos, ac Carthaginenſes ictum eſt: tempore quo Pyrrhus Epyrotarum rex in Italiam traiecit, ante initium primi belli punici. In eo fœdere eadem, quæ in ſuperioribus, comprehendūtur: deinde adijciuntur hæc. Si cum Pyrrho fœdus percuſſerint: curato uterque populus: ut auxilium ferre alterutri liceat ijs, quibus bellum infere-tur. Si Carthaginenſes, ſocij'ue auxilium Romanorum implorabunt: nauigia præbento ad traijciendum, belli-gerandumq;. Si Romani, ſocij'ue Romanorum poſtulabunt: mari Carthaginenſes opitulantor. In terram uero ut deſcendant, nemo compellito. Suus quiſq; ſtipendia ſol-

uito. In primo fœdere iuſiurandum ita factum accepimus. Primum Carthaginenſes deos patrios iurati ſunt. deinde Romani per lapidem ſecundum uetuſtiſſimum ritum, Martis, Quiriniq; numinibus additis, iuſiurandū præſtiterunt. Ritus uero lapidis fuit huiuſmodi. Fœcialis ſumpto in manibus lapide, poſtquam de fœdere inter partes conuenerat: hæc uerba dixit. Si recte, ac ſine dolo malo hoc fœdus, atq; hoc iuſiurandum facio: dij mihi cuncta felicia præſtent. ſin aliter aut ago, aut cogito: cæteris omnibus ſaluis in proprijs patrijs, in proprijs legibus, in proprijs laribus: in proprijs templis, in proprijs ſepulchris, ſolus ego peream: ut hic lapis è manibus meis decadet. Nec plura locutus, manu lapidem deiecit. Hæc cum ita ſint, & in hodiernum diem tabulis æneis inſcripta conſpiciantur in templo Capitolini Iouis: ubi ab ædilibus diligentiſſime cuſtodiuntur: quis non magnopere admiretur: Philinum hiſtoricum, non ꝙ hæc ignorauerit: (nam multi noſtra quoq; ætate Romanorū, Carthaginenſiūq; antiquiſſimi: quiq; huiuſmodi rerum ſtudioſiſſimi ſemper fuerunt: hæc ignorant) ſed ꝙ his planè contraria ſcribere fuerit auſus? contineri enim in fœderibus ait: ut Romani omni Sicilia, Carthaginenſes uero omni Italia abſtinerent: ic circoq; Romanos in prima transfretatione in Siciliam fœdus ac iuſiurandum tranſgreſſos: cum nihil tale ſcriptum extet. Hæc enim in ſecundo libro aperte Philinus ſcribit. quæ nos breuiter in primo libro commemorata in hunc locum reſeruauimus: ut de his particulatim diſſereremus: rati id uel maxime neceſſarium fore: ne quis errorem Philini ſecutus, à ueritate

deflecteret. Quod ſi qui transfretationem Romanorum in Siciliam ideo reprehenſione dignam cenſuerint: quod Mamertini ab iis in amicitiā recepti, præſidiumq; non longe poſt in ſummo diſcrimine laborantibus miſſum fuerit: cum paulo ante Meſſanam primo, deinde etiam Regium, opulentiſſimas Siciliæ ciuitates crudeliſſime diripuiſſent: fortaſſe id non immerito fecerint. quod uero præter fœdus ac iuſiurandum in Siciliam traiecerint: non niſi ignari hominis eſſet aſſerere. Finito in Sicilia bello aliud fœdus ictum. cuius hæc ferè ſumma fuit. Excedere Carthaginenſes non ſolum omni Sicilia, uerum etiam inſulis omnibus, quæ inter Siciliam, atq; Italiam forent. Vtriuſq; ſocios apud utrunq; populum tutos eſſe: neutrum in alterius locis imperare: aut ullū munimentum ædificare: aut mercenarium militem conducere: alterius ſocios neutrum in amicitiam recipere. Carthaginenſes duo millia & CC talenta in annos X pendere: in præſentia mille: captiuos præterea omnis ſine precio Romanis reddere. Rurſus cum bellis Africano acriter infeſtarentur: Romani indicto
* eis bello, ut nouum fœdus inirent, coegerunt. in quo continebatur: ut Carthaginenſes Sardinia excederent: ſtipendioq; mille & CC talenta adderent. Poſt hæc omnia, ultimum fœdus in Hiſpania cum Aſdrubale ictum. in quo cauebatur: ne liceret Carthaginenſibus Iberum flumen armatis tranſire. Hæc ſunt igitur fœdera: quæ inter romanum, & carthaginenſem populum inita ſunt ab initio uſque ad ſecundum bellum punicum: quod Annibale Carthaginenſium duce geſſerūt. Verum enimuero quemadmodum in transfretatione Si=

aliæ non uiolatum à Romanis iuſiurandum oſtendimus: ita poſt hæc p̃ ſummam iniuriam indictum Carthaginenſibus à populo Ro. bellũ, facile quiſq; perſpexerit, tum: cum fœdus de Sardinia percuſſerunt. ſiquidem nulla ratio eius belli aſſignari poteſt. ſed manifeſte deprehenditur: Carthaginenſes præter omniũ fœderum iura, iniquitate temporũ coactos & Sardinia exceſſiſſe, & auxiſſe ſtipendia. Nam quod Romani diſſimulant: ſe propterea id facere compulſos: q̃ mercatores ſuos mari infeſtaſſent: iam antea diſſolutum erat: captiuis oĩbus à Carthaginenſibus ſine pretio reſtitutis. Quibus de rebus quando ea, quæ particulatim dicenda erãt, ſuperiori libro memorauimus: nunc ad ſecundi belli punici cauſas ueniamus: atq; utri populo aſcribendæ ſint, p̃ſcrutemur. Carthaginenſes igitur reddebant eas, quas ſupra retulimus, cauſas. Romani ob indignationem excisi Sagunti nullas in præſentia referebant. hæ uero ſunt, quæ apud eos & ſæpenumero, & à multis adduci ſolent. Primo quidem non fuit fœdus Amilcaris cũ Luctatij fœdere comparandũ: ut Carthaginenſes dicere auſi. ſiquidem & in Luctatij fœdere additum: ita id ratum fore: ſi populus cenſuiſſet: in fœdere Aſdrubalis nec exceptum tale quicquam fuit. Atqui in hoc cautum: ne liceret Carthaginenſibus Iberum tranſgredi: in illo: ut ſocij utriuſq; populi tuti forent. quibus uerbis non ij tantum comprehenſi: qui tunc eſſent. additum enim in fœdere fuiſſet: uel, ut neutri liceret nouos ſocios aſciſcere: uel, ut nouiter in ſocietatem aciti fœdere non comprehenderentur. hoc uero nemo ſane mentis affirmarit. nam præterq̃ q̃ ante id tempus obſeruatum ſemper fue-

rat:ne qui eorum etiam, qui nouiter in ſocietatem recē pti erant, iniuria afficerentur: quis credat: duos potentiſſimos populos priuari ſe uoluiſſe libertate uel recipiē di in amicitiam, quos uellent: uel receptos in fidem defendendi? enimuero intentionem eorum in fœdere ineundo hanc in primis fuiſſe reor: ut præſentes ſocij tuti forent: nec recipi in ſocietatem ab alterutro poſſent: nouorum uero ſociorum gratia prouiſum: ne mercenariū militem conducere, ne imperare quicq̃ in alterius prouincia liceret: omnesq́; apud utrunq; populū tuti eſſent. Hæc cum ita ſint: illud quoq; manifeſtum eſt: Saguntinos compluribus annis ante Annibalis ætatem fidei Romanorum commendatos fuiſſe. Cuius rei uel maximum argumentum ne à Carthaginenſibus quidem negari poteſt: ꝙ Saguntini orta intra ciuitatem ſeditione, non ad Carthaginenſes, q̃q̃ finitimos, & iam ſummam in Hiſpania obtinentes, ſed ad populum Ro. ſe uerterunt: quo authore ciuilis diſſenſio ſedata, atq; reſtincta eſt. Si quis igitur excidium Sagunti cauſam huius belli fuiſſe dixerit: idem Carthaginenſes per iniuriam bellum geſſiſſe cum Romanis, fateatur neceſſe eſt, tum ex fœdere Luctatij: in quo continebatur: ne quis alterius ſocijs iniuriā inferret: tum ex fœdere cum Aſdrubale icto: quo cautum: ne Carthaginenſes Iberum flumen armati tranſirent. ſi uero propter ablatam Sardiniam, auctum'q; ſtipendium exarſiſſe eos in id bellum exiſtimet: profecto non immerito id ab illis factum uidebitur: qui expectata opportunitate temporis ulciſci ſe uoluerint. Sed non deerunt fortaſſe: qui hæc parū conſiderantes, me ſupuacuo cenſeant huiuſmodi rationes adeo diligenter inquirē

re. Ego uero ita ſentio: ſi qs omnibus neceſſarijs ita inſtructus ſit: ut nulla re extrinſecus egeat: huic iucundã quidẽ, nõ tamen fortaſſis neceſſariã fore præteritarum rerũ cognitionẽ. ſi qs aũt id neq; in priuatis, neq; in publicis rebus affirmare auſit: cũ hõ ſit: ac præſentẽ felicitatẽ, ut ſunt res humanæ fluxæ atq; inſtabiles, labi poſſe intelligat: nonmodo iucundã: uerũetiam neceſſariã rerũ geſtarũ pitiã dixerim. Etenim quo pacto qſpiã uel illata ſibi, aut patriæ iniuria, ſocios, atq; adiutores ad eã propulſandã inuenerit? uel nouis rebus ſtudẽs, alios in ſententiã ſuã traxerit? uel proſpere cedẽtibus cũctis, ſuorũ aios recte confirmauerit? niſi ut ſingula quæq; a maioribus noſtris geſta ſint, cognitum, perſpectumq; habuerit? Ita.n. in rebus præſentibus paratus ſemp, atq; inſtructus ea loqui, atq; agere poterit: quibus & conſilia cunctorum intelligantur: & ueritas oibus pateſiat. præteritæ quippe res optima gerẽdarum rerũ documenta ſunt: facileq; nobis oſtendũt uniuſcuiuſq; rationes, conſilia, machinas: qd nobis gratiã, opẽ, beneficium parere poſſit: qd queq; aduerſus nos mouere: qd ad miſericordiã, qd ad indignationem, qd ad iuſtitiã atq; æquitatẽ impellere. quæ oia & publice, & priuatim plurimũ in uita mortaliũ momenti habẽt. Quapp ego qdẽ ita cenſeo: ſcriptores hiſtoriarũ, eoſq;, q in earum lectione uerſantur: nõ tam res geſtas, q̃ qd eas ſequatur, atq; antecedat, aĩaduertere oportere. nam ſi qs ex hiſtoria tollat, qd, qũo, cuius gratia actũ ſit: q finis fuerit: quod ſuperit, ueluti cõtentio quædã, nõ doctrina erit: & in præſentia qdem iucunditatis fortaſſe aliquid, in poſterum uero nullam prorſus ad uitam humanam utilitatẽ afferet.

At enim dicent aliqui, nec facile haberi huiuſmodi hiſtoria, nec ullo modo perſpici atq; uideri poterit, ob multitudinem, magnitudinem'q; librorum. Verum hi quidem ignorant, quanto facilius ſit habere, atq; perdiſcere quadraginta libros recte in ordinem digeſtos: ubi res Italiæ, Siciliæ, Africæ à transfretatione Pyrrhi in Italiam, uſq; ad captiuitatem Carthaginis, cæterarum uero orbis partium à fuga Cleomenis uſq; ad bellum Romanorum cum Achæis iuxta Iſthmum comprehenſæ ſint: q̃ tot particularium hiſtoriarum uolumina uel tenere, uel legere. nam præterq̃ ꝙ & numero, & magnitudine librorum noſtra ſuperant: difficile eſt quicq̃ apud eos certi comprehēdere: primo, ꝙ non idem omnes de iiſdē rebus ſcribunt: tum, ꝙ res ſimul geſtas prætereunt: quæ ſi inuicem conferantur: longe clarius diſcerni ueritas poteſt: deniq;, ꝙ id, quod maxime proprium eſt hiſtoriæ: ne attingere quidem poſſunt: hoc eſt ea, quæ res geſtas præceſſerunt: quæ'q; ſecuta ſunt: & præſertim quæ ad cauſas attinent. Nos autem ita bellum Antiochi conſideramus: ut à philippico cauſam ſumpſit: philippicum: ut à punico: punicum: ut à Siculo. ubi, quæcunq; interea rerum ſunt geſta: & ad idem caput referri poſſunt: diligentiſſime rimantur. quæ omnia apud eum quidem, qui uniuerſalem hiſtoriam ſcribat: facile intelligere licet: apud eos uero, qui de particularibus bellis diſſerunt: utputa perſico, aut philippico: impoſſibile: niſi forte aliquis ex uno certamine totius belli ſummam ſe putet poſſe intelligere. quod fieri non poteſt. Itaq; quanto præſtat didiciſſe aliquid perfecte, q̃ id tantummodo audiuiſſe: tanto hiſtoria noſtra particularibus bellorum

deſcriptionibus præſtantior exiſtimanda eſt. Cæterum ut ad id, unde in hoc diuerticulum exceſſi, reuertar: legati romanorum ubi terguerſantes Pœnos animaduertêre: nullum amplius uerbum fecerunt. ſed qui inter eos natu grãdior erat: ſinum è toga factum ſenatui oſtendens, hic, inquit, uobis bellum, pacemq; portamus. utrũ placet ſumite. Sub hanc uocem non minus ferociter, daret utrum uellet, ſucclamatum eſt. cumq́; is, excuſſo in media curia togæ gremio, non ſine horrore, quaſi plane id in ſinu ferret, bellum ſe effundere dixiſſet: accipere ſe, alacri uultu omnes reſponderunt. Interea Annibal Carthagini Nouæ in hibernis erat: militibusq́;, ſi qui forte ſuos inuiſere uellent: redeundi in patriam poteſtatem fecerat: quo poſt tot labores exhauſtos corpora, animosq́; ad omnia deintegro patienda renouarent. præterea fratrem Aſdrubalem inſtruit: quo pacto Hiſpaniã, ſi eum decedere prouincia oporteret: regere, tueriq́; ab omni populi romani conatu debeat. Dehinc Africam quoq; ualido præſidio firmat: aduocato ex Hiſpania ſupplemento. nam afrum militem in Hiſpaniam acciuerat: callide nimirum partitus copias: ut Afri in Hiſpania, Hiſpani in Africa ueluti mutuis pignoribus obligati meliores eſſent. In Africam mittit equites mixtos ex multis gentibus mille ducentos: pedites ad XIII millia octingentos quinquaginta: præter hos etiam Baleares funditores octingentos ſeptuaginta. horum maiorem partem diſtribui per Africam iubet: reliquos Carthagini præſidio eſſe: ſimul aduocari ex interioribus ciuitatibus delectæ iuuentutis peditum quatuor millia: eos non tam præſidium, q̃ obſides Carthaginem duci. In Hiſpania

uero Aſdrubali fratri quinqueremes quinquaginta reliquit, quadriremes duas, triremes quinq;: ſed aptas inſtructaſq; remigio duas & triginta quinqueremes, triremes quinq;. addit deinde eqtes lybiphœnices, mixtum punicum Afris genus, circiter quadringentos quinquaginta: Ilergetes trecentos: Numidas, Mauroſq; accolas Oceani ad mille octingentos: pedites autem ex Africa XI millia octingentos quinquaginta. Ex Lyguribus trecentos: ex Balearibus quingentos: &, ne quod terreſtris auxilij genus deeſſet: elephantos unum & uiginti. Nec admirari quiſpiā debet: ſi non minori diligentia hæc à nobis memorātur: q̃ ſi ab imperatore exercitus cenſus militum fieret: neq; nobis ſuccenſere: ꝙ mendaciū inſtar minuta quædā ac leuia ſectemur: quo facilius ſcriptis noſtris adhibeatur fides. Nos enim, cū apud Lacinium tabulā æneam conſpexiſſemus, in qua huiuſmodi deſcriptio erat: poſitā in eo loco ab Annibale, quo tpe per Italiam graſſabatur: adhibendā ei omni ex parte fidē duximus. ideoq; hanc ſuimus in præſentia ſecuti. Annibal, cum rebus Africæ, atq; Hiſpaniæ prouidiſſet: reditum eorum præſtolabatur: quos ad ſciſcitandos Gallorū aīos, quà traducendus erat exercitus, miſerat. nam qa & fertiliſſimam eſſe eā regionem intelligebat: & multitudinem hoīum refertam: qui uirtute atq; experiētia in rebus bellicis plurimum pollerent: eſſentq; ob bellū gallicum, quod ſupiori libro huius rei gratia memorauimus: populo Ro. infenſiſſimi: præmiſerat eò qui illorū animos donis conciliarent: & tranſitum Alpiū ſpecularentur. ſperabat enim bellum ſibi duntaxat in Italia gerendū: ſi per anguſtos Alpium ſaltus fauentibus Gallis

incolumem traducere exercitum poſſet. Reuerſis itaq; nuncijs, ubi expectationem, ac deſyderium Gallorum intelligit: tranſitumq; Alpium difficilem ſanè, ac laborioſum, non tamen uſquequaq; inaceſſum eſſe: inſtante iam uere, copias ex hibernis aduocat. Allatum per idem tempus de his, quæ Carthagini geſta erant, ad eũ nuncius indignationem eius aduerſus Romanos auxerat: ſpem uero de fide ac beneuolentia ſuorum mirifice confirmauerat. Itaq; quamprimum copiæ omnes in unũ conuenerunt: Annibal aduocata concione, non iã occulte, ſed palàm milites uarijs adhortationibus ad bellum contra Romanos incitat. ut ipſe paulo ante, ut cæteri Carthaginenſium duces, ob expugnatum Saguntum poſtulati ad ſupplicium fuerint, edocet. fertilitatem, opeſq; prouinciæ, ad quàm profecturi ſint: præterea amicitiam, atq; ſocietatem Gallorũ oſtentat. Quibus dictis cũ animos oĩum alacres, & nihil magis, q̃ diſceſſum expectantes aĩaduerteret: fidem ac uirtutem eorum laudat: dieq; profectionis indicto, concionem dimittit. Paratis interea oĩbus, quæ ad iter neceſſaria erant: ut primum ſtatutus dies aduenit: cum nonaginta millibus peditum, eqtum XII millibus profectus, Iberum traiecit. nec multis īteriectis diebus Ilergetes, Barguſios, Auſetanos, Aqtaniã, cæteraq; uſq; ad Pyreneũ montẽ oppida ſubegit: ut oĩum opiniõe celerius: ita nõ ſine multis atq; atrocibus prælijs, ac plurimorum militum cæde. Ore huic omni præfecit Hannonem: quẽ Barguſijs etiam dominum conſtituit: q᷉ magis huic populo diffideret: ob amicitiam, qua aſtricti cum Romanis erant. decem millia peditum Hannoni ad præſidium tuendæ regionis dedit:

& equites mille. omnia eorum, qui cum Annibale proficiſcebantur: impedimenta eidem reliquit. Totidem ferè ex Hiſpanis militibus domum remiſit: tum quia grauari eos longinquitate uiæ, inſuperabiliq; Alpium trãſitu ſenſerat: tum ut cæteris quoq; præberet ſpem in patriam quandoq; reuertendi: nec minus ut hoc uidentes Hiſpani, quos domi reliquerat: alacriori animo, ſi quando ſupplementi uſus foret: in Italiam proficiſcerentur. Ipſe cum reliquis copijs numero CCCCC millibus peditum, equitum ferè nouem millibus, Pyreneum tranſgreſſus, ad proximum Rhodani hoſtium tendit, non tam multitudine, q̃ uirtute militum ſtipatus: utpote qui triũ & uiginti annorum duriſſima militia inter Hiſpanas gentes exercitati uictores ſemper extiterant. Verum ne ob ignorationem locorum hæc pars obſcurior foret: referendum breuiter cenſuimus unde diſcedens Annibal, quibus, quantiſq; locorum ſpacijs ſuperatis, quas Italiæ partes ingreſſus fuerit: neq; ipſas locorum appellationes adiecimus: ut quidam hiſtorici faciunt, putantes ita prorſus rem omnem perfecte intelligi: ſi nomina locorum in notitiam uenerint. Atqui ego quidem ita cenſeo: in relatione locorũ, quorum cognitionem habemus: plurimũ momẽti nomina afferre: & ut facilius intelligantur res ipſæ: & pertinacius memoriæ hæreant. ubi uero loca ipſa ignota ſunt: ſimilem eſſe appellationem eorũ ijs uocibus: quæ, præterq̃ ꝙ aures percutiunt, nullam prorſus ſignificationẽ habent. ita fit ut, cum mens noſtra nihil omnino ex eo nomine comprehendat: neq; id referre ad aliquid ſibi cognitum poſſit: uana penitus, atq; inutilis narratio fiat: quamobrem inueſtigandus

modus eſt: quo de locis incognitis loquentes, quatenus li ceat, auditores in notionem ueri trahamus. Prima igitur & maxima, & omnibus hominibus communis notio eſt diuiſio huius, quo claudimur, mundi: per quàm omnes etiam inerudíti, Ortum, Occaſum, Meridiem, Septentrionem nouimus. ſecunda eſt: per quàm unicuique ſupradictarum partium partes orbis terrarum accommodantes, in cognitionem locorum, quæcunq; uidimus, quodammodo deuenimus. Sed cum orbis terrarum multæ partes ſint: quædam inhabitabiles: aliæ contrario q̃ nos ſitu ab Antichtonibus habitæ: in præſentia de ſitu duntaxat eius plagæ, quam nos incolimus: dicendũ.
Hæc cum in tris partes diuidatur: unam Aſiam uocant: Africam aliam: tertiam Europam. Hanc diuiſionem mare noſtrum, & duo inclyti amnes faciunt: Tanais, & Nilus. His Aſia ab reliquis partibus diuiditur: ingenti perpetua fronte uerſa ad Orientem, tamen Meridiem atq; Septentrionem duobus lateribus aſpiciens. Africa uero ab Aſia quidem Nilo, ab Europa mari noſtro ſeparatur: uerſáq; ad Meridiem nihilominus ad Iberum Occaſum uſq; ad columnas Herculis protenditur. Itaque hæ duæ partes, ſi quis in uniuerſum conſideret: Meridiem ab Oriente interpoſitione noſtri maris uidentur ſegregare. Europa autem Septẽtrionem uerſa ab Oriente utriq; opponitur: extenditurq́; uſque ad Occaſum. Eius præcipua pars Septentrionem ſpectat intra Tanaim, & Narbonem fluuium: qui non longe diſtat ab ora Maſſiliæ, ac Rhodani Hoſtijs: quæ in Sardoum defluunt mare. Hanc omnem regionem Galli habitant à Narbone uſque ad Pyreneum montem: extenditurq́; à mari no

ſtro ad Oceanum. Reliquam uero Europæ partem à Pyreneo ad occaſum, hoc eſt uſq; ad columnas Herculis, ab latere circuit mare noſtrum: ab altera Oceanus. Ora, quæ mari noſtro abluitur: uſq; ad columnas Herculis Hiſpania uocatur: pars, quæ Oceanum ſpectat: cõmune quidem nomen non habet: ut quæ recens in cognitionem noſtram uenit: ſed longe lateq; à barbaris colitur. de quibus ſuo loco particulatim dicemus. nam quemadmodum ea regio, quæ iuxta Aethiopiam eſt: ubi Aſia, atq; Africa iunguntur: uſq; in noſtrã ætatem ignota eſt: neſciturq; utrum perpetua ſit, et continens: an clau datur pelago: ita omne id, quod intra Tanaim, atq; Narbonem ad Septentrionem uergit uſq; in præſentem diẽ ignoratur. ſomniantq;: ſi qui de ijs uel loquuntur aliqd, uel ſcribunt. Enimuero hæc referre operæprecium fuit: ne ijs, qui eorum locorum ignari ſunt: obſcura omnia forent, quæ ſcripturi ſumus: ſed per eas cœli ac terræ regiones, quatenus fieri poſſet, in cognitionem ueri traherentur. Nunc ad rem redeamus. Carthaginenſes ea tempeſtate omnem Africæ oram tenebant, quæ mari noſtro abluitur: ab aris Philenorum haud multum diſtantibus à magna ſyrte uſq; ad columnas Herculis. continet ea longitudo ſexdecim millia ſtadiorum. tranſgreſſiq; paruum fretum, quod inter Africam, atq; Europam interiacet: omni Hiſpania potiti erant uſq; ad Pyreneum montem: qui eam prouinciam à Gallis diuidit. diſtat autem hic locus ab anguſtijs freti, ubi ſunt columnæ Herculis: circiter octo millia ſtadiorum: inde ad Nouam Carthaginem, unde Annibal in Italiam tranſiturus mouerat; ſtadiorum tria millia. hæc ab Ibero duobus

millibus & ſexcentis ſtadijs diſtat. Iberus uero ab exitu Rhodani tribus millibus & ducentis. Ita enim ſumma cum diligentia dimenſa ea loca per Romanos fuere. exitus uero Rhodani à radicibus Alpium, unde in Italiam tranſitur: mille & trecentis. reliquæ Alpes mille & ducentorum ſtadiorum ſpacio continentur. quibus tranſactis, ſtatim obuia fit ea pars Galliæ, quà Padus fluit. itaq; à Noua Carthagine uſq; ad Italiæ fines nouem millium ſtadiorum iter facere Annibalem oportebat. ꝙ ſi longitudinem uiæ animaduertas: iam ferè dimidium itineris confecerat: ſi uero difficultatem locorum aſpexeris: maior pars profectionis ſupererat. Annibal igitur omni conatu Pyreneum tranſgrediebatur, non ſine metu Gallorum: ne forte ſitu locorum freti tranſitum eius in Italiam prohiberent. Interim Romam de ijs, quæ Carthagini dicta, actáq; per legatos fuerant: perlatum: & ſimul Annibalem omnium opinione celerius Iberum cum exercitu tranſgreſſum, aduentum in Italiam maturare. quæ res non paruũ metum patribus iniecerunt: eo maxime: ꝙ concitaturum aduerſus ſe auidas ſemper armorum gallicas gentes augurabantur. Igitur ſtatim electis iam conſulibus prouincias nominant: P. Cornelio Hiſpaniam: T. Sempronio Africam cum Sicilia. his ſex legiones in eum annum decernunt: ſociorum quantum ipſis uideretur: claſſis, quantũ parari poſſet. Dum Romæ ſcribuntur milites: claſſiſq;, & commeatus, & cætera ad transfretationem neceſſaria parantur: omni ſtudio ad perficiendas colonias incumbunt: quas circa Padum in Gallia nuper inchoauerant. iam ædificata erant oppida: oppidanis

ut intra triginta dierum ſpacium adeſſent, mandatum: decreta ſingulis colonijs ſex millia hominum. quæ citra Padum ædificata: Placentia, quæ ultra, Cremona appellata. eam rem grauiter & iniquo animo ferentes Boij, nec ueterum irarum immemores, ubi Carthaginenſiū aduentum compertum habuere: à Romanis defecerunt: dimiſſis obſidibus, quos ſuperiori bello, ſicuti memorauimus, dederant. arreptisq; repente armis, & ad id ipſum ſollicitatis Inſubribus, tantum tumultum in agrū ſupradictis colonijs aſſignatum fecerunt: ut perterrita ita omnis multitudo unà cum triumuiris Romanorum, qui ad diuidendos agros uenerant: Mutinam confugerit. quos perſecuti Boij, urbem obſidione cinxerunt. Cum aliquantiſper obſidio duraſſet: ſimulari cœptum de pace. euocatiq; à Gallorum principibus ad colloquium legati, contra ius gentium, ac uiolata fide comprehenduntur: negantibus Boijs, niſi ſui obſides ſibi redderentur, eos dimiſuros. Cum hæc de legatis nunciata eſſent: L. Manlius prætor, qui tum in his locis cum copijs erat: ira accenſus, ſubſidiū ferre obſeſſis maturat. Quod ubi Boij intellexere: in ſylua, quæ uiæ propinqua erat: inſidias ponunt: uenientemq; inexplorato hoſtem aggreſſi, magnam partem Romanorum cædunt. Reliqui ægre in apertos campos emerſere. ubi refectis aliquandiu militum animis, cum nihilominus inſtare poſt terga Boios animaduerterent: præcipiti fuga Cannetum uicum contendere. Qui tumultus poſtquam eſt Romam perlatus: patres ueriti ne diuturna obſidione præſidium Romanorum periclitaretur: Attilium prætorem cum copijs delectu nouo conſulis conſcriptis auxilium ferre obſeſſis iubent.

ſis iubent. conſuli, ut in eorum locum nouum delectum habeat, mandant. Hic fuit gallicarum rerum uſq; ad aduentum Annibalis ſtatus. Conſules interea paratis omnibus neceſſarijs, Roma profecti, P. Cornelius in Hiſpaniam cum ſexaginta longis nauibus, Sempronius in Africam cum centum & ſexaginta quinqueremibus. Hic tanto impetu res bellicas aggreſſus tantum in Lilybæo apparatum undiq; congreſſit: ut mox ipſam Carthagnem obſeſſurus uideretur. Cornelius uero per orã Hetruriæ, ac Lygurum profectus, quinto die peruenit Maſſiliam: proximumq; Rhodani oſtium (nam pluribus diuiſus amnis in mare decurrit) cum claſſe ingreſſus eſt. Hic cum Annibalem ſuperare iam Pyrenæos montes didiciſſet: ſatis tamen adhuc eum putabat abeſſe, tum propter difficultatem loci: tum ob multitudinem Gallorum: qui frequentes circum ea loca habitabant. Verum Annibal incredibili celeritate Gallis omnibus partim precio, partim metu pacatis, ad Rhodani tranſitum per maris Sardoi littus cum exercitu properabat. Quod poſtquam conſul intellexit: etſi inops conſilij erat ob celerem Annibalis aduentum: nullum tamen optimi ducis officium prætermiſit. Eductos è nauibus milites ab iactatiõe maritima reficit. tribunos quonam in loco occurrendum hoſtibus foret, edocuit: trecentos delectos equites ducibus Maſſilienſibus, & auxiliatoribus Gallis ad ex exploranda hoſtium conſilia præmiſit. Annibal iã Rhodano propinquus transfretare quamcelerrime feſtinabat. Itaq; aduocatos omnes fluminis accolas muneribus ſibi conciliat. ab his lintres magna multitudine, & paratos ad quotidianum illorum uſum lembos emit: nouas

item lintres cauari ex ſingulis arboribus iubet. quod etiam milites ipſi & copia materiæ, & facilitate operis inducti faciunt. Vnde uix duorum dierum ſpacio tātum nauium, lintriumq; comparatum eſt: ut abunde ad traijciendum ſufficeret: ſingulis laborantibus ne ſociorum auxilio indigerent: ſed proprijs lignis ſe, ſuaq; tranſueherent. Inter hæc ad ulteriorem ripam fluminis maximus barbarorum numerus confluxerat: quo Carthaginenſes à tranſitu Rhodani arcerent. Quod ut aduertit Annibal, intelligens ſe neque ui traijcere flumen poſſe, hoſtibus ex aduerſo omnem ripam obtinentibus, nec tuto ibi conſiſtere, ne undique à barbaris circunuenire tur: prima noctis uigilia Hannonem Bomilcaris regis filium cum parte copiarum mittit. his duces itineris nō nullos ex incolis loci tradit. qui per ripam Rhodani ad uerſo flumine ad ducenta ſtadia profecti, ſupra paruæ inſulæ circunfuſum amnem conſtiterunt. Nam quia illic diuidebatur aqua: non immerito minus altus eſſe alueus exiſtimabatur. cæſis igitur è ueſtigio arboribus, rates fabricatæ: quæ ad uirorum, cæterarumq; rerum transfretationem ſufficerent. Ita impediente nemine, tuti Rhodanum traiecerunt: nactiq; locum natura munitiſſimū, corpora nocturno itinere, ac labore operum confecta quiete unius diei refecerunt: omnibus ad conſilium opportune exequendum intentis. Iam idipſum Annibal cum cæteris copijs facere maturabat. Sed eum angebat conſilium traijciendorum elephantorum: qui numero ſeptem & triginta erant. Igitur inſequenti nocte qui fluuium tranſierant: cum primum luceſcere aurora cœpit: per ripam fluminis profecti aduerſus barbaros,

quod conueniſſe ad eum locum diximus: contendunt. Annibal autem paratas habens copias, omnis iubet ut ad traijciendum ſe præparent, lembos equitibus impleant, paratis inſtructisq́; ad bellum: ut, ſi ita res ferret, extemplo egreſſi uſui forent. lintres uero expediti occupent: pedites'q; ut maiori tranquillitate fluminis tutius traducerentur: undarum'q; impetum firmius ſuſtinerent: ſuperiori parte fluminis ad dexteram lembos ponit: quo uehementiorem illum, ac præcipitem aquæ fluxum exciperent. equos à puppibus nantes loris trahi iubet tris & quatuor ſimul: duobus uiris ad utrunq; latus puppis ſedentibus. Quo factum eſt ut maior pars equorũ in prima transfretatione traduceretur. Hæc autem conſpicati barbari, ingenti tumultu relictis caſtris, paſſim temereq́; in ripam concurrunt: ueluti nullo negotio tranſitum hoſtibus prohibituri. Annibal aliquandiu cõmoratus, ubi appropinquare ſuos ex prodito fumo, uti conuenerat, intellexit: dat ſimul omnibus ſignum ad traijciendum. Quo uiſo, repente Carthaginenſes ingenti clamore facto traijcere amnem, atque impetum fluminis omni conatu perrumpere nituntur: certant'q; inter ſeſe: qui primus ad ulteriorem ripam perueniat. ita cum iam utraq; ripa à Carthaginenſibus teneretur: omnes'q; cũ ingenti uociferatione flumen traijcerent: Galli cum uarijs ululatibus more ſuo pæana canentes, arcere ſummo impetu hoſtem nitebantur. Terribilis aliquãdiu tumultus, uiſuq́; horrendum certamen fuit. Galli omnes derelictis tentorijs ad flumen confluxerant. Mox Hanno cum ſuis aderat. horũ pars in caſtra impetum faciebat. reliqui à tergo pugnantes premebant. Galli noui-

tate rei obſtupefacti, pars in caſtra, ut ea ab hoſtibus tutarentur, recurrunt: alij nihilo ſegnius pugnæ inſiſtunt. Annibal ubi conſilium ſibi ex ſententia ſucceſſiſſe animaduertit: hortatur ſuos: ut priſtinæ uirtutis memores, hoſtem forti animo propulſent. Ita omnes facto impetu in medium irrumpunt. Tandem Galli, & quia nullo ordine prælium inchoauerant: & improuiſa Hannonis legione perterriti, ſe turpi fuga in uicos ſuos receperunt. Dux Carthaginenſium uno tempore flumine, atq; hoſtibus ſuperatis, reliquas copias per otium traijcit. Ita cum omnes breui tempore ad ulteriorem ripā perueniſſent: ſpernens iá gallicos tumultus, caſtra locat. atq; ita per quietem in ripa fluminis eam noctem egit. Poſtrī die cum audiſſet conſulem Romanorū cum claſſe oſtia Rhodani ingreſſum: numidas equites quingentos miſit ſpeculatum: ubi, & quantæ copiæ hoſtium eſſent: quid' ue pararent. Interim traijciendis elephantis per magiſtros dari operam iubet. ipſe aduocata concione, regulos, qui ex Tranſpadana Gallia ad ſe uenerant: acciri fecit. hi per interpretem multitudinem allocuti, ad tranſitum Alpium hortantur: ſe, cæteroſq; Galliarum incolas auxilio eis futuros pollicentur. iter fore tutum, & nulla re neceſſaria egens. nec difficilem ſanè Alpium tranſitum eſſe: loca, ad quæ profecturi ſint: omni genere rerum opulentiſſima habituros præterea eiuſmodi ſocios: quorum uirtus non parum præteritis temporibus populo romano formidoloſa fuerit. His, atq; alijs huiuſmodi dictis, reguli diſceſſere. Poſt quos Annibal ingreſſus, primum quidem præteritas res geſtas multitudini commemorant. in quibus eos per tot diſcrimina bel-

lorum conſilium, ac ſententiam ſuam ſecutos, uictores ſæpenumero fuiſſe refert: nunquam minus proſpere rē geſſiſſe. Dehinc hortatur: ut magno fortiq; animo ſint, ſcientes maiorem partē laborum iam emenſam eſſe, ſuperato difficillimo amne, & ſociorum beneuolentia ac promptitudine parata. Proinde curam omnem gerenda rum rerum ſibi relinquant: ipſi tantummodo, quando opus fuerit, dicto ducis obediētes ſint, priſtinæ uirtutis, rerumq; à ſe fortiſſime geſtarum memores. His dictis cum multitudinem alacri uultu animi audaciā præ ſe ferentem uidiſſet: uniuerſos laudauit. dehinc deos ſecundum morem precatus: abijt: indicto militibus, ut corpora curarent: ſeq; in poſterum ad diſceſſum accingerent. Vix diſſoluta concio erat: cum Numidæ, quos ſpeculatum miſſos ſupra diximus: fuſi, profligatiq; ab hoſtibus redeunt. etenim cum non longe à proprijs caſtris equitibus romanis, qui ex eadē cauſa miſſi à Scipione fuerant: occurriſſent: tanto ardore utriq; conſeruerunt manus: ut ex Romanis, & Gallis ad centum quadraginta equites ceciderint: ex Numidis plus quàm ducenti. Romani Carthaginenſes uſq; ad caſtra perſecuti, perſpectis diligentiſſime omnibus, ad conſulem reuerſi ſunt: præſentiamq; hoſtium, & certamen cum Numidis habitum indicarunt. Quibus auditis, P. Cornelius Scipio haud cunctandum ratus, impedimenta nauibus impoſuit. ipſe coactis copijs per Rhodani ripam profectus, ueluti cum hoſtibus conflicturus maturat iter. Annibal poſtridie eius diei, quo habita concio erat: tum prima luce equitatum omnem uerſus littus ueluti in præſidio diſponit. peditum uero multitudinem è caſtris motam

paulatim procedere iubet: ipſe ut elephanti otius traij-
ciantur, omni ſolicitudine intendit. Eorum traijciendo-
rum conſilium huiuſmodi fuit. Compluribus paratis
ratibus, duas inuicem copulatas à terra in amnem
porrigunt, latas pedes quinquaginta. his alias duas à
parte ripæ adijciunt: quas, ne ſecunda aqua deferren-
tur: compluribus retinaculis ualidis ad arbores parti ri
pæ ſuperiori eminentes alligant. erat earum longitudo
ad ducentos pedes. poſt hæc alias duas rates, quæ reli-
quis longe maiores erant: extremis illis leuiter adne-
ctunt: quo haud difficulter ſolui poſſint. Ab his pende-
bant funes aliqui: quibus ab actuarijs nauibus, poſtq̃
diſſolutæ à cæteris ratibus eſſent: trahi in ulteriorem
ripam ualerent. poſtremo eas omnes humo tegunt: ut be
luæ per eas ſine pauore, ueluti per ſolum progrederen-
tur. Hoc apparatu facto, elephanti, qui Indis ubiq;, præ
terquam in undis, parere conſueuerant: per ſtabilem ra-
tem tanquam per uiam prægredientibus duabus fœmi
nis aguntur. qui, ubi in extremas rates applicatas tranſ
greſſi ſunt: extemplo reſolutis, quibus leuiter adnexæ
erant, uinculis, ab actuarijs nauibus pertrahuntur, ni-
hil ſanè trepidantes, donec continenti agebantur. ubi ue
ro ſoluta à cæteris rate in altum ſe uehi cernebant:
undiq; formidine capti cedentibus ab aqua extremis, ali
quantum turbationis edebant. quietem tamen timor ipſe
faciebat: omni ex parte aquam circunſpicientibus feris.
Ita primis expoſitis, alij deinde repetiti, traiectiq; ſunt.
Quidam timore ſæuientes in flumen deciderunt: qui
tamen peremptis rectoribus, incolumes euaſere. ſiquidẽ
& pondere ipſo ſtabiles, & magnitudine prominen-

ſtium extra aquam narium, quibus emittere, ſi quid ebiberant, ac reſpirare poterant: pedetentim uadis progreſſi, ad ulteriorem ripam recti peruenerunt. Traiectis itaque elephantis, Annibal, cum his, atque omni equitatu aduerſa Rhodani ripa mediterranea Galliæ petit. Rhodanus tribus fontibus ſurgit ſupra maris Adriatici intimum ſinum. deinde Lemano lacu acceptus tenet impetum: ſeq; per medium inter agens egreditur: & inde in Occidentem ablatus aliquandiu Gallias dirimit: poſt curſu uerſus Meridiem adducto defluit in mare Sardoum. Eam partem fluminis, quæ ad Septentrionem uergit: incolunt Galli: quos Druentes uocant. Latus uero, quod Meridiem ſpectat: terminant Alpium ſaltus, qui ad Septentrionem eriguntur. Campos autem circa Padum, de quibus ſupra memorauimus: à Rhodano diuidunt Alpes, quæ à Maſſilia incipientes uſque ad intimum maris Adriatici ſinum protenduntur. Has tunc prætergreſſus Annibal à locis, qui circa Rhodanum ſunt: in Italiam uenit. Hoc loco ſcriptores quidam, dum magnitudine rei perterrefacere legentium animos ſtudent: non animaduertunt labi ſe in duo ab hiſtoriæ lege alieniſſima. ſiquidem & falſa ſcribere, & planè inter ſe repugnantia coguntur. ſimul enim Annibalem, quem & ſcientia rei militaris, & animi magnitudine omnino imitabilem uolunt: omnis prorſus conſilij, atque rationes expertem oſtendunt. ſimul nullum exitum mendacio reperientes, ad deos, & deorum filios confugiunt. nam cum iter Alpium adeo immenſum, atq; aſperum faciant:

ut non ſolum equitibus, impedimentis, atq; elephantis, uerumetiam ipſis leuis armaturæ peditibus inuium, inacceſſumq; ſit: præterea etiam tantam in eo ſolitudinem: ut, niſi quis deus, aut heros ducem ſe itineris præbeat, proculdubio omnes copiæ per loca prærupta eant perditum: apertiſſime in utrunq; labuntur errorem. Primum enim quis ducum Annibale imprudentior erit? qui tot copijs, taliq; exercitui præfectus, in quo ſpem omnem benegerendarum rerum repoſuerat: neq; uias, neq; loca, ut ipſi aſſerunt: nec quà iret omnino, nec ad quos tenderet, ſciebat? nam quod cæteri poſt maximos conflictus etiam in ſumma deſperatione rerum non faciunt: id iſti feciſſe Annibalem in tanta ſpe, ita florente exercitu uolunt. quo quid ineptius dici poteſt? At quod de ſolitudine, atq; aſperitate locorum dicunt: apertius etiam mendacium indicat. neq; enim referunt ut Galli Rheni accolæ, non ſemel, neq; bis ante id tempus in Italiam uenerint: neq; ut olim cum magno exercitu ſuperatis Alpibus in ſubſidium Ciſalpinorum contra populum romanum uires aduocarint: neq; ut ipſis etiam in Alpibus multorum hominum gens habitet: ſed hæc oīa ignorantes, deum quendam inquiunt apparuiſſe Annibali: iterq; mōſtraſſe. Quo fit, ut tragœdis potius, quàm hiſtoricis ſimiles uideantur. nam ut illi frequenter dramata ſua aut dijs aliquibus, aut machinis terminant: quod falſa, irrationabiliaq; principia ſumpſerunt: ita hi rerum geſtarum ſcriptores ſimile quiddam patiuntur: &, dum falſa ſumunt exordia: tandem ad deos aliquos, ſiue heroas confugere coguntur. nam qui fieri poteſt: ut ex falſis initijs ueri fines ſequantur? Atqui An-

nibal non talem ſe, qualem hi tradunt: ſed callidum ſimul, ac prudentem ducem præſtitit. quippe & fertilitatem regionis, ad quam feſtinabat: & incolarum aduerſus Romanos odium diligentiſſime ſcrutatus eſt: & in aſcenſu Alpium, quod aſperum difficileq; iter erat: duces habuit accolas locorum: quos iam ad bellum contra Romanos in ſententiam ſuam traxerat. Quibus de rebus nos quidem eo audacius ſcribimus: quod & ab his didicimus: qui ea tempeſtate rebus interfuerunt: & ea loca ipſi uidimus, ob eam ſolummodo cauſam eo profecti: ut Alpes conſpicaremur. P. Scipio conſul Romanus, triduo poſtq̃ Carthaginenſes à ripa Rhodani mouerant, ad caſtra hoſtium animo præliandi profectus, ubi deſerta munimenta uidet: obſtupefactus aliquandiu conſtitit. quippe ſibi perſuaſerat: hoſtem nunquam per ea loca in Italia facturũ iter, tum ob aſperitatem uiarum, tum ob incolentium barbarorum multitudinem. At ubi audaciam Carthaginenſium perſpexit: extemplo ad mare, ac naues reuerſus, conuocari copias iubet. & fratrem quidem in Hiſpaniam, ne ea pars nuda præſidio foret: cum parte copiarum mittit. ipſe rurſus in Italiam reuertitur: facilius per eum modum, tutiusq; deſcendenti ab Alpibus Annibali occurſurus. Annibal quartis caſtris ad Inſulam peruenerat, locum & multitudine hominum, & feracitate regionis prædiuitem. Cui propterea Inſulæ nomen inditum: quod ibi Arar, Rhodanusq; ex Alpibus decurrentes aliquantum agri amplexi defluunt in unum: faciuntq; inſulam & figura, & magnitudine ſimilem ei, quæ in Aegypto Delta appellatur: niſi quod illic latus unum mare efficit: cum

quo duo amnes coniunguntur: hic uero difficiles, atq; aſperi montes, & planè inacceſſi. Eò cum applicuiſſet Annibal: repperit duos fratres inuicem de regno diſſidentes, & utrunq; iam alteri cum exercitu oppoſitum. uocatusq; ab eo, qui natu grandior erat: rogante ut ſibi paternum Imperium reſtitueret: haud minus paruit, peropportunum id rebus ſuis fore arbitratus. Excluſo igitur fratre minore, imperioq; maiori tradito, non ſolum commeatum, rerumq; omnium copiam ob id meritum tulit: uerumetiam arma omnia renouata: & additæ ueſtes: quas infames frigoribus Alpes præparare cogebat. præterea, quod maximum fuit: commitante cum exercitu rege per Allobrogum regionem integris oibus copijs ad Alpes uſq; perductus eſt. Ita cum intra decem dierum ſpatium à Rhodano profectus circiter octingenta ſtadia confeciſſet: conſcendere Alpes cœpit. ubi mox maxima pericula oblata ſunt. nam quãdiu campeſtri itinere progreſſi Carthaginenſes fuerãt: duces Allobrogum cum bona pace tranſire omnes permiſere, partim equites ueriti, partim præſidium commitantiu Gallorum. ubi uero & illi domum reuerſi: & hi loca aſpera, difficiliaq; conſcendere cœperunt: congregata Allobrogum multitudo ingens opportuna præoccupat loca: per quæ neceſſario tranſire Annibalem oportebat. qui ſi in ualles occultiores inſediſſent: coorti repente in pugnam, magnam profecto ſtragem Carthaginenſibus dediſſent. Sed uiſi procul ab Annibale non tam hoſtibus, q̃ ſibiipſis obfuere. etenim cum aſpexiſſent Annibal opportuniſſima quæq; loca tenere barbaros: conſiſtere ſigna iuſſit: caſtrisq; inter confrago-

ſos, ac præruptos ſaltus locatis, quoſdam ex Gallis, quos ſecum habebat: ad uiſenda loca, explorandamq́; hoſtium intentionem, atq; omnem apparatum præmiſit. per quos cum comperiſſet: hoſtes interdiu tantum in his locis conſiſtere: nocte uero in propinquam urbem ad ſua quenq; tecta dilabi: tali conſilio uſus eſt. Prima luce aperte cum omnibus copijs ſubijt tumulos, tanquam ui interdiu per medios hoſtes erupturus. cum uero hoſtibus appropinquaſſet: caſtra eo in loco diligentiſſime muniuit. tum ubi primum facta nocte digreſſos tumulis montanos ſenſit: plurimis ignibus accenſis maiorem partem exercitus ibi reliquit. ipſe cum expeditis acerrimo quoq; milite raptim anguſtias euadit: & in ijs tumulis, quos hoſtes tenuerant: conſedit. Quo facto, ubi primum orta luce id conſpecti ſunt barbari: immobiles parumper conſtitere. deinde uidentes iumentorum, equitumq́; multitudinem in anguſtijs omne agmen turbare, quicquid eis terroris adiecißent, ſatis fore ad perniciem arbitrati, per inuias rupes diuerſis è locis concurrunt. Tum uero non tam ab hoſtibus, q̃ ab iniquitate locorum Carthaginenſes oppugnabantur: equis maxime, iumentisq́; ingentem ſtragem hominum, ac rerum facientibus. nam cum præcipites, & diruptæ utrinque anguſtiæ forent: multa iumenta ex immenſa altitudine cum ſarcinis inſtar maximæ ruinæ deciderunt. ſiquidem icti, aut uulnerati equi, partim terrore, partim dolore uulnerum conſternati incredibilem turbationem in tanta locorum anguſtia faciebant. Quæ conſpicatus Annibal, cum nullam in fuga ſpem ſa-

lutis repoſitam intelligeret, iumentis, qui ſarcinas ferebant, ammiſſis: ex ſuperiore loco cum his quos ſecum per noctem tenuerat: ingenti impetu decurrit. Quo facto etſi magnam partem hoſtium fuderit: tamen è ſuis quoq; multos interemit. ſiquidem auctus ex utriſq; tumultus multos paſſim præcipites faciebat. Tandem igitur Allobrogibus partim inter certandum interemptis, partim turpiſſime fugatis, Annibal quod reliquum fuit impedimentorum, atq; equitum, uix, & non ſine graui labore traduxit: coactiſq; copiarum ſuarum reliquijs, ad caſtellū, unde Allobroges exierant, profectus, quod uacuum cuſtode erat: nullo negotio cepit. Id ei magnam non ſolum in præſens tempus, ſed etiam in futurum rerum neceſſarium commoditatem præſtitit. nam in præſentia quidem magnam equorum, atq; iumentorum multitudinem, præterea etiam captiuorum tulit. in futurū uero frumento ac pecoribus ꝑ triduū exercitū aluit. &, quod fuit pluris faciendum: cæteros Alpium accolas ꝑterruit: ne quid tale moliri in poſterum auderent. Eo igitur in loco uno die quietem egit. deinde cum copijs profectus, reliquis duobus diebus aliquantum uiæ confecit. quarto dehinc die rurſus in maximum periculum prolapſus eſt. Ventum erat ad frequentem cultoribus alium inter montana populum. hi ut dolo circūuenirent Pœnos: unà conſpirauerant. Aduenienti igitur Annibali obuiam procedunt, florentes capiti corollas geſtantes. quod ferè apud barbaros pacis, atq; amicitiæ ſignum eſt: quemadmodum apud Græcos caduceus. Annibal haud temere credendum barbaris arbitratus, uoluntatem intentionemq; eorum callide ꝑquirit. Hi pla-

cere ſibi de captiuitate ciuitatis, & interitu aduerſantium Gallorum responderunt: ſeq; obedienter poſthac imperata facturos: ut qui nec facere, nec pati iniuriam uelint. & ad finem promiſſorum obſides ſe Annibali daturos pollicentur. Quod etſi diu Annibalem conſilij dubium fecerit: ſuſpicatus tamen hæc, ſi æquo animo accipiantur, mitiores fortaſſe barbarorum animos facere poſſe: ſi uero repudientur, eoſdem aperte hoſtes ſibi futuros, benigne illis reſpondendo accipere ſe eorum amicitiam ſimulauit. Illi, cum iam non ſolum obſides dediſſent: uerum abunde ſubminiſtraſſent commeatum: & denique ſeipſos in Carthaginenſium manibus poſuiſſent: tantum fidei ab Annibale meruerunt: ut ijs ducibus per loca difficilia uti non dubitarit. Cum igitur biduo iter feciſſent: uentum'q; eſſet in anguſtiorem uallem, et ex parte altera iugo ſubiectam: barbaris undiq; ex inſidijs prorumpentibus, in tantum periculi Carthaginenſes inciderunt: ut ad extremam penè perniciem peruēturi fuerint: niſi Annibal nondum ſatis fidei Gallorum credens, ac futura planè proſpiciens, elephantos, equites'q; in primo agmine collocaſſet: ipſe poſt cum robore peditum circunſpectans, ſollicitus'q; omnia, à tergo ſecutus eſſet. his enim ita in præſidio diſpoſitis, minorem contigit cladem fieri. Et tamen ingens hominum, & equorum, iumentorum'q; numerus perijt. quippe hoſtibus imminens iugum tenentibus, & nunc ſaxa eminus in agmen deuoluentibus, nunc cominus frequenti ictu lapidum manibus ipſis percutientibus, in tantum periculum uentum eſt: ut neceſſe fuerit Annibalem noctem unam cum medietate copiarum ſine equitibus atq; impedimentis agere. Poſte=

ro die iam ſegnius intercurſantibus Gallis, cum equitĩ bus atq; impedimentis iunctus ſaltum ſuperat: barbaris quidem iam aperto bello minime occurſantibus: ſed latronum more, modo primum, modo nouiſſimum agmen infeſtantibus: prout uel tempus, uel locus opportunitatem faciebat. Magnum Carthaginenſibus uſum elephanti præbebant. nam quacunq; incederent: quia inſuetis adeundi propius metus erat: eum locum tutum ab hoſtibus faciebant. Nono die in iugum Alpium peruentum eſt. Ibi biduo ſtatiua habita: partim ut incolumes milites labore feſſos reficeret: partim ut reciperet perditos. Eo tempore plures equi, pluraq; iumenta, quæ delapſa rupĩbus in præceps ierant: ſequendo ueſtigia agminis, in caſtra peruenere. Iam uix ea omnia oppleuerat loca: occidente uergiliarũ ſydere: & feſſos tedio tot malorũ militũ animos ueluti in deſperationẽ adduxerat Annibal id cõſpicatus, conuocatis militibus, hortari eos decreuit. Ad eã rẽ unam tantum occaſionem habebat: propinquitatem Italiæ, felicitatemq; oſtendere. ea enim ita Alpibus ſubiacet: ut, ſiquis utrunq; conſideret: ueluti arx totius Italiæ eſſe Alpes uideantur. Hanc igitur è promontorio, unde longe lateq; proſpectus erat: oſtentat: inde ſubiectos Alpibus circumpadanos campos. poſt hæc amicitiam incolentium eam regionem Gallorum commemorat. His uerbis recreatis paulisper militum animis poſtridie eius diei deducere agmen cœpit. nihil iam hoſtibus quidem, niſi per latrocinium tentantibus: ſed nõ paucioribus ob locorum, niuiumq; aſperitatem ammiſſis: q̃ in aſcenſu Alpium propter hoſtium incurſiones fuiſſent. nam cum natura locus anguſtus, præcepsq; foret:

tum uero recenti niue omnia uſqueadeo obruta: ut nullum prorſus ueſtigium callis appareret: neq; ſuſtinere ſe à lapſu poterant: & qui parum titubaſſent: continuo in præceps ferebantur. Verum hanc quoq; difficultatem æquo animo ferebant uiri tot iam malis ac laboribus aſſueti. Interea uentum ad rupem alteram: quã neq; elephanti, neque iumenta pertranſire poterant. quippe anguſtam natura uiam recens terræ lapſus circiter ducentos paſſus anguſtiorem fecerat. Hic rurſus turbari, affligiq; multitudo cœpit. Dux Carthaginenſium principio per loca inuia, nec ante eum diem trita circunducere agmen conatus, quoniã iter id niues inſuperabile faciebant: à propoſito deſtitit. ſane ſupra ueterem niuem intactam. noua præſentis anni nix deciderat. in ea, quod recens lapſa permollis erat: & nullam fere adhuc altitudinem habebat: facile ingredientium pedes inſiſtebant. ubi uero tot hominum, iumentorumq; inceſſu dilapſa erat: per nudam infra glaciem, & fluentem liqueſcentis niuis labem ingreſſi, ambobus ſimul pedibus ruebant: quemadmodum in locis cœno lubricis, ac nullum recipientibus ueſtigium ſolet accidere. &, quod longe miſerius erat: homines cum ſiſtere in lubrico ueſtigium non poſſent: proni decidentes, ubi ſe uel manibus in aſſurgendo, uel genibus iuuare conarentur: tunc maiore impetu omnibus ſimul membris defecti per præcipitia uolutabantur. Iumenta uero interdum quidem prolapſa glaciem ſecabant. ſed preſſa oneris magnitudine, pedibusque eorum indurata glacie perſtrictis, moueri poſtea inde non poterant. Tum Annibal iumentis, atque homi-

nibus nequicquam fatigatis, omiſſa præſenti ſpe, caſtra in iugo montis collocat: ægerrime ad idipſum purgato loco. dehinc multitudinē ad eam rupem, qua una eſſe tranſitus poterat, mundandam hortatus, uix tandem cum maximo labore id peractum. Via igitur eq̄s, atq; iumentis uno die ſufficienter parata, confeſtim eos traducit: & in locis iam niuibus uacuis caſtrametatus ad paſcua diſponit. Numidas interim parare elephantis uiam iubet. Hi uix triduo cum omni conatu beluas reduxerunt: & eas quidem propè fame conſumptas. nuda enim ſunt iuga montium herbis, atq; arboribus: q̄ continuis rigeant niuibus hyberno æſtiuóq; tempore. Mediæ uero conualles ab utroq; Alpium latere læta paſcua, atq; apricas arbores habent: & humano cultu digniora loca. Annibal congregatis omnibus copijs, proſequi iter cœpit: & triduo poſt ſuperatam, quam memorauimus, rupem in planum peruenit: magna parte exercitus amiſſa: partim ab hoſtibus fluminibusq́; per totum iter direptis copijs: partim aſperitate montium in tranſitu Alpium abſumptis: neq; uiris ſolum, ſed equis etiam, iumentisq́; complu ribus. Hoc tandem modo Italiam, quinto menſe poſtquã Carthagine Noua diſceſſerat, ingreſſus, Alpibusq́; quintodecimo die ſuperatis, circumpadanos campos, & Inſubrũ gentẽ audaciſſime petit: ex afris militibus ſuperſtites habens pedites circiter decem millia et ducentos, ex hiſpanis ad octo millia: equitum ad ſummam ſex millia. hoc enim ipſemet in columna, in qua multitudo omnis ſui exercitus deſcripta eſt: apud Lacinium teſtatur. Per eadem tempora (quemadmodum ſupra diximus) P. Cornelius conſul, fratre in hiſpaniam cum exercitu ad re-

ſiſtendum

nihil hic de aceto isto ridiculo cujus acrimonia Titus Livius rupes ab Annibale coctas et in pulverem redactas nugatus affirmat quod puer aut anus vix in historia vel audiret vel crederet.

Columnam apud Lacinium, Livius aram fuisse dicit Graecis et punicis litteris inscriptam sed ipso ex monumento nihil sumpsit ad historicae notitiam

ſiſtendum Aſdrubali miſſo, Piſas ipſe cum paucis nauigauerat. Hic igitur facto per Tuſciam itinere, & à Manlio, Attilioq́; prætoribus accepto milite, quem aduerſus Boios tenebant: ad Padum feſtinat: ut cum hoſte nondum refecto manum confereret. Verum nos quidem, quando & narrationem noſtram, & utriuſq; populi duces, & bellum ipſum in Italiam traduximus: antequã ad res in ea prouincia geſtas ueniamus: breuiter nõnulla haud aliena ab hoc ſcribendi genere referenda exiſtimauimus. Erunt enim fortaſſe, qui à nobis quærant: quomodo, cũ libycas, hiſpanicasq́; res pluribus ſuperius uerbis attigerimus: nihil tamen dictum à nobis fuit, neque de columnis Herculis, & ꝙ inter Africã, Europamq́; interiacet paruo freto: neq; de exteriori Oceano, rebusq́; ad eum pertinentibus: neq; de Britannicis inſulis: neq; de ſtanni, auriq;, & argenti copia: quorum metallorum Hiſpaniæ feraciſſimæ ſunt? his enim de rebus multa, uariaq; inter ſe diſſidentes hiſtorici ueteres commemorãt. À nobis autẽ non ideo hæc omiſſa ſunt: ꝙ ea ab hiſtoriæ lege aliena putaremus: ſed eo conſilio factum: ne in ſingulis partibus narratio noſtra diuideretur: ne'ue audientes frequenter ab ipſa rerũ geſtarũ ſerie auocaremus: iudicantes præterea huiuſmodi res nõ diuiſim, neq; præter propoſitũ, ſed ſuo loco ac tempore quamueriſſime fieri poſſit, cõmemorari oportere. Quamobrẽ nemo admirari debet: ſi etiã in ſequentibus libris, cum ad eiuſmodi locũ uentũ fuerit: hanc partem prætermittemus. id enim conſulto à nobis fit: et ob eas, quas diximus, rationes. Si quis autem id protinus in ſingulis locis, ſingulisq́; partibus audire uelit: neſcit ſe guloſo conuiuæ merito compa-

rari poſſe. nam quemadmodum ille, ubi primum diſcu bitũ uenit: appoſitos ſingulos quoſq; cibos deguſtans, neq; in præſentia uoluptatis aliquid capere, neq; in futurum utilitatis poteſt: quando nec ſaporem ullum perfecte ſentit: & omnia ſimul congeſta ſtomachum, digeſtionemq; impediunt: ita qui hoc ipſum legendis authoribus faciunt: nec præſentem aliquam percipiunt uoluptatem: nec utilitatis quippiam retinent in poſterũ. Quod uero hæc potiſſimum pars hiſtoriæ præter cæteras omnes ueriori correctione egeat: cũ ex pluribus alijs, tũ ex eo maxime liquet: quod omnes ferè antiqui ſcriptores conati ſitus, et propietates extremarum orbis regionum referre, multis in locis longe abberrarunt à ueritate. Proinde non caſu, nec præter intentionem, ſed conſulto contra eos dicendũ: neq; reprehendendi ignorationem eorũ gratia: ſed potius laudandi, corrigendiq;. quippe quos nõ dubitamus, ſi hac tempeſtate fuiſſent: ipſos errorem ſuum fuiſſe emendaturos. ſiquidem ſuperiori ætate raro quiſpiã inter Græcos reperiri potuit: q extremas orbis partes ſcrutatum proficiſci uoluerit, ob periculoſum atq; inſuperabile iter. multa enim, ac penè innumerabilia mari terraq; pericula erant. quod ſi qs uel neceſſitate actus, uel ſponte extrema orbis petijſſet: haud tamen facile erat locorũ ſitum, resq; in his partibus indagatione dignas pquirere: qꝑ partim efferatis barbarorũ nationibus occupabantur: partim loca deſerta, & uaſtæ ſolitudines erãt. Adde, qꝑ rem longe ẽt difficiliorem diuerſitas linguarũ faciebat. neq; enim petere quippiam, neq; diſcere haud ſe inuicem intelligentibus licebat. nec minus laborioſum erat res uiſas modeſte poſtea referre: ſingulis qui-

buſq;, ut res nouas augendo mirabiliores facerent, nō parum à ueritate recedentibus. Quapropter ſi non ſolum difficile, ſed pene impoſſibile fuit ante hoc tempus uerā huiuſcemodi rerum hiſtoriam haberi poſſe: nequaquam ſuccenſendū eſt antiquis rerū geſtarū ſcriptoribus: ſi quid uel omiſerint, uel deliquerint. quin potius, ꝙ inueſtigare aliquid potuerint: laudandi ſunt, atq; admirandi. Noſtra uero ætate cum & Alexandri Macedonis uires in Aſia, & in reliquis orbis partibus Romanorum imperium cuncta nobis terra mariq; acceſſu facilia fecerint: liberatis præſertim hominum animis bellorum cura, ſtudioq; atq; ambitione publicarū rerum: ex quo maxima ſcrutandæ, indagandæq; in huiuſmodi rebus ueritatis opportunitas accidit: profecto operæpretium foret diligentius, ueriusq; ea inueſtigare: quæ maiores noſtri ignorauerunt. Quod nos quidem omni ſtudio conabimur facere: cum primum opportunum huic rei locum nacti erimus. nihil enim nobis iucundius accidere poteſt: quàm ſi intellexerimus ſtudioſos huiuſmodi rerum noſtra opera ueritatis compotes fieri: cum præſertim non aliam ob cauſam tot labores, atq; pericula in peragranda Africa, et Hiſpania, præterea et Gallis, et hæc omnia circueunte oceano, ſuſceperimus: ꝙ ut ueterū ſcriptorū ignorantiā emendantes, eas orbis partes hoībus noſtris ꝙnotiſſimas faceremus. Nūc uero, propoſiti noſtri memores ad prælia, quæ inter Romanos, Carthagnenſesq; in Italiam ſunt: reuertamur. Quantæ igitur copiæ tranſgreſſo in Italiam fuerint Annibal, ſuperius oſtenſum. poſt deſcenſum Alpium in ipſis montium radicibus caſtrametatus, principio reficere exercitum cœpit. erat enim non

ſolum longo labore aſcendendi, deſcendendiq; præterea inauditis locorum difficultatibus fatigatus: uerumetiã ex inopia commeatus, & corporum illuuie ac tabe ſqualida diuturna maciem contraxerat. pleriq; ex inopia, et labore intolerabili prorſus defecerant. neq; enim per tot millia paſſuum, per'q; loca adeo aſpera ac difficilia uehere tanto exercitui neceſſariam ſtipem licuerat: &, ſi qd erat uectum: maiori ex parte cũ iumentis perierat. Quo factum erat, ut qui pauloante à Rhodano cum triginta octo millibus peditum, equitum uero circiter octo millibus diſceſſerat: ei nunc uix medietas eiuſmodi copiarum ſuperſtes foret. Horum corpora ex longa fatigatione ueluti efferata erant. Quod eum dux Carthaginenſium animaduertiſſet: peropportune in recreandis animis, corporibus'q; non ſolum militum, ſed etiam equorum reficiendis omne ſtudium adhibebat. Poſt hæc cum exercitu profectus, Taurinos proximæ gentis (hi tum forte aduerſus Inſubres bellũ mouerant: neq; ſatis credere fidei Carthaginenſium uidebantur) primo in amicitiam, ſocietatem'q; prouocare tentauit: deinde cum id parum Taurinos moueret: ualidiſſimam eorum ciuitatem aggreſſus, triduo expugnauit. interfectis'q; aduerſæ partis hominibus, tantũ propè ea loca habitantibus barbaris terrorẽ iniecit: ut mox omnes ſe ſponte Carthaginenſibus dediderint. Cæteri uero Galli Padi accolæ libẽter ſe, uti principio ſtatuerant, Annibali iunxiſſent: ni eos defectionis tempus operientes, ſubitus romani conſulis aduentus oppreſſiſſet. Porro ea re commoti, quietem agebant. Nõnulli ſe exercitui Romanorum comites addiderãt. Quæ conſpicatus Annibal, haud cunctandum amplius, ſed

procedendum audendumq́; aliquod præclarum facinus exiſtimauit: quo reliquos ad ſequendas Carthaginenſium partes audaciores faceret. interea hæc animo uerſanti nuntiatur: P. Scipionem Padum iam cum exercitu transgreſſum, non longe abeſſe. Id principio ueluti parum credibile contempſit: ut qui meminerat: eum à ſe paucis ante diebus in Gallia propè Rhodani hoſtia relictum: à Maſſilia uero in Tuſciam tranſitum longum, ac perdifficilem eſſe intelligebat: ſimiliter à mari Tuſco per Italiam uſq; ad Alpes aſperrimum, ac uix exercitui peruium iter. uerum cum id certius multis eandem rem nuntiantibus comperiſſet: induſtriam, ac celeritatem conſulis maxime admiratus, obſtupuit. Nec minori ſanè admiratione affectus cōſul: nam cum Annibalem exiſtimaſſet haud auſurum cum alienigenis copiјs Alpibus iter facere: aut, ſi id foret auſus, manifeſte in itinere periturum: poſtquam eum non ſolum transcendiſſe Alpes incolumem, uerum etiam aliquas Italiæ ciuitates expugnaſſe comperit: uix ſatis admirari audaciā hominis potuit. Romani quoq; ſimile quiddam ea tempeſtate paſſi fuere. Hi ultimo loco de excidio Sagunti audiuerant. Quamobrem factis comitijs, duo conſules creati. eorum alter in Africam ad inferendum Carthagini bellum, alter in Hiſpaniam aduerſus Annibalem miſſus fuerat. Tum uero repente ad eos perlatum: adeſſe cum exercitu Annibalem: & iam ciuitates quaſdam in Italia obſidere. Quo nuntio adeo obſtupefacti perculſiq; ſunt: ut ſtatim Lilybæum ad Sempronium miſerint aliquos, qui aduentum hoſtium in Italiam ſignificarent: hortarenturq́;,

ut dimiſſis prouinciæ rebus, ſuis ferre ſuppetias maturaret. Sempronius ea re audita, extemplo dimſit claſſem: & ut curſum in Italiam teneret, imperauit. pedeſtres uero copias tribunis militum dedit: præſtituta die, qua omnes ſimul conuenire Arimini deberent. Ea eſt ciuitas in littore Adriatici ſita: ubi Eridani planities terminat, ad Meridiem ſpectans. Per hunc modum rebus ex omni parte motis, cum omnia accidiſſe præter ſpẽ atq; opinionem omnium uiderentur: ſe quiſq; ad futura omni ſtudio præparabat. Iam propè in conſpectu erant Annibalis, Scipioniſq; exercitus: & dux uterq; adhortari ſuos pro conditione temporum nitebatur. Annibal principio circumduci ad ſpectaculum omnem multitudinem iubet. Tum captiuos omnes montanos in medij uinctos conſtituit. Hi partim diutino labore uiæ ſqualidi, & inculti erant: partim ducis opera macie ſupra modum confecti. is enim, ut quod animo conceperat, perficere melius poſſet: grauiſſimos eis compedes adhibuerat: tum fame propè ad extremum afflixerat: poſtremo detractis tunicis cædi loro miſerabiliter fecerat. Poſitis igitur in medio captiuis, gallica arma ante pedes eorum proijcit: qualia ſe induere Gallici duces in ſingulari certamine conſueuerunt. addit equos, ſagoſq; multiplici arte perfectos. hinc captiuos rogat: qui eorum ſingulari certamine contendere inuicem uelint? uictori præmium ea, quæ ſupra diximus, munera proponit: uicto: ut defunctus uita præſentium malorum liberetur anguſtijs. Cum omnes ad unum paratos ſe ad pugnam magna uoce proclamarent: Annibal deijci ſortes facit: & quos ſors tetige-

rat, armatos in pugnam iubet deſcendere. Id audientes captiui, eleuatis quiſq; in cœlum manibus deos ut ſe in id certamen legerent, precari. Deiectis igitur ſortibus ij, quos fortuna in id certamen legerat: incredibili efferri lætitia: cæteri mœſti, ſoliciti q; eſſe. Vbi uero pugnatum erat: qui ſupererant ex captiuis: non minus morientis, quàm uictoris fortunam laudabant: ut qui multis eum maximisq; miſerijs, quibus ipſi adhuc uiuentes premebantur: liberatum eſſe intelligebant. Idem habitus animorum inter Carthaginenſes erat. facta nanq; comparatione inter uiuentium adhuc calamitatem, eoſq;, qui alacriter dimicando bene occiderant: horum quidem miſerabantur: illorum uero fortunam præcipue probabant. Cum igitur dux Carthaginenſium Annibal eiuſmodi ſpectaculo affectos multitudinis animos intellexiſſet: confeſtim contionem ingreſſus, Iccirco ſe inquit captiuorum eiuſmodi ſpectaculum in præſentia præbuiſſe: ut alienæ ſortis exemplo in extimanda fortuna ſua uterentur. ſimile nanq; ipſis certamen, ſimilia tempora fortunam attuliſſe: præmia etiã ſimilia propoſita. neceſſe enim uel uincere Carthaginenſes, uel mori, uel uiuos in poteſtatem hoſtium uenire. Si uincerent: non equum, aut ſagum præmia habituros: ſed omnium mortalium beatiſſimos futuros eſſe: felicitate Romanorum adepta. ſi uero inter certandum fortiter mortem oppeterent: omnium eos malorum expertes. quod ſi uicti cupiditate fortaſſis diuturnioris uitæ fugæ ſe committerent: uel alio modo uiuendum ſibi ſtatuerent: omne genus miſeriæ, & calamitatis experturos. Neminem eſſe adeo

rationis inopem: qui, ſi longitudinem emenſi itineris, ſi multitudinem commiſſorum in uia præliorum reuocet in memoriam: tot præterea uiarum amphractus, tot fluminum inſuperabiles meatus contempletur: ſperet ſe aliquo modo incolumem in patriam reuerti poſſe. Quã obrem oportere eos omni ſpe fugæ abſciſſa, quem animum in alienæ ſortis exemplo pauloante habuerant: eundem mox in rebus ſuis retinere. nam quemadmodum illic & uictoris, & morientis fortunam laudabant: ſuperſtitum uero conditionem putabant miſerrimam: ita de ſeipſis iudicari cenſeant oportere. Omnes igitur magno fortiq; animo certamen debere ingredi, ueluti præclariſſimam uictoriam adepturos: aut, ſi id infeſta Carthaginenſium rebus fortuna neget: in acie fortiter morituros. Victis ſpem ullam ſalutis repoſitam haudquaquam putandum eſſe. Si eo animo in prælium deſcenderint: proculdubio & uictoriam, & ſalutem cõſecuturos. quippe neminem unquam ea mente uel ſponte, uel impulſum neceſſitate pugnaſſe: quin uictoriam ab hoſtibus reportarit. id uero tum maxime facile factu fore: cum hæc ipſa hoſtibus contraria eueniũt: uti nunc Romanis accidit. quibus non parua ſpes eſt rebus haud proſpere geſtis, ſuo agro ſuaq; terra per tuta ac pacata itinera fugiendi. His adhortationibus cum militum animi ad certamen accenſi eſſent: & comparatio ducis grata omnibus fuiſſet: Annibal laudatos in præſentia milites dimittit: & ut ſequenti die cum prima luce omnes adſint: iubet. At P. Scipio conſul, cum iam traiecto Pado caſtra ad Ticinum amnem mouiſſet: quos ad opus faciendum aptos norat: conſtruere pontem iu-

bet. reliquos in contionem aduocatos pro tempore hortatur. Multa principio locutus eſt de maieſtate populi romani, ac maiorum ſuorum rebus geſtis: ſed quæ in præſens tempus attinebant, fermè hæc fuere. Oportere eos inquit, etiam ſi nullam in præſentia cum hoſtibus uirtutis experientiam feciſſent: tamen hoc ipſo, quod cum Carthaginenſibus bellaturi forent: ſpem uictoriæ certam habere: neq; putare auſuros illos cum Romanis congredi: à quibus totiens priori bello terra mariq; ſuperati fuerant: quibus tanto tempore tributa pependerant: quorum imperium tot annis fuerant experti. Iam uero, quandoquidem præſentium etiã uirorũ periculũ feciſſent: eos ne inſpicere quidem ora Romanorum auſuros: quid in poſterum ſperandum foret, omnes cernere. Sanè Romanos equites, cum nuper in Gallia cis Rhodanum Carthaginenſium equitibus obuiaſſent: nõ ſolum diſceſſiſſe incolumes: uerumetiam hoſtes turpi fugæ commiſſos uſq; in caſtra perſecutos eſſe: Annibalem, omnemq; Carthaginenſium exercitum, ſimulac Romanorum præſentiam cognouerunt: in modum fugientium raptim diſceſſiſſe: & ſecus, q̃ ſtatuerant, trementes pauidosq; per Alpes feciſſe iter. Atqui adeſſe nũc Annibalem, duabus partibus equitum peditumq; in tranſitu Alpium amiſſis, reſiduum adeo labore, fame, frigore, ſqualore contuſos ac debilitatos: ut uix ſuſtinere ſe poſſent. Eodem modo equos quoq; magna ex parte amiſſos. ſi qui ſuperfuerant: labore atq; itinere confectos penitus inutiles eſſe. proinde ſatis fore Romanis: ſi ſe tantum hoſtibus oſtendãt. quinetiam audaciores ſua præſentia fieri non immerito debere: qui neq; claſſem,

& cõmiſſas ſibi res hiſpanicas reliquiſſet: neq; tanta cele ritate, tanto maris, terrarumq; circuitu eò ſe cõtuliſſe: niſi & patriæ ꝑ neceſſarium id fore, & uictoriã ſibi indubiæ partam intellexiſſet. Hac oratione excitatis militum animis, cum ſe omnes ad prælium alacri animo paratos oſtenderent: Scipio ſolertiam, ac promptitudinem eorum laudans, dimittit, hortatus: ut corpora curarent: &, ſimulac uocarẽtur, præſto cum armis eſſent. Poſtridie eius diei uterq; dux per ripam fluminis ad partem Alpium cum exercitu procedit. Romani amnem ad læuam habebant: ad dexteram Carthaginenſes. Cum uero inſequenti die per exploratores proximos eſſe exercitus cognouiſſent: utrunq; agmen conſtitit. tertio die ambo imperatores cum omni equitatu, Scipio etiam cum iaculatoribus, aduerſum ſe proficiſcuntur: quo ex propinquo copias, quantæ, & cuius generis eſſent, ſpecularentur. Simulac uero appropinquare inuicem cœperunt: & ex inceſſu tot hominum equorumq; ingens in altum puluis euectus: repente prælio ſe expediunt. Scipio iaculatores, & gallos equites in fronte locat: reliquos in ſubſidijs diſponit. Annibal uero firmatos equites in medium accipit: utrunque cornu Numidis firmat. Ita cum exercitus uterque alacri animo prælium inire cœpiſſet: uix ſublato clamore, iaculatores ne uno quidem emiſſo telo fugiunt: & inter ſubſidia ad ſecundam perueniunt aciem. Inde equitum certamen erat. utrinque magnis animis agebatur. pugna aliquandiu anceps extitit. erãt
* equitibus interempti pedites militis uel equo lapſi, uel inter ea tantum, ubi ſuos primi circumuentos uide-

rant, ex equis deſilientibus. Inter hæc Numidæ perio- circuitu à tergo egrediuntur. iaculatores, qui principio impetum equitum effugerant: nunc à Numidis undique circumuenti funduntur: proſternunturq́; cateruatim. Ii quoque, qui in prima acie aduerſus Carthaginenſes dimicabant: multis ex ſuis, pluribus è Carthaginenſium numero interfectis, tandem occurſantibus à tergo Numidis referunt greſſum: plerique eorum paſſim fugiunt. Alij uulneratum conſulem in medium agminis accipientes, confertis equitibus ſe reducunt in caſtra. Hinc confeſtim Scipio iuſſis militibus ſilentio inſequi, caſtra ad pontem, quem ſupra Padum fecerat, ducit: ut ſine tumultu atque periculo traijceret copias. nam cum cerneret campos, qui circa Padum ſunt, patentes latosq́; eſſe: Pœnum longe equitatu meliorem: ſe uero uulnere, quod acceperat, grauatum: tutius fore exiſtimauit: ſi exercitum omnem, antequam hoſtis inſequeretur, traduceret. Annibal aliquandiu pugnare Romanos cum pedeſtribus copijs duxerat. ubi uero eos relictis caſtris ad ripam Padi, ubi pontem parauerat, fugiſſe animaduertit: haud ſegniter inſecutus eſt. Extrema pontis iam reſoluta erant: cuſtodes uero loci adhuc in ripa morabantur. his numero circiter ſexcentis extemplo captis, Annibal, cum reliquam multitudinem longius proceſſiſſe intelligeret: conuerſus rurſum in caſtra redijt, mature perquirens locum, qui faciendo ponti aptus uideretur. quo uix poſt biduum comperto, iungendo ratem flumini pontem fecit. Tum traijciendi exercitus curam Aſdrubali tra-

dit. ipſe interea dat operam audiendis Gallorum legationibus: quæ uariæ è locis propinquis ad eum confluxerant. Quippe ſimulac uulgari fama cœpit, fuſos à Carthaginenſibus Romanos: propinqui omnes Galli, ſicuti ab initio ſtatuerãt, iungere ſe Annibali maturabant. Quos Pœnus humane amplexus, traiectis omnibus copijs per ripam fluminis diuerſo, quam antea, itinere procedit, ſperans ſe per hunc modum facilius iungi cum hoſtibus poſſe. Scipio Placentiam (ea erat Romanorum colonia) traductis copijs, ſimul curandis uulneratorum corporibus intendere: ſimul quo loco traduci exercitus poſſet, cogitare. Annibal tertio poſtquam Padum traiecerat die, ſex millia paſſuum à Placentia caſtra communiuit: & in conſpectu hoſtium directa acie, poteſtatem pugnandi fecit. Auxiliares Galli, qui cum Scipione erant: potiores Carthaginenſium ſpes cernentes, ſtatuto inter ſe tempore defectionis conſilium iniunt: & nocte intempeſta, cum omnes ſopore detentos animaduertiſſent: in ſuiſq; tentorijs armati, ubi præſtitutum tempus aduenit: exeunt: obuiosq; ſibi Romanos magna ex parte cædunt: reliquos obtruncant: ad extremum cæſorum ceruicibus abſciſſis Carthaginenſes adeunt, numero ad duo millia pedium, equites ferè ducenti. Quos Annibal benigne ſuſceptos, & ſpe ingentium donorum accenſos in ſuas quenq; ciuitates dimiſit: quo res hactenus geſtas indicarent: ſuoſq; ad ſocietatem cum Carthaginenſibus ineundam hortarentur. Videbat enim iam penè omnibus neceſſario fore defectionem: tanto à ſuis ciuibus facinore in Romanos patrato. Ad hæc & Boiorum legati aduenerant dedentes Annibali triumui-

ros: quos à Romanis ad diuidendos agros miſſos ab his p ſcelus captos ſupra memorauimus. Annibal eorum beneuolentia laudata, dat ſimul, accipitq́; ſocietatis, atq; amicitiæ fidem: triumuiros reſtituit: ut per eos, ſicuti ſtatuerant, ſuos recipere obſides ualerent. Scipio non tam proditione ſupradictorum Gallorum ac militum ſuorum cæde turbatus, quàm quod ex eo defectionem totius gallicæ gentis iandiu populo Ro. infenſæ ſecuturam augurabatur: conſulendum rebus ſuis opportune iudicauit. Igitur quarta uigilia inſequentis noctis tacito agmine ad Trebeiam amnem, eminentioresq́; eo in loco colles caſtra mouet, fretus tum loci ſitu, tum frequentibus circa fluuium habitantibus ſocijs. Annibal cognita hoſtium fuga, primo Numidas, deinde etiam equitatum omnem inſequi iubet. nec longe poſt ipſe cum reliquis copijs ſequitur. Numidæ in uacua romana caſtra ſtatim diuertentes, cuncta igni abſumunt. quæ res non parũ Romanis profuit. nam ſi continue dimiſſis caſtris ſecuti nouiſſimum agmen fuiſſent: magna romani exercitus clades erat futura. nunc, dum incendendis caſtris tempus terunt: milites magna ex parte Trebiam incolumes trãſgreſſi: pauci moratorum intercepti à Carthaginenſibus, partim cæſi ſunt: partim uiui in poteſtatem hoſtium uenêre. Scipio propinquos flumini colles, ꝙ ſtatiuis tutiſſimi uidebantur: delegit: quibus uallo foſſáq́; diligenter munitis, anxie collegam ex Sicilia cum copijs expectabat. & uulneri quo maiore ſtudio poterat, medebatur: ut imminenti periculo rerum gerendarum particeps belli fieri poſſet. Annibal propè caſtra hoſtium ad quinq; millia paſſuum conſedit: uicinis Gallis abunde non ſolum

commeatum, uerumetiam cætera neceſſaria ſubminiſtrantibus: & pericula quæcunq; cum Carthagnenſibus ſubire paratis. Iam fama profligati romani exercitus peruenerat Romam. quod quanquam præter ſpem omnium acciderat: ob id tamen haud minori ſpe eſſe populus uidebatur. diſſimulabantq; equites romanos nõ tam uiribus à Carthagnenſibus uictos: quàm uel temeritate ducis, uel Gallorum, qui ad Annibalem transfugerãt, proditione. deniq; integris pedeſtribus copijs, ſpes quoq; ſuas de rebus omnibus integras eſſe rebantur. Quamobrem reuerſo in Italiam T. Sempronio, ac per urbẽ Romam tranſeunte, omnes eum palàm ad ſuſcipiendũ cum Carthagnenſibus prælium hortati fuere. Sempronius Ariminum profectus, copias omnes, quæ ibi, uti fuerat iuſſum, ex Sicilia conuenerant: accipit. inde facto ad Trebiam itinere, cum collega coniungitur. Hic exercitum longo labore itineris feſſum, ut qui è Lilybæo quadragnta continuis diebus pedeſtri itinere Ariminum peruenerat: reficit: neceſſaria ad prælium capeſſendum, omni ſtudio parat. ipſe anxie Scipioni aſiſtit: diſcendo quæ hactenus acta eſſent: quid poſtea agendum foret, conſulendo. Per idem tempus Annibal Claſtidium oppidum, quò magnum frumenti numerum congeſſerant Romani: per inſidias capit: brunduſino præfecto præſidij pecunia corrupto. Vbi militibus, qui præſidio præerant: frumentoq; omni potitus, hoc quidem in præſentem neceſſitatem utitur: illos uero ſecum incolumes ducit: ut fama clementiæ uulgata, cæteri ſe in poſterum liberius Carthagnenſibus dederent. proditorem quoq; ſummis honoribus efficit. Poſt hæc cum comperiſſet Gal

los, qui parum id quod inter Trebiam, Padumq́; agri eſt, incolebant: ſecum ſocietate iunctos, miſſis ad duces Romanorum legatis, ab his quoq; amicitiam petiſſe: ut in duorum potentum populorum certamine per ambiguum fauorem utriuſq; gratiam ſibi conciliarent: ira ſimul, atq; indignatione percitus, duo millia peditum, & circiter mille equites numidas gallosq́; inter ſe miſtos graſſari per eorum agrum populabundos iubet. quibus peractis, ingentiq; abacta præda, Galli è ueſtigio miſſis ad conſules legatis, orant auxilium. Sempronius, qui iamdiu cauſam conſerendi prælij dari ſibi cupiebat: eã tunc occaſionem nactus, magnam partem equitatus ſui, mille peditum iaculatoribus admiſtis, trans Trebiam mittit. hi Gallos incompoſitos, inopinatosq́; adorti (quippe de diuiſione prædæ ortum inter eos certamen erat) ingentem terrorem, cædemq́; ac fugam uſq; ad caſtra hoſtium fecere: unde effuſa confeſtim eorum, qui caſtris præerant, multitudine, & inſtauratis Gallorum uiribus, dare terga coacti reuertebantur in caſtra. Quod cernens Sẽpronius, equitatu omni ac iaculatoribus in ſubſidium ſuorum emiſſis, & rurſus cedere Gallos, & in tutum ſe recipere coegit. Annibal, etſi continue erat ad dimicandum promptus: non tamen quacunq; etiam leui occaſione ſumpta ſine maturiori conſilio deſcendendum in prælium arbitrabatur. quamobrem prudentiſſimi ducis officio functus, receptui canere iuſſit: ſuoſque in præſentia intra uallum continuit. Romani quoq; aliquandiu nequicquã laceſſitis hoſtibus, in caſtra rediere: paucis ex ſuis amiſſis: Carthaginenſium uero quãplurimis trucidatis. At Sempronius re proſpere geſta hi-

laris, atq; elatus animo, de ſumma totius rei ſimul decer nere cupiebat: occaſione maxime uertendæ in ſe unum gloriæ: dum æger collega erat. igitur conſilium ſuum Sci pioni aperit. Illi nondum agendæ rei tempus uidebatur: uerum differendũ cenſebat eſſe prælium: ut nouus romanus miles interea exercitatior fieret: ut Galli protractis longius rebus, ut eſt gens leuis atq; infida, à Carthaginenſibus deficerent: deniq; ut ipſe, quem modo uulnus inutilem faciebat: intereſſe poſſit. Sempronius, etſi uera loqui Scipionem intelligebat: tamen ambitione ſtimulatus, ne uel ille intereſſet: uel bellum in nouos conſules (erat enim comitiorum tempus) differretur: omnino ſolus committere prælium decreuit. Annibal (erat enim eiuſdem, cuius Scipio, ſententiæ) intentus, ſoliciatuſq;, occaſionem prælij quærebat: dum fides Gallorum integra foret: dum tyro hoſtium miles: dum melior ex ducibus uulnere inutilis: dum ſuus exercitus ad res gerendas recens: nihil tantopere ueritus: quàm ne pugnam detrectãtibus hoſtibus, tempus terere cogeretur. nec iniuria. nam ducenti per alienam patriam exercitum, & magnas res molienti unus modus ſalutis erat: ſocios in fide retinere. Cum igitur Sempronij deſyderium animaduerteret: auide ſe ad pugnam parabat. erat in medio duorum exercituum locus quidam planus, atq; campeſtris: ſed ad ſtruẽdas inſidias aptiſſimus. habebat enim prealtum riuum utrinq; clauſum ripis: & circa uirgultis, ueprib uſq; obſitum. Eum cum primum circumuectus Annibal oculis perluſtrauit: tendere hoſti inſidias ſtatuit. Enimuero Romani ſyluas ob frequentes in iјs regionibus Gallorũ inſidias ſuſpectas habebant, campeſtribus tantum, atq;

apertis locis freti. ignorabant ſanè planiciem ad tegendos, tutandosq́; inſidiatores interdum ſyluis oportuniorem eſſe. ſiquidem & de longe proſpicere aduenientes hoſtes licet: & latebras interim neceſſarias habet. nam & iuuentus riuus cum breuibus ripis, & calami, & herbæ paluſtres, & uepres, aliáq; huiuſmodi multa non ſolum peditem tegere, uerumetiam equitem ſæpenumero poſſunt: ſi quis fulgentia magis arma parumper ſupina ponat: & galeas, aut in ijs eminentes criſtas capiti detractas contegat. Annibal igitur prædicto, quibus uidebatur futuro certamine, cum omnis alacres reperiſſet: cœnantibus cæteris militibus, uocari ad ſe facit Magonem fratrem, ſingulari uirtuti atq; audacia iuuenem, & ab ineunte æuo in rebus bellicis educatum. huic addit equites centum, & totidem pedites ex omni exercitu electos. quos, ſimulac refecti cœna eſſent, ad tentorium uocatus pro tempore hortatur: & quid facere eos uelit, oſtendit. iubet præterea: ut ſinguli nouenos ſibi ex turmis, manipulisq́; ſimiles ſui eligant: & ad certum locum caſtrorum omnes conueniant. Hi ſedulo mandata ducis pegere. Ita Mago cum mille equitibus, ac totidem peditibus accepto itineris duce, & ab Annibale quid agendum foret edoctus, ad inſidiarum locum peruenit. Annibal prima luce numidas equites laboris apprime patientes uocari ad ſe iubet: quibus pro tempore adhortatis, oblatisq́;, ſi fortiter feciſſent, muneribus, conſilium aperit. tranſgreſſos Trebiam flumen, obequitare iubet hoſtium portis: iaculandóq; laceſſere ad pugnam hoſtem: cupiens eum imparatum, improuidumq́;, &, quod plurimi faciebat, nondum pranſum aggredi. Cæteris dein

de ducibus ſimiliter ad prælium hortatis præceptum: ut prandere omnis ſuos iuberent: armisq;,atq; equis inſtructos prælij ſignum expectare. Sempronius ſimulac appropinquare hoſtes aſpexit: primum omnem equitatum, deinde ſex millia iaculatorum, poſtremo omnes copias in hoſtem eduxit, ueluti de omni re uno tempore certaturus: ut qui & multitudine copiarũ, & pridie initi certaminis felici exitu fretus, uictoriam ſperabat Romanorum fore. Erat tum forte brumæ tempus: & niualis, ac præfrigidus dies. adhæc tumultuarie eductis militibus, atque equis, nullo capto ante cibo parum caloris inierat. Itaq; milites romani, qui principio prompti, atq; alacres erant: ubi flumen ingreſſi ob auctam nocturno imbri aquam pectoribus tenus madidi exiuere: usqueadeo rigore primo, deinde procedente iam die fame affligi cœperunt: ut uix tenendorum armorum potentia militibus foret. Carthaginenſes interim ignibus ante tentoria factis uncti, ciboq; per ocium refecti, inſtructos paratosq; equos habentes, mandatum ducis expectabãt. Annibal uero ad omnia intentus, & peruigil, ubi tranſgreſſos flumen reſpexit hoſtes: locatis ante ſigna Balearibus, ac leuis armaturæ militibus numero fermè octo millibus, copias in aciem educit: prægreſſusq; à caſtris circiter mille paſſus, pedites, qui numero ad uiginti millia inter Hiſpanos atq; Afros mixtis Gallis erant: in cornibus circunfundit: equites etiam in utrunq; cornu diſtribuit. ij cum ſocijs, quos propinquæ Galliæ ciuitates miſerant: ultra X mil. erant. Hinc elephanti à cornibus in utranq; partem conſtituti. Tum Sempronius ſigno receptui dato, equites reuocat: ne incaute perſequentes à

reſiſtentibus ſubito Numidis exciperentur. eſt enim hic Numidarum mos: ut primo ſtatim congreſſu dantes terga paſſim fugiant: mox uero, ubi uiſum fuerit, ſiſtant rurſus: hoſtemq; incredibili audacia ac robore aggrediantur. hinc pedites ſecundum Romanorum morem diſponit. hi ex Romanis quidem circiter XVI millia, ex ſociis uero latini nominis ad XX millia erant. quippe perfectus apud eos numerus copiarum, ubi de ſumma rerũ agebatur: conueniebantq; ſimul duo conſules: ex tot millibus conſtabat. poſt hæc ad tria millia equitum ĩ utroq; ponit cornu. His ita diſpoſitis, in hoſtem graui, ac penè immota acie ferebatur. Iam uero appropinquatis inuicem exercitibus, leuis armaturæ milites inierãt præliũ. Quo facto, extemplo Romani multis modis premi cœpere: Carthaginenſibus uero omnia ſecunda, proſperaq; ſuccedere. Quippe peditibus romanis ieiuna, feſſaq; corpora, & rigentia gelu torpebant: præterea multitudine iaculorum à Numidis coniecta obruebantur. Id equites quoq; cum uniuerſo exercitu patiebantur. Contra, Carthaginenſes integris uiribus, ut qui pauloante curatis corporibus recentes, nouiq; erant: incredibili robore pugnæ inſiſtebant. Itaq; cum primum facto interuallo grauioris armaturæ milites concurrere inuicẽ cœpere: carthaginenſiũ equites ex utroq; cornu ruentes fundunt paſſim, proſternuntq; hoſtem. nam & numero equitum inferior Romanus erat: & uires militibus ob laborem, inediamq; defecerant. Iamq; uerſis in fugam equitibus, pedites animis magis, quàm uiribus pares reſiſtebant. cum Numidæ, quorum latebras improuida præterlata acies erat: exorti à tergo ingentem tumultum ac

terrorem fecere. Tamen tot undiq; circunſtantibus malis immota aliquandiu acies manſit. tandem uero, cum utrunq; cornu premeretur, à fronte quidem ab elephantis, in orbem uero à leuis armaturæ militibus: uerterũt ſe in fugam, ad propinquũ flumen directo curſu. Quo facto, Romani, qui in medio pugnabant: ut fuſa auxilia ſua uiderunt: partim ab ijs, qui in latebris fuerant, circunuenti cæſi, profligatiq; ſunt: alij media Gallorum acie, ubi Afri quoq; permulti erant: cum ingenti cæde hoſtium perrupere. & cum neq; ſuis ſubſidium ferre, neq; in caſtra reuerti poſſent, tum multitudine hoſtiliũ equitum, tum fluminis atq; imbris magnitudine impediti, Placentiã conferto agmine contenderunt, numero ad X mil. hominum. reliqui magna ex parte circa flumen ab elephãtis, equitibusq; oppreſſi. pauci expeditibus, eq̃tibusq;, qui paſſim fugiendo ſparſi per agros erant: ueſtigia agminis ſecuti, Placentiam perrexere. Penè uſq; ad flumen Trebiam hoſtes perſecuti, cum magnitudine imbrium progredi ulterius nequirent: in caſtra redire, uictoria quidem læti: quod pauci ex Afris, Hiſpanisq;, plurimi ex Gallis perierant: ſed uſqueadeo imbre & intolerabili ui frigoris afflicti: ut elephanti omnes uno excepto, iumenta magna ex parte, hominum quoq; atq; equorum ingens numerus perierit. His peractis, Sempronius tegere apud populũ Ro. tantam cladem cupiens, miſit Romam qui nunciarent: uictoriam ſibi è manibus imbris magnitudinem ſuſtuliſſe. Id ſtatim Romani credidere. interiectis uero diebus, ubi copertum eſt, teneri à Carthaginenſibus ſuorum caſtra: Gallosq; omnis ad eos defeciſſe: Romanis copias, quod non ſatis tutæ in

caſtris uiderentur mœnibus contineri: commeatumq́; per Padum ex mari quærere: tantus terror, tantaq́; admiratio inuaſit animos: ut iam ad urbem Romam uictorem Pœnum crederent uenturum. Igitur parare nouas copias: auxilia in Siciliam, ac Sardiniam mittere: Tarentum, & cætera Italiæ oppida munire: L quinqueremium claſſem ædificare: omni deniq; ſtudio ad bellum intenti eſſe. Per id tempus Cn. Seruilius, & C. Flaminius conſules creati, nouo delectu habito, excitisq́; ſociorum auxilijs, alter Ariminum, alter in Tuſciam cõuenire ſuos iubet. in ijs locis, in Galliam decreuerant copias traducere. Præter hæc legati ad Hieronem, qui præſidiũ peterent: miſſi. Hiero quingentos Cretenſes, & mille ſcutatos ad eos miſit. tum quicquid Romanorum uirium erat, aduerſus Annibalem parabatur. nec publice tantum, ſed priuatim quoq; terror omnium animos occuparat. Dum hæc in Italia geruntur: Cn. Cornelius, quem à fratre cum claſſe in Gallia relictũ ſupra memorauimus: ab oſtio Rhodani profectus Emporijs appulit: orſusq́; inde uſq; ad Iberum flumen maritimam omnem oram partim renouandis ſocietatibus, partim nouis inſtituendis, ditionis populi Ro. fecit. Poſt hæc maritimis rebus compoſitis, &, ubi erat neceſſarium, relicto præſidio, ad mediterranea loca ducit exercitum. iam enim aliquot auxiliorum cohortes ex ſocijs ciuitatibus contraxerat. urbes igitur partim deditione partim uiribus cœpit. Quæ intuens Hanno, quem Annibal ad eius regionis præſidium reliquerat: obuiam eundum hoſtibus ratus, caſtra in conſpectu hoſtium poſuit, iuxta oppidum, quod Ciſſam incolæ uocant. Nec

Scipioni differendum certamen uiſum. Quamobrem uictoria potitus, caſtriſq; hoſtium captis, ingentem pecuniam cepit. qui enim cum Annibale in Italia militabant: ſuas res omnes ne grauia impedimenta ferentibus eſſent: apud hos reliquerant. dehinc omnes intra Iberum habitantes, ſocios atq; amicos facit. Duces duo, alter Carthaginenſium Hanno, alter Hiſpanorum Andubal uiui capti. Andubal mediterraneæ regionis eius tyrannus erat, ſemper tamen cum Carthaginenſibus ſentiens. Hac re comperta Aſdrubal, Iberum trangreſſus exercitum aduerſus Romanos mouit. Eunti nuntiatur: milites, naualeſq; ſocios inſolentia adeptæ uictoriæ ſecuros, & negligentes per agros ſparſim uagari. quamobrem cum octo millibus peditum, & mille equitibus citato gradu eò profectus, magnam partem eorum cæcidit: reliquos recipere ſe ad naues compulit. nec diutius his locis permanere auſus, trans Iberum rediјt. Hic diligenter diſpoſitis, ubi opus erat, præſidijs, Carthagini Nouæ in hibernis manſit. Cn. Cornelius hoc nuntio accepto, raptim facto agmine claſſem petit: in eos, qui cauſa cladis fuerant: iuxta morem patrium animaduertit. dehinc pedeſtribus, naualibuſq; copijs coactis, Taraconem in Hiberna proficiſcitur. Illic diuiſa inter milites præda, omnium beneuolentiã ſibi conciliat: & ad res futuras promptiores reddit. Hic erat rerum Hiſpanarum ſtatus. Ineunte uere Flaminius cum exercitu in Tuſciam profectus paucis diebus Arretium ꝑuenit. Seruilius uero copijs Ariminum traductis, motũ hoſtilis exercitus opperiebatur. Annibal, cum in Gallia hiemaret: Romanos captiuos uinculis cuſtoditos tenebat,

uix præbens neceſſaria ad uictum. ſocios autem primo quidem tractauit humane. poſt uero in concionem uocatos pluribus uerbis hortatus eſt: ueniſſe ſe inquiens, non ut bellum Gallis inferret: ſed ut cum Romanis pro libertate eorum pugnaret. quamobrem debere eos, ſi ſapiant, amicitiam ac ſocietatem cum Carthaginenſibus inire. adeſſe ſe: ut in libertatem Italiæ populos uindicet: ut ijs, q per iniuriam à Romanis domo pulſi eſſent: patriam, ciuitatesq; reſtituat. His atq; alijs huiuſmodi dictis, oẽs ſine pretio dimittit, cupiens per hunc modum ſimul Italiæ populos ſibi conciliare, ſimul alienos à populo Ro. facere: tum ſiqui oppidis, aut portibus priuati à Romanis fuerant: contra eos irritare. Verum enim uero dũ in hibernis ageret: inſidijs ſæpenumero à Gallis petitus, eadem leuitate, qua conſenſerant, crimen indicantibus, punico ingenio ſe defenderat crines diuerſarum ætatum artificioſe compoſitos parari iuſſit. his aſſidue mutatis, uarijs ẽt ueſtibus utebatur: adeo, ut non ſolum his, q raro eũ uiderant: ſed ẽt familiaribus ignotus eẽt. ita demũ oĩbus quẽ pro Annibale peterẽt ignaris, tutus erat. Ad hæc ægre ferẽtibus Gallis terras ſuas ſedẽ belli eſſe, ob idq; uti exercitus in alienũ agrũ trãſferretur, cupidos ſe certaminis oſtendẽtibus, maturius mouendũ ex hibernis iudicauit. Iã uer appetebat: cũ uocatis, q docti itinerũ erãt, uias, quæ in agrũ hoſtilem tenderẽt, pquirit, cũ cæteras & longas, & notas hoſtibus ĩtellexiſſet: unã, quæ p paludes ĩ Tuſciã duceret: tametſi difficilẽ, p breuẽ tñ cognouit eẽ: et qua haud opinãtibus hoſtibus traduci exercitus poſſet. Hãc igitur cũ oĩbus copijs ĩgreſſus, Hiſpanos, et Afros, et qcqd robuſtioris exer

catus erat, primos ire iuſſit: admixtis ipſorum impedimentis: ne alicubi conſiſtere coactis neceſſaria ad uſus deeſſent. nam poſt id tempus nulla omnino impedimenta ducere ſtatuerat: q intelligeret Carthaginenſibus, ſi uincerentur, omnia ſuperuacua fore: ſi uero campos obtinerent: nihil prorſus defuturum. poſt eos collocauit Gallos: nouiſſimo loco equites poſuit: quibus præfecit Magonem fratrem: ob id maxime: ut Gallos, ſi tedio laboris, ut ſunt molles & effœminati, referrent gradum: præſidio equitum cohiberent. Hiſpani igitur, atq; Afri per integras paludis uoragines præeuntes, mediocri labore loci iniquitatem ſuperabant, homines iamdudum huiuſcemodi malis aſſueti. Galli uero neq; ſubſtinere ſe pro lapſi, neq; ex uoraginibus aſſurgere poterant. dolorem laborum inexperientia maiorem faciebat: referre gradum inſequentes equites prohibebant. omnes itaque anxii & ſoliciti fatigata ægre trahebant corpora. mœrorem uigiliæ augebant, per quatriduum iam, & tres noctes tolleratæ. ſed inter cæteros Galli maxime angebantur. iumenta paſſim per argillam proſtrata magna ex parte defecere: utrum duntaxat feſſis militibus uſum præbentes: q iis, ſarcinisq; extarent aqua ſuper incumbentes. per exiguam noctis partem neceſſarium quieti locum dabant. equi pleriq; ob continuatum per argillam iter, ungues amiſere. Ipſe Annibal elephanto, qui unus ſuperfuerat: quod altius ab aqua extaret, uectus, ægre tamen emergebat paludes: præſertim morbo oculorum, quem ex intemperie aeris contraxerat: non parum grauãte. ex quo tandem, cum nec tempus, nec locus medendi foret: altero oculo captus eſt. Superatis ad

extremum præter omnium opinionem paludibus, cum certum per exploratores habuiſſet: Flaminium circa Arretij mœnia eſſe: caſtra propter ipſas paludes poſuit: partim ut feſſum tot laboribus exercitum reficeret: partim ut conſilia, & uires hoſtium, & regionis ſitum, & itinera ſcrutaretur. Poſtquam uero compertum habuit: eam regionem in primis Italiæ fertilem eſſe: camposq;, qui Feſulas inter, atq; Arretium iacent, frumento, & omni copia rerum opulentos: præterea conſulem feroccem quidem, & popularem, ſed rerum bellicarum inexpertum, & rebus ſuis nimis confidentem: cogitauit optimum fore: ſi à læua relicto hoſte, Feſulas peteret: ac prædabundus per Hetruriæ agros graſſaretur: ratus conſulem ob inſitam ingenio eius conciliandæ apud uulgus gratiæ cupiditatem, haud paſſurum uaſtitatem per prouinciam fieri: &, ut neminem bene geſtæ rei ſocium haberet: nequaquam expectaturum collegam: ſed ipſum ſuis uiribus dimicandi animo quacunq; intrepide ſecuturum. Quibus ex rebus optimas ſibi ad capeſſendum prælium oblatum iri opportunitates præuidebat: prudenter ſanè, & callide de rebus futuris ratiocinatus. Errat enim: ſi quis putat aliquod magis proprium optimi ducis officium eſſe: q̃ conſilia, & naturam hoſtis intelligere. nam quemadmodum in ſingulari certamine oportet locum, ubi aduerſarium ferias, ſpeculari: & quæ pars corporis nuda, quæ inermis ſit, diligenter animaduertere: ita, ubi de ſumma rerum agitur: inueſtigandum eſt, non ubi nudæ ſint corporis partes: ſed unde natura, ſeu mores ducis hoſtium detegi queant. Multi ſiquidem per ignauiam, atq; ſocordiam non ſo-

lum cōmunes actiones, ſed etiā quæ ad priuatam uitam ſpectant, ſæpe prætereunt. alij uino dediti, niſi ebrij ac temulenti ſint, ſomnum capere non poſſunt. nonnulli res uenereas præter modum ſectantes, nonmodo ciuitates, atq; reſp. euertunt: uerumetiam dedecore uitam peragunt. Ad hæc timiditas, atq; formido in priuatis quidem hominibus opprobrij, ac turpitudinis plena: at in duce exercitus maximarum aliquando iacturarū cauſa eſt. Petulantia uero, & temeritas, & iracundia, præterea etiam faſtus atq; iactantia, ut hoſtibus pcommoda, ita ſuis exitio ſunt. facile enim huiuſmodi homines ad omnes machinas, atq; inſidias hoſtium patent. Quamobrem ſi quis inueſtigatis aduerſariorum uitijs occaſionē aliquam præſtiterit: qua poſtmodum ducis hoſtium compos fieri ualeat: è ueſtigio rerum potietur. quemadmodum enim nauis ſublato gubernatore facile in poteſtatē hoſtium uenit: eodē modo, ſi quis in bello rationibus atq; conſilijs ducem è medio ſuſtulerit: ſtatim reliqui quoq; exercitus compos fiet. Hæc igitur cum diligenter Annibal de conſule Romano ratiocinatus foret: nequaquam opinione ſua fruſtratus eſt. Quanta enim potuit celeritate, per feſulanum agrum profectus, relicto poſt ſe hoſte, campos Hetruriæ cædibus, atq; incendijs uaſtare cœpit. Quibus rebus accenſus conſul, ſimul contemni ſe ab hoſtibus putans, ſimul res ſociorum in conſpectu ſuo ferri, agiq; ſibi dedecus ratus, nullum quietis locum capere poterat. Quocirca multis ſuadentibus, neq; inſequi Pœnum oportere, neq; manus cum hoſtibus conſerere, ſed equitatum, peditatumq; omnem integrum ſeruare, expectare collegam, ut coniunctis exercitibus omnia

cōmuni conſilio gererentur: nequaq̄ perſuaſus eſt: neq; ad id quippiam reſpondit: ſed tantummodo eſt hortatus: ut mentibus conſiderarent q̄d populus Ro. diceret, intuens Pœnum per mediam iam Italiam uagari: & obſiſtente nullo ad ipſa romana mœnia contendere: ipſis poſt terga hoſtium in Tuſcia dormitantibus. Poſt hæc ferè concilio proripuit: coactiſq; repente copijs, inſequi hoſtem cœpit, nullam aut temporis, aut loci rationem habens: ſed dūtaxat conferendi prælij auidus: tanquam uictoria in manibus eius foret. uſqueadeo enim ſpe bene gerēdæ rei animos multitudinis accenderat: ut plures eſſent, q̄ uincula, & compedes, aliumq; huiuſmodi apparatū, quàm qui apta ad dimicandum ferrent arma Annibal uerſus urbem Romam cum exercitu profectus, quod agri eſt inter Cortonam urbē, Thraſimenumq; lacum, omni genere cladis peruaſtat. Simulac uero inſequi Flaminium cum exercitu intellexit: peropportuna eſſe inſidijs ea loca conſpicatus, parare ſe ad prælium cœpit. Eſt eo in loco latior, atq; undiq; circūſeptus campus: qui ab utroq; latere per longum altiſſimis, perpetuiſq; cingitur montibus. in latum uero ad interiorem partem colles aſſurgunt, aſperi atq; difficiles. partem poſteriorem alluit Thraſimenus lacus: inter quem, & montes uia perangusta: per quam in ipſum campum patet ingreſſus. Occupatis igitur anterioribus collibus, in his caſtra locat: ubi ipſe cum Afris modo, atq; Hiſpanis conſideret. Baleares, omnemq; leuem armaturam poſt montes circumducit. equites cum Gallis in ipſis anguſtiis locat: ut, ſimulac intraſſent Romani: obiecto equitatu clauſa omnia lacu ac montibus forent. His ita

per noctem diſpoſitis, Annibal quietem agit. Flaminius hoſtem ſummo ſtudio inſecutus, cum pridie propè ſolis occaſum ad lacum perueniſſet: poſtero die cum prima luce ducere per anguſtias exercitum cœpit. Erat hic dies orta ex lacu proximisq́; montibus nebula caliginoſus ualde, ac perobſcurus. Annibal, ubi maiorem partem copiarum campos ingreſſum, & iam propinquantes ſibi primos animaduertit: dat ſimul omnibus inuadendi ſignum. quo facto undiq;, ut proximi quiq; erant, decurrerunt. Romani ſubito ac improuiſo malo perterriti, denſiſſima caligine impediente proſpectum, hoſtibusq́; ex pluribus locis eodem tempore concurrentibus, neq; acies inſtruere, neq; expedire arma, & uix quid actũ foret, intelligere poterant: alijs à fronte, alijs à tergo, alijs ab utroq; latere prorumpentibus. Quibus rebus factum eſt: ut multi in ipſa profectionis ſpecie, cum opẽ ſibi inuicem ferre nequirent: inſtar pecudum trucidati fuerint: ante oppreſſi ab hoſtibus, q̃ quid agendum eſſet, conſultum foret. Flaminius ipſe in ſumma rerum deſperatione à Gallis quibuſdam circumuentus occiditur. Deſyderata ſunt in eo prælio quindecim millia hominum: qui magna ex parte immota acie ad extremum, ut romani moris eſt, perſtiterunt. Alij fuga ad ipſas fauces, quibus ingreſſi fuerant, facta, fœde ac turpiter ab hoſtibus oppreſſi: ac in prima uada paludis ſe præcipitantes, partim acriter inſiſtendo mox interficiuntur: partim ſe capitibus tenus aquæ immergentes, aliquandiu ita permanſere. tandem uero ingreſſis aquam equitibus, cum uitam ſuppliciter eleuatis in cœlum manibus precantes non exaudirentur: uel trucidati ſunt ab ho-

ſtibus: uel ipſi ſe inuicem hortati manus ſibi adhibuere. Sex millia fermè primi agminis per medios hoſtes eruptione facta, & ſi ſuppetias ferre ſuis, & circumueni re hoſtes poterant: ignari tamen omnium, quæ poſt ſe agerentur: ac continue ut alicui obuiarent procedentes, è ſaltu euaſere. cumq; in tumulo quodam conſtitiſſent: ac depulſa iam nebula ſtragem ſuorum indicaret: omni ſpe ſalutis deſtituti, quod omnia eſſe hoſtium conſpicarentur: citato curſu in propinquum uicum ſe recepere. Annibal confecto prælio, Maharbalem perſequi eos iubet. Hic cum Hiſpanis, ac leuis armaturæ militibus profectus, uicum obſidet. Romani, cũ extremis omnibus premerentur: tandem depoſitis armis, ac ſalute pacta, Pœno ſed idderunt. Hæc fuit Romanorum, Carthaginenſiũq; apud Thraſimenum lacum memorabilis pugna.

His peractis Annibal, uocatis, quos Maharbal in deditionem acceperat: cæteriſq; captiuis, qui numero ſupra quindecim millia erant: primo non potuiſſe Mahar balem inquit, ſe inconſulto ſalutem paciſcentibus polliceri. deinde grauiter in Romanos inuectus, eorum captiuos omnis inter milites diligenter in uinculis aſſeruandos diſtribuit: ſocijs omnibus ſine precio dimiſſis: ueniſſe ſe inquiens, ſicuti in Gallia dixerat, non ut populus latini nominis, ſed ut pro eorum libertate Romanis bellum inferret. Poſt hæc milites corpora curare, & cadauera interfectorum, qui clariores fuerant: mandare ſepulturæ iubet. hæc circiter triginta erant. nam ex uniuerſo exercitu duntaxat mille & quingenti, atq; hi magna ex parte Galli ceciderant. Ipſe interea cum fratre, atq; amicis de rebus gerendis conſultat: uſqueadeo elatis præ

ſenti uictoria animis: ut nihil iam Carthaginenſibus difficile factu fore uideretur. Iam nuntius tantæ cladis peruenerat Romam. patres occultare id diutius, aut minuere apud populum ob magnitudinem facinoris nõ poterant: ſed aduocata in curiam plebe, dicere quicquid eſſet cogebantur. Cum primum igitur prætor è roſtris, pugna, inquit, magna uicti ſumus: tantus terror, ac tumultus ortus eſt: ut qui in utroq; loco fuerunt: maiorem dixerint hoc tempore Romæ, quàm paulo ante in prælio, fuiſſe conſternationem animorum. Neq; id quidem diſſimile ueri eſt. nam qui longo iam tempore non ſolum non re, ſed ne uerbo quidem inſignem aliquam cladem experti fuerant: moderate ferre tantam iacturam non poterant. Senatus tamen, ut par erat, dignitatem ſeruauit, conſultando de rebus futuris: quónam duce, aut quibus copijs reſiſtendum Carthaginenſibus foret. Dum hæc, quæ ſupra memorauimus: in Tuſcia gerebantur: Seruilius conſul, cognito Annibalis in Hetruriam tranſitu, iungere ſe cum copijs collegæ decreuerat. ſed quia difficile erat tantam hominum multitudinem ſimul traducere: C. Centronium proprætorẽ cum quatuor millibus equitum præmiſit: ut, ſi ante aduentum eius aliqua neceſſitas urgeret: mandatis collegæ præſto eſſet. Annibal iam tum uictoria potitus, cognito per exploratores hoſtium aduentu, Maharbalem cum expeditis, & parte equitum procedere obuiam iubet. Hi, ſimulac ad eos peruenere: primo ſtatim congreſſu maiorem partem occiderunt. reliqui fuga in proximum collem recepti, poſtridie uiui in poteſtatem hoſtis peruenere. Hac clade triduo poſt primam Romæ

nunciata, mœſtis adhduc cunctorum animis, uſque-adeo iam non populus modo, uerumetiam ſenatus afflictus eſt: ut, tota ciuitas ueluti quædam imago luctus uideretur. quapropter dimiſſis annuis magiſtratibus, ad creationem dictatoris confugerunt: quod temporis, ac præſentium rerum conditio imperatorem, cui ampliſſima poteſtas eſſet: requirere uidebatur. Annibal rebus feliciter geſtis elatus animo, non dum tamen adeundi Romam adeſſe tempus putabat. Quo circa paſſim uaſtata ferro igniq; prouincia, per Vmbriam, & Picenum profectus, decimo die peruenit in propinquam Adriatico mari regionem, adeo omni genere prædæ refertus: ut neque uehendo, neque ferrendo oneri exercitus ſufficeret. in itinere uero ingentem hominum multitudinem interfecit. iuſſerat enim militibus per præconem, ut obuium quenque idoneæ ad res bellicas ætatis non ſecus, atque in expugnatis ciuitatibus fecerant, obtruncarent. tantum enim aduerſus Romanos genitum erat odium: ut nullo genere crudelitatis abſtineret. Nactus igitur locum in littore Adriatici maris omni generis frugum copia abundantem, ibi per aliquot dies ſtatiua habuit, omni ſtudio intentus, ut militum corpora reficeret, curaretq;: nec minus etiam equorum. Nam & ex frigore, quod in Gallia per hyemem ſub diuo contraxerát: & ex aſſiduis laboribus, quos proxime in tranſeundis paludibus durauerant: diuturno præterea ſitu ac ſqualore armorum, in morbum, ac ueluti ſcabiem quandam & equi, & homines inciderant. interea etiam Afros militaribus ar-

mis iuxta Romanorum conſuetudinem inſtruit: quorum copiam ex tot hoſtium ſpolijs maximam adeptus erat. Miſit præterea mari Carthaginem, qui res feliciter geſtas populo nunciaret. nam tum primum poſt ingreſſum Italiæ littus attigerat. Hoc nuncio Carthaginenſes lætitia affecti, ardentiori ſtudio Italicis, hiſpaniſq; rebus incubuere. Romani dictatorem crearunt Q. Fabium, ſingulari uirtute ac prudentia uirum: qui ob res egregie geſtas Maximi cognomentum adeptus eſt: & uſq; in hunc diem in familia eius durat. Dictator autem eo differt à conſule: ꝙ conſulem duodecim ſecures præcedunt: dictatorem uero quatuor et uiginti. præterea, illos neceſſe eſt multa referre ad ſenatum: at huius eſt ſummū liberumq; imperium: ſub quo mox cæteri magiſtratus ceſſant: exceptis tribunis. Sed de his aliàs latius. Dictatori quoq; addiderunt M. Minutium Ruffum magiſtrū equitum: qui magiſtratus imperio dictatoris ſubiectus eſt: tenetq; in exercitu eius locum: ſi quando abeſſe illum neceſſitas reip. cogit. Annibal breuibus itineribus per littus Adriatici motis caſtris, opulenta ac fertili prouincia exercitum alebat: ueteribus uinis, quorum per magna eſt copia, pedes equorum abluens: quo facilius ſcabie liberarentur. ex militibus quoq; ſi q uulnerati erāt: curari diligenter iubebat: cæteros inſtaurari uiribus, parariq; ad res futuras. Hinc per brucianum, atq; adrianum agrum profectus, Marſos, Marrucinos, & Pelignos deuaſtat: præterea Arpos, & Luceriam Romanorum Coloniam, atq; omnem Apuliæ regionem. Per id tempus Q. Fabius magiſtratu inito, peractiſq; rite ſacrificijs, cum magiſtro equitum, & quatuor ex tempore

conſcriptis

conſcriptis legionibus urbe proficiſcitur: nec multis interiectis diebus in Apuliam peruenit. ubi accepto à Cn. Seruilio conſule, qui eò ex Arimino uenerat, exercitu, ipſum Romam cum præſidio remiſit, iuſſum, ut parata Oſtiæ claſſe, ſi quid interim Carthaginenſes mari tentarent, littora Italiæ ab hoſtibus tutaretur. ipſe cum omnibus copijs profectus, caſtra haud procul Arpis in conſpectu hoſtium poſuit. Annibal, cognito dictatoris aduentu, nulla mora facta educit in aciem exercitum: copiamq; pugnandi hoſtibus facit. ſed ubi aliquantum commoratus neminem prodire in certamen uidet: in caſtra reuertitur. Enimuero ab initio Fabius ſtatuerat haud tentare fortunam belli: neq; manus cum hoſtibus conſerere: id tantummodo ſalutiferum populo romano ratus: ſi oppida ab hoſtium uiribus tueretur. & in hac ſententia uſq; ad extremum conſtanter permanſit. Ex quo principio quidem imbellis ac formidoloſi hominis nomen habere cœpit: ut qui ignauia, atq; ſocordia detrectare periculum uideretur. Interiectis uero temporibus coëgit omnes fateri: neminem potuiſſe uel conſtantiorem, uel ſapientiorem rebus gerendis imperatorem præfici. quod non longe poſt res ipſæ oſtendêre. Intelligebat profecto prudentiſſimus dictator quantum inter Carthaginenſium, ac Romanorum exercitus intereſſet: cum illi ab ineunte ætate continue in rebus bellicis alti, educatiq; eſſent: & ducem haberent unà cum ipſis in caſtris, ac ſub diuo nutritum, ac rem militarem à teneris annis edoctum: præterea tot præliorum in Hiſpania uictores fuiſſent: in Italia aduerſus Romanos, ſociosq; bis hoſtium potiti eſſent: &, quod maius momentum habebat

in tanta rerum extremitate: nullam, niſi in uicto-ria repoſitam ſpem haberent: Romanis uero contra hæc omnia acciderent. Igitur abſtinendum omni-no prælio Numidarum decreuerat: atq; in propoſi-to perſeuerandum. Id erat: ut exercitus populi roma-ni & multitudine hominum, & copia commeatuum aſſidue refertus eſſet. quapropter per loca alta conti-nue agmen ducere: exercitum hoſtium paruo inter-uallo quacunque iret, ſequi: opportunos ſemper col-les præoccupare: neque relinquere unquam hoſtes: neq; copiam pugnandi facere: commeatum abunde poſt ſe ha bere: milites ne ſemel quidem permittere ab exercitu di uidi: ſed confertos ſemper, conglobatosq; tenere. per hũc modum ſuis quidem tuta omnia: hoſtibus uero, ſi quando populandi gratia ab exercitu diuiderentur: infeſta præ-buit: multis ſæpenumero captis: pluribus etiam interfe-ctis. Id autem eo conſilio faciebat: ut ſimul paulatim im-minueret hoſtium uires: ſimul exiguis uictorijs territum priſtinis cladibus militem aſſuefaceret minus iam uirtu tis, aut fortunæ ſuæ pœnitere. ceterũ ut in aciem deſcen deret, nulla ratione adduci poterat. At M. Minutius hãc Fabij cunctationem ægre ferens, timiditatis eum, atque ſocordiæ arguebat: homo ferox, atq; in conſilijs rapidus: & cui nihil longius, quàm pugnæ tempus uidebatur.

Pœni, deuaſtatis prædictis locis, ſuperatoq; Apennino, Samnium tranſeunt, infœcundiſſimam Italiæ oram, & longo iam tempore bellorum expertem. ubi tantam commeatus, rerumq; neceſſariã copiã nacti ſunt: ut nec quotidiano uſu, nec continua deuaſtatione abſumere præ dam poſſent. hinc & Beneuentum Romanorum colo-

niam depopulantur. Teleſiam urbem capiunt, & mœnibus & commeatu, cæteriſq; neceſſarijs rebus munitiſſimam. Romani continue hoſtes unius aut duorum dierum interuallo ſequebantur. Annibal, cum animaduerteret Fabium aperte præliandi occaſionem fugitare: neq; tamen excedere campis: ſed per edita, atq; opportuna loca continue inſequi: citato curſu proficiſci Capuam, et in falernum agrum deſcendere decreuit: ratus alterum è duobus neceſſarium fore: uel ut Romani in prælium deſcenderent: uel ut mox uniuerſis appareret: Carthaginenſes caſtra obtinere: Romanis ſe in munimenta recipiẽtibus. quo facto perterritas prouinciæ ciuitates confeſtim ſe Carthaginenſibus dedituras ſperabat. nam uſq; in eũ diem, quanquá duobus maximis prælijs profligatis Romanis, nullum omnino oppidum ad Carthaginenſes defecerat: multis alioquin exiſtentibus: quibus graue romani imperij iugum uidebatur. Quibus ex rebus facile coniectari licet: quantæ apud ſocios authoritatis foret romanæ reip. maieſtas. Nec ſanè imprudens Annibalis conſilium fuit. eſt enim campanus ager & copia rerum, & fertilitate regionis, & amœnitate ac pulchritudine loci excellentiſſimus. nam & in littore maris poſitus eſt: et eò ex uniuerſo terrarum orbe uenientes in Italiá innumeræ gentes confluunt. ſunt præterea in eo ſitæ nobiliores Italiæ ciuitates. ſiquidem oram maritimam incolunt Sueſſani, Cumani, Dicæarchitæ, Neapolitani, et ad extremum Nucerini: mediterraneá uero à Septentrione Calatini, & Calleni, ab Oriente & Meridie Daunij, & Nolani. in medijs autem campis ſita eſt omnium olim feliciſſima ciuitas Capua: cuius campi fabuloſis

etiam poetarum carminibus inclyti ſunt: quos illi Phlegræos appellant. præterea ſitus ipſe natura munitiſſimus, ac fere inſuperabilis eſt. hinc mari, illinc maximis, perpetuisq; montibus cinguntur. tris tantum aditus habent perangustos, atq; difficiles: unum a Samnio: reliquos ab Arpis. Igitur in hos campos ueluti in theatrum quendam deſcenſuri Carthaginenſes uidebantur: ex quo fugientes hoſtes ſpectarent: ſoliq; de cætero castra obtinerent. His itaque rationibus motus Annibal, exercitum Samnio per anguſtias Eribiani collis deducit: caſtra ad Vulturnum amnem ponit. Exurebatur amœniſſimus Italiæ ager: uillæq; paſſim ferro, atq; incendijs uaſtabantur. Quibus rebus etſi non mediocriter turbabatur Fabius: nihilominus in propoſito perſeuerabat. At M. Minutius, omnesq; tribuni equitum amputandam omnem moram iudicabant: factoq; impetu totis uiribus ruendum in Carthaginenſes: neq; permittendũ, ut ſub oculis romani exercitus feliciſſima regio deuaſtaretur. Fabius per paucos dies celerius ſolito motis caſtris, feſtinare ad prohibendam populationibus Campaniam uiſus erat. ut uero Falerno appropinquauit: tantummodo in iugis montis oſtendit exercitum: ne ſocij reliquiſſe eum caſtra exiſtimaret. in equum uero educere copias noluit, ueritus prælium cum Pœnis committere, tum propter ſupradictas cauſas: tum quia equitatu longe impar erat Romanus exercitus. Annibal, cum ſæpius hoſtem nequicquam tentaſſet: tandem deuaſtata paſſim regione, abductaq; ingenti præda, hibernis locum ſpectabat. Fabius, cum ſatis ſciret per eaſdem anguſtias, quibus intrauerat, rediturum: ratus ea loca peropportu

na eſſe Romanis (ſed quid aduerſus Pœnum moliri uellet?) circiter quatuor millia hominum in ipſis anguſtijs ponit, hortatos, ut magno fortiq; animo, cum res ferret: opportunitate loci uterentur. ipſe cum reliquis copijs collem iiſdem anguſtijs imminentem occupat, quid quaq; in re agendum eſſet, conſultans: unde primum, uel à quibus in hoſtem ruendum: haud dubius, ſe uel profligaturum omnino hoſtium exercitum: uel ſaltem quicquid uehebant prædæ, ablaturum. Verum non fefellit Annibalem ſuis ſe artibus à Fabio premi. ſed his omnibus ante conſideratis, ſingulari aſtutia hoſtis conatum fruſtratus eſt. Collectis undiq; ſarmentorum faſciculis, & omni genere materiæ aridæ alligari boum cornua, quos domitos indomitosq; multos abegerat: iuſſit. ad duo millia ferè boum parata. Datum Aſdrubali negotium: ut ſtatuto tempore pecudum cornibus accenſis, armentum per miniſtros ageret in propinquum ſaltum: qui medius inter caſtra, atq; anguſtias, quers futurum erat iter: eminebat. inde cũ primum illi dari à ſe ſignum animaduerterent: rapide, factoq; impetu boues in aduerſum montem concitarent: donec ad iugum actum foret armentum. His paratis, cœnare omnes, & quieſcere aliquantum iubet. nocte intempeſta, quibus datum erat negotium, quamcelerrime exeunt. boum cornua, uti præceptum erat, accendunt. quo facto Annibal mature educi armentum, atq; ad iugum montis agi nunciat. Expeditos uſq; ad certum locum ſequi iubet, admonitos, cum primum facto impetu diſcurrere per montes pecus cœpiſſet: opportuna loca occuparent: unde tranſeuntibus ſuis opem ferre, hoſtemq; ſicubi obuius fieret, infeſta-

re poſſent. inter hæc ipſe omnem exercitum educit: poſitisq; primo grauioris armaturæ militibus, poſtea equitibus deinde præda, poſtremo Gallis, atq; Hiſpanis, ad anguſtias tendit. Romani, qui ad eos tranſitus inſidendos locati fuerant: ubi in ſummis montibus ignes conſpexere: uenire per ea loca Annibalem rati, præſidio exceſſerunt, iuga montium petentes. & primo cum in quoſdam boues ſe paratos à cæteris incidiſſent: micantes eorum capitibus flammas aſpicientes, ueluti miraculo attoniti, ac maius aliquid exiſtimantes, conſtiterunt. deinde ubi milites quoq; apparuere: iaculatis aliquandiu aduerſus ſe inuicem telis, cum tandem boues interuenirent: utriq; in iugo montis perſtitere, auide lucem, ut rem omnem apertius cognoſcerent, expectantes. Fabius cognito tumultu, inſidias eſſe ratus, tum à certamine, ſicuti ſtatuerat, abhorrens, ſuos munimento tenuit. Iterea Annibal rebus ex ſententia ſuccedentibus, per ſaltum traducit agmen: prædamq; omnem nemine iam impediente integram conuehit. Luce prima conſpicatus Romanos in iugo montis ſuis oppoſitos & numero hominum, & genere armaturæ ualidiores eſſe, Hiſpanorum cohortem ſuppetias mittit. hi primo ſtatim congreſſu circiter mille hoſtium cæſis, ſuos in caſtra ſaluos reduxere. Annibal hoc aſtu anguſtijs falerni agri liberatus, tutioribus in poſterum ad caſtrametandum locis electis, hibernis locum quærebat. Inter hæc pleriq; dictatorem timiditatis arguere: ꝙ hoſtem intra anguſtias clauſum euadere tam facile permiſiſſet. ille nihilominus conſtanter in propoſito perſeuerare. Interiectis uero diebus, Romam ſacrorum cauſa reuocatus,

curam exercitus, rerumq́; cæterarum magiſtro equitum reliquit, pluribus eum hortatus, ne tam hoſtes offendere, q̃ ſuos tutari ſtuderet. At Minutius nequicquam hæc à dictatore præmonitus, omni ſtudio intentus erat in prælium. Dum hæc in Italia gerebantur: Aſdrubal refectis in Hiſpania triginta nauibus, quas accepiſſe à fratre ſupra memorauimus: decemq; huic numero adiectis, principio æſtatis ex hibernis Carthagine mouit. quadraginta nauium claſſem Himilconi tradidit. Eo propè terram nauigante, exercitum ipſe in littore ducebat, ſperans ſe uno tempore cum terreſtribus naualibusq́; copijs ad Iberi oſtia futurum. Cn. Scipio, ubi mouiſſe ex hibernis Aſdrubalem audiuit: primo idem conſilij habuit: deinde propter famam nouorum auxiliorum, ac bellici apparatus, mari potius, q̃ terra concurrendum ſtatuit. Parata itaq; quinq; & triginta nauium claſſe, ex omni exercitu optimum quenq; militem, & ad naualem uſum aptiſſimum delegit. quibus in naues impoſitis, ire obuiam hoſti pgit. ac poſtridie Taraconem ad propinqua Ibero loca delatus, in ſtationem decem millia paſſuum diſtantem ab hoſtibus puenit. inde duæ Maſſilienſium naues ſpeculatum miſsæ. nam ea gens ſocietate aſtricta erat populo romano: & cum ſæpe aliâs, tum maxime tempore ſecundi belli punici aperte cum Romanis ſentiebat. Renuntiantibus ſpeculatorijs claſſem punicam ſtare in oſtio fluminis, ſublatis anchoris in hoſtem ruit, cupiens ex tempore improuidum, atq; imparatum offendere. Verum Aſdrubali datum è ſpecula ſignum aduentum romanæ claſſis indicauerat. quamobrem repente diſpoſitis in lit-

tore terreſtribus copijs, remigibus uero conſcendere naues iuſſis, arma capere omnes iubet. Iamq; Romanis non appropinquantibus modo, ſed dirigentibus in pugnam naues, bellicum cecinere. Carthaginenſes impetu in Romanos facto, aliquandiu proximi uictoriæ ſunt uiſi. poſtea inclinare res cœpit. nam qui in littore erant: non tam audatiam pugnantibus, quàm ſpem ſalutis fugere uolentibus præbebant. duabus igitur nauibus captis, quatuor ſuppreſſis, agere in littus claſſem Pœni cœpere. Tum uero inſequentibus atrocius Romanis, omni conatu aduocato, tandem in littora prorupere: relictisq; nauibus, ad paratam in terra aciem concurrerunt. Romani haud cunctanter inſecuti, naues omnes, quæ moueri poterant: ualidis religatas funibus, extraxere. atq; ita deuictis hoſtibus, imperio maris potiti, læti deceſſerunt. Ad quinq; & uiginti naues hoſtium ex quadraginta captæ. Romani, auctis ex uictoria animis, acrius iam Hiſpaniæ rebus incumbebant. Carthaginenſes accepta ſuorum clade, celerius omni fide paratas ſeptuaginta naues miſere: haud ignari quantum momenti ad omnem rem imperium æquoris afferret. Hæ primo in Sardiniam, deinde Piſas in Italiam delatæ: uti cum Annibale, ſi fieri poſſet, coniungerentur. Romani, ſimul ac aduentum punicæ claſſis intellexere: centum & uiginti quinqueremibus miſſis, tantum Carthaginenſibus terrorem iniecerunt: ut confeſtim in Sardiniam, deinde Carthaginem redierint. Cn. Seruilius, qui romanæ claſſi præerat: ueluti fugientes diu perſecutus, ubi nullam potiundi ſpem animaduertit: claſſem Lilybæo appulit: hinc non longe poſt ad propinquas Africæ inſu-

las nauigauit. acceptáq; ab incolis, ne prouinciam deuaſtaret, pecunia, iter conuertit: & capta inter nauigandum Coſsyro inſula, oppidóq; præſidio firmato, Lilybæum reuerſus eſt. hic poſita in ſtatione claſſe, poſt paucos dies ad terreſtres copias contendit. Interea ſenatus, cognita Cn. Scipionis apud Iberum nauali uictoria, nonmodo utile, uerumetiam neceſſarium iudicauit: bellum in Hiſpania proſequi: & quàm maximus poſſent uiribus, Carthaginenſes terra mariq; infeſtare. quamobrē paratis extēplo uiginti longis nauibus, P. Scipionē prorogato poſt conſulatum impio, in Hiſpaniā mittunt: ut unà cum Cn. Scipione fratre coniunctis uiribus oia communi conſilio tractarentur. nihil enim magis uerebantur Romani: quàm ne potiti hiſpanarum rerum Carthaginenſes impiū maris obtinerent: propter quod & nauigare eis in Italiam liceret: & commeatum, pecuniamq; libere Annibali ſubminiſtrare. Profectus itaq; in Hiſpaniam P. Scipio Cn. Scipioni fratri coniungitur: ac deinde communi conſilio gerebant bellū. Quāobrem, quod ante eum diem non fuerant auſi: Iberum haud cunctanter tranſgrediuntur. Hic ſtatim fortuna fauere Romanis cœpit. Superatis, qui circa Iberi tranſitum habitabant: nemine deinde obuio, Saguntum uenēre. ubi diſtantes à fano Veneris quinq; millibus paſſuum caſtrametati ſunt, loco ut ab hoſtibus tuto, ita ad commeatum ex mari habendum opportuno. accidit ut eodem non longo poſt claſſis quoq; appelleretur. Enimuero quo tempore Annibal in Italiam uenit: obſides ex ſinguli Hiſpaniæ ciuitatibus nobiliorum filios acceperat: eoſq; omnis Sagunti iuſſerat cuſtodiri: q & muni-

tiſſimus erat hic locus: & qui cuſtodiæ relinquebātur, Carthagnenſibus fidi. Erat tum igitur Sagunti Hiſpanus quidam nomine Acedux claritate generis, ac uitæ ſplendore nemini Hiſpanorum ſecundus, Carthagnenſibus uero inter primos fidus. ſed tum, ut ſunt pleraq; barbarorum ingenia: cum fortuna mutauerat fidem. Hic cum Romanorum ſucceſſum in Hiſpania animaduerteret: de obſidibus tradendis cogitauit: eam potiſſimum rem conciliaturam ſibi Romanorum beneuolentiam ratus. Circunſpectis igitur omnibus, quæ deſyderij ſui compotem poſſent facere: tandem Boſtarem præfectum Carthagnenſium adit. Hic ab Aſdrubale in Hiſpaniam miſſus, ut Romanos à tranſitu fluminis arceret: cum id non fuiſſet auſus: caſtra extra Saguntum in ipſo littore poſuerat, homo natura mitis, & præter conſuetudinem Pœnorum haud ſatis callidus. Eum itaque nihil prorſus de fide ſua erga Carthagnenſes uerentem, in ſecretum adducit. quo in ſtatu res ſint: admonet. Carthagnenſes, inquit, metu ad eam diem continuiſſe in fide Hiſpaniarum populos: quod Romani procul abeſſent. nunc uero caſtra Romanorum Iberum tranſiſſe: datam unicuiq; moliendarum nouarum rerum opportunitatem. quamobrem oportere, quos metu non liceat, eoſdem beneficio, & gratia deuinctos facere. Appropinquaſſe Sagunti Romanos inſtructos, paratoſq; terreſtribus & naualibus copijs: urbem periclitare. cenſere ſe: obſides omnes in ciuitates remittendos. Si id fecerit: fruſtraturum ſe primo Romanorum ſpem: qui nulla re magis oppugnare Saguntum nitebātur: q̄ ut obſidibus potirentur: deinde fidem, ac beneuolentiam Hiſpa

norum Carthaginenſibus conciliaturum. Proinde rem conſideret: & obſidum ſaluti conſulat. Si eorum reducendorum curam ſibi tradiderit: non parum ſe quoq; gratiam aucturum: neq; ſolum remiſſis ad parentes filijs obligaturum illorum animos: uerumetiam uniuerſis poſiturum ante oculos quanti facienda ſit benignitas, & clementia Carthaginenſium. Poſt hæc expectare eum iubet munera quãplurima ab ijs, quos filiorũ cõpotes feciſſet. neminẽ tanti beneficij immemorem futurum. Hæc, atq; alia complura in hunc ſenſum locutus, ubi quod cupiebat, Boſtarim perſuaſit: Saguntum reuerſus eſt: ſtatuto die, quo adeſſe cum ijs deberet, qui nobilium filios reducerent. Sequenti nocte clàm profectus ad hoſtium ſtationes, conuentis quibuſdam auxiliaribus Hiſpanis, ad duces perducitur. His effatus pluribus uerbis quanta hiſpanarum rerum acceſſio futura ſit Romanis, ſi obſidum potiantur: tandem traditurum ſe eos pollicetur. Romani ob rei magnitudinem erectis animis, dant ſimul, accipiuntq; fidem: munera præterea ampliſſima pollicentur. conſtituto deinde loco, ac tempore, quo expectare ad recipiendos obſides deberent: domum reuertitur. Poſt hæc aſſumptis, qui ad eam rem apti uidebantur: ad Boſtarem uenit: acceptisq; obſidibus nocte, perinde ac hoſtium cuſtodias fallere uellet: Saguntum proficiſcitur: cumq; caſtra hoſtium paululum pertranſiſſet: ueluti ignarus eius rei omnes in præparatas inſidias perduxit. Romani maximis honoribus Aceduci exhibitis, eo uſi ſunt ad reducendos in ciuitates, ſicuti cum Boſtare ſtatuerat, obſides: miſſis cum eo, qui ad eã rem aptiores uidebantur. Acedux cum no-

biliorum filijs profectus, & per eam reſtitutionem humanitatem ac magnitudinem animi Romanorũ omnibus ante oculos ponens, contra uero Carthaginenſium ſuſpitiones atq; ſuperbiam deteſtans, ac ſui ipſius exemplum præbens, plures Hiſpaniæ populos ad ſocietatem Romanorum hortatus eſt. Boſtarẽ, puerili conſilio amiſſis obſidibus, ſero facti pœnituit. Verũ iá inſtans anni tẽpus utrunq; exercitũ prodire hyematum coëgit. Hæc in Hiſpania ſecunda æſtate belli punici geſta. Annibal, ut eò reuertamur, unde diſceſſimus: cum per exploratores cognouiſſet: maximam frumenti copiam eſſe Luceriæ, ac Geryone: præterea Geryonem commodiſſimum ſtationi locum eſſe: eò traducere exercitum in hiberna decreuit. facto itaq; ꝑ Liburnum montem itinere, ad ea loca contendit. Cum Geryonem ueniſſet, urbẽ quinq; & uiginti millibus paſſuum Nuceria diſtantem: primo uerbis hortari ad deditionem populum cœpit: multis pollicitationibus adhibitis: data etiam fide. poſtea cum id fruſtra à ſe fieri intelligeret: urbem obſedit. qua mox potitus, ciues atq; habitatores omnes interfecit: ædificia uero ad uſum horreorum magna ex parte integra ſeruauit: caſtra ante oppidum poſuit: loco uallo, foſſáq; munito. His pactis, duas exercitus partes frumentatum mittebat. cum tertia expedita ipſe in ſtatione erat: ſimul ut caſtris præſidio foret: ſimul ne impetum in frumentatores fieri pateretur. Cũ igitur lata, & fertilis ea regio eẽt: & multitudo hoĩum penè innumerabilis: præterea tẽpus meſſis inſtaret: ingẽs quotidie frumenti multitudo in urbẽ cõuehebatur. M. Minutius, qui exercitui Romanorũ præerat: principio ꝑ ſaltus ac iuga

montiũ Carthaginẽſes ſequebatur, ſperans ſe aliquãdo in locis difficilibus hoſti occurſurum. poſtquam uero expugnato Geryone, caſtriſq; ante oppidum poſitis, frumentationi dari operam cognouit: in planum defertur: imminentem uiæ tumulum occupat. ubi caſtrametatus, callidioribus conſilijs agitat, quomodo aut in frumentatores, aut in ſtationes hoſtium relictas impetus fieret. Annibal, cum Romanis propius iam adeſſet: tertiam partem militum frumentatum, duabus in caſtris retentis, dimiſit. deinde caſtra ipſa propius hoſtem mouit, duo ferè à Geryone paſſuum millia: ut intentum ſe oſtenderet ad frumentatores, ſi qua uis fieret, tutandos. Interea eminentior inter utrunq; exercitum tumulus apparuit, peropportunus Carthaginenſibus, ſi caperetur, et ipſis Romanorum imminens caſtris. Hunc igitur miſſis per noctem Numidis occupat. Quos orto iam die cũ tenentes locum Minutius uidiſſet: eductis leuis armaturæ militibus, tumulum aggreditur. Acriter aliquandiu certatum eſt. tandem uictores Romani collem obtinuerunt. in eum mox exercitus omnis transfertur. Annibal aliquot diebus, quod aduerſa ſemper erant hoſtium caſtra: apud ſe militem continuit. interiecto uero tempore adegit eum neceſſitas alios cum iumentis in paſcua, alios frumentatum per agros tranſmittere: ut, ſicuti initio conſtituerat, neq; abſumeret iam partam prædam: et frumenti multitudinem ad uſum hibernorum colligeret: ſollicitus uehementer, nequid per hyemem exercitui deeſſet: ac præſertim equis, iumentiſq;: quod maximam ſemper in equitatu repoſitam ſpem habuerat. Minutius uagos, palanteſq; per agrum hoſtes conſpicatus, me.

dio diei tempore copias educit: profectusq; aduerſus hoſtium caſtra, grauiorem armaturam in aciem diſponit: equites cum expeditis in frumentatores dimittit, iuſſos, ne quem caperent uiuum: ſed omnes paſſim interficerent. Annibal repentino malo circumuentus, neq; pugnare acie ob paucitatem ſuorum, neq; ſparſis per agros militibus opem ferre poterat. Romani equites, expeditiq; late cædem ac fugam palatorum hoſtium fecere. Qui uero cum Minutio erant: tantum ea re audaciæ conceperunt: ut & prorumpere in caſtra hoſtium, & ferè Carthaginenſes obſidere auderent. Annibal conſilij atq; auxilij inops, intra uallum ſe continebat, ægre iam caſtra ipſe cuſtodiens: cum Aſdrubal collectis militibus, qui ſe in priora caſtra pro Geryonis mœnibus fuga receperãt, numero ad quatuor millia hominum: Annibali ſuppetias tulit. Tunc Annibal erectis parumper animis egreſſus caſtris uix tandem præſenti periculo exercitum liberauit. Minutius maxima cæde ante hoſtium ſtationem, minori etiam in agris facta, in præſentia abijt: ingenti ſpe de rebus futuris animo concepta. poſtridie uero deſerta hoſtium caſtra occupauit. nam Annibal ueritus ne Romani occupatis per noctem caſtris, quæ uacua pro Geryonis mœnibus erant: totius prædæ potirentur: citato itinere eò cum omni exercitu redierat. Poſt id tempus Carthaginenſes in paſcuis, ac frumentationibus moderatiores fuere. contra, Romani ad omnem euentum audatiores facti. Interea uictoria Romæ (ut fit) longe maiore, quam fuiſſet, nunciata, magna omnium animos lætitia cepit: primo ꝙ poſt tot clades hoc ueluti initium melioris fortunæ arbitrabantur eſſe: tum ꝙ ſegnitiem, ac

timiditatem, quæ hactenus in romano exercitu appa-ruerat: non militum, ſed dictatoris culpa eueniſſe ex eo ratiocinabantur. Quamobrem omnes Fabium ſperne re: eum ut ſocordem, formidoloſumq́; reprehendere. Contra Minutium uſqueadeo extollere in cœlum laudibus: ut, quod ante eum diem factum fuiſſe nulla memoria habebat: dictatoris imperio eius imperio æquauerint, ſperantes eum quamcelerrime finem bellis Italiæ impo ſiturum. Iam duo dictatores uno tempore uno exercitu erant: res ante eum diem inaudita. Minutius ſecundis rebus ac fauore uulgi pluſquam credibile eſt, animo ela tus, iam ueluti deuictis proſtratisq́; hoſtibus gloriaba-tur. Fabius nihil prorſus ob acceptam contumeliam di-minuto animo, & eodem tenore conſiliorum obſtinatus ad exercitum rediit. Hic, cum animaduerteret collegam anxie occaſionem certandi quærere: ueritus nequid teme re committeret: dedit ei optionem: ut uel partitis tempo-ribus, diebus alternis, aut maiore etiam interuallo ſum-mum ius atq; imperium unius eſſet: uel legiones, ſicuti conſulibus mos erat, inter ſe diuiderent: ſuoq; uterq; ar-bitratu proprio exercitu uteretur. Minutio diuiſio legio num magis placuit. Igitur partitis copiis, caſtra quoq; ſeparata ſunt mille & quingentorum paſſuum inter uallo. Annibal, cum nonmodo per fugitiuos, ſed ex ipſis quoq; rebus & ſimultatem ducum, & Minutii te-meritatem intellexiſſet: optimum id intentioni ſuæ fo-re ratus, cauſam certaminis cum Minutio quærebat, ſperans ſe facile impetum atque audatiam eius poſ-ſe comprimere. Tumulus erat inter Minutii, ac Pœno rum caſtra: quem qui occupaſſet: haud dubie iniquio-

rem hoſti locum facturus uidebatur. Eum cum capere Pœnus properaret, certus Minutium, ſicuti alibi fecerat, ſibi ad obſiſtendum occurſurum tali conſilio uſus eſt. Ager omnis medius prima ſpecie, q nudus arbuſtis uepribusq; eſſet: inutilis inſidijs uidebatur. erant tamen in amphractibus plures & cauæ rupes: queis facile celari milites poterant. In has latebras, ut quenq; locum maxime aptum intelligebat: ducentos ſimul, & trecentos, & quingentos equites noctu miſit: pedites uero ad qnq; millia. qui ne forte mane à diſcurrentibus per paſcua hoſtibus conſpicerentur: cum primum luceſcere dies cœpit expeditos ad capiendum, quem diximus, tumulum miſit. Quod ubi primũ Minutius uidit: contempta hominũ paucitate, ad pellendos inde hoſtes exercitum eduxit. Principio leuis armaturæ milites dimittit, iuſſos, ut manus cum hoſte consererent: deinde mittit equites. poſtremo ipſe cum grauiore armatura ſequitur, haud mutato ordine, quem ſuperioribus certaminibus tenuerat. Iam ſol terram radijs illuſtrauerat: omnibusq; animo atque oculis tumulo intentis, inſidiæ latebant. Annibal laborantibus ſuis continue mittebat auxilia: hinc ipſe cum omni equitatu ſecutus eſt. Totis itaque utrinq; uiribus certabatur. tandem oppreſſi multitudine equitum expediti romani milites, refugere ad grauiorem armaturã cœperant. Tum uero exorti repente inſidiatores: & circũquaq; cum clamore, & tumultu ruentes noniam expeditos ſolum, ſed uniuerſum Romanum exercitum in ſummum diſcrimen adduxerunt. Quod cum cerneret Fabius: ueritus ne omnino romana acies profligaretur: motis repente caſtris, collegæ ſuppetias tulit. Cuius aduentu

recreati

recreati Romanorum animi, quanquam ſolutis ordinibus uage diſſipati erant: confeſtim ad ſigna refugerunt: multis expeditorum cæſis: pluribus etiam legionarijs ſtrenuis, ac fortiſſimis uiris deſideratis. Annibal redintegratas recenti ſubſidio hoſtium uires, & iam aduerſus ſe ſigna inferentes conſpicatus, receptui cecinit. Tunc demum Romani omnes, qui bello interfuerunt: temeritate Minutij proſtratum, deletumq; romanum imperium, Fabij uirtute ac prudentia ſeruatum palàm profitebantur. Romæ quoq; ut eſt perlata rei geſtæ fama: manifeſte omnes intellexere, quantum inter temeritatem atq; inſcitiam militum, & prudentiſſimi ducis conſilium ac rationem intereſſet. Romani poſthac unis caſtris contenti fuere: omneſq; unius Fabij imperio paruerunt. Carthaginenſes loco, qui inter tumulum & caſtra medius erat, foſſa circundato, tumuliq; ipſius uertice uallo præſidioq; munito, parare hibernis locum cogitabant. Cum interea comitiorum dies aduenißet: conſulibus L. Aemylio, & C. Terentio creatis, dictatores magiſtratum depoſuerunt. Prioris anni conſules Cn. Seruilius, & M. Attilius Regulus, qui in Flaminij locum ſuffectus fuerat: proconſules ab Aemylio facti, accepta copiarum, quæ in caſtris erant, poteſtate, res bellicas adminiſtrabant. Conſules nouo delectu habito, exercitum inſtaurant: proconſules per literas admonent: ne acie pugnare cum Carthaginenſibus audeant: breuibus tantum modo, aſſiduiſq; certaminibus exerceant militem: tyronemq; ad res futuras uiribus atq; audacia inſtruant: ꝙ præteritarum cladiũ cauſam magna ex parte inſcitiam, atque ſocordiam militum fuiſſe exiſtimarent. L. Poſthumus prætor crea-

tus cum exercitu in Galliam mittitur: ut Gallis, qui cum Annibale militabant: uices redderet. Claſſis, quæ Lilybæi per hyemē ſteterat: inſtruitur nouo remige. Ducibus, qui in Hiſpania erant: neceſſaria mittuntur. Dū hæc Romæ agitantur: Cn. Seruilius, & collega eius Atilius, acceptis conſulum mandatis, nihil præter particularia certamina committunt. Itaq; ſcribere de his in præſentia ſuperſedebimus. nihil enim ſplendidum, aut memoratu dignum, iuſſu conſulum, & anni tempeſtate ueriti geſſere: prudenter alioquin, callidéq; quotidianis rebus adminiſtratis. Per hunc modum uterq; exercitus aduerſis ſemper caſtris hiberna tranſegit. Ineunte uere, cum primum pabulum ſuppeditare agri cœperunt: Annibal ex hibernis mouit. relictóq; Geryone, cum ſtatuiſſet uſqueadeo premere Romanos: ut neceſſario in prælium deſcendere cogerentur: Neapolitanam arcem occupat, frumento & omni commeatus genere munitiſſimam. nam in eam Romani ex Cannuſio, alijſq; circunſtantibus locis frumenti multitudinem repoſuerant: qua deinde ad quotidianos caſtrorum uſus utebātur. Quo facto, ingens ſolicitudo Romanos cepit, non tā ob amiſſam commeatus copiam: quàm quod iam tota ea regio hoſtibus pateret. Mittuntur Romam nuntij: qui id ſenatui ſignificent: quid agendum ſit conſulant. ſtatuiſſe ſe, ſi hoſtes appropinquarint: ablata ſpe fugæ, prouinciáq; paſſim deuaſtata, & nutantibus ſociorum mentibus, in prælium deſcendere. Senatus, nequid adhuc noui moliantur, renuntiat: ſed aduentum conſulum expectent. poſt hæc parari ad diſceſſum conſules iubet. Omnes Aemylium Paulum reſpicere: in eo ſpem omnem

ſitam habere, tum ob uitæ probitatem: tum quod ante-actis temporibus aduerſus Illyrios ſtrenue ac fortiter ſe geſſiſſet. decretum præterea: ut octo legionibus rem gererent: quod ante eum diem inuſitatum erat: legiones ſingulæ hominum V millia haberent. Romani enim, ſicuti ſupra memorauimus: IIII legionibus exercitum complent. ſingulæ quæq; legiones quaternis millibus peditum conſtant, equitibus ducentenis: aut, ſi quando ingens aliqua neceſſitas urget: quinis millibus peditum, trecentenis equitibus. his ex ſocijs totidem pedites adduntur: equites ferè triplicati. copiæ omnes æque inter conſules diuiduntur. in prælium frequenter unus duntaxat conſulum deſcendit cum duabus legionibus, & auxilijs ſociorũ. raro ſimul omnes congrediuntur. At ea tempeſtate tanta omnes formido, tantus terror Carthaginenſium ceperat: ut non quatuor, ſed octo ſimul legionibus romanis dimicandum iudicarint. Quapropter hortatis conſulũ animis, et magnitudine rerũ, in q̃cunq; partem fortuna inclinaret, ante oculos poſita, maturare iter in caſtra iubent: precati, ut magno fortiq; animo, et ſicuti maieſtatẽ populi Ro. decebat, res bellicas adminiſtrarent. Conſules cum in caſtra perueniſſent: permixto nouo ac ueteri exercitu, copias coniungunt. Senatus uoluntatem pluribus exponunt. multitudinis animos pro conditione temporis hortantur, Aemylio Paulo orationẽ habente. cuius hæc ferè ſententia fuit. Ne recentibus cladibus perterriti animis deficerent. quippe ſuperioribus bellis non unã, aut alteram, ſed plures cauſas fuiſſe rerum infeliciter geſtarum. nunc autem, ſi uiri ſint: nihil obſtare, quin pulcherrima uictoria potiantur. Nunquã ante

eum diem utrunq; conſulem cum omnibus ſimul legionibus dimicaſſe: neq; ueteranis exercitatisq; militibus, ſed ignaris inexpertisq; rei militaris tyronibus uſos fuiſſe. & , quod maximi momenti, eſt uſqueadeo conſiliorũ hoſtilium, locorum ſitus, & naturæ regionis ignaros extitiſſe: ut ſæpe uixdum ferè conſpectis hoſtibus oppoſiti, maximum diſcrimen ſubierint. nam qui apud Trebiam fluuium in Gallia profligati fuerant: poſtridie quàm ex Sicilia ueniſſent, temere, nullis conſilijs hoſtium exploratis, in aciem deſcendiſſe. qui iuxta Thraſimenum cæciderant: ante oppreſſos ab hoſtibus fuiſſe: quàm eos cernere ob denſam caliginem potuiſſent. Nunc contra, inquit, omnia nobis adſunt, ò milites. nam & duo conſules uobis adſumus animis atq; copijs iuncti: & præteriti anni conſules nobiſcum retinemus. Vos uero nonmodo quotidiana certamina, & militares ordines, & hoſtiles copias uidiſtis: ſed hæc omnia experti continue exercendo, pugnandoq; ſecundum iam annum agitis. Quo circa cum omnia contraria nobis adſint, q̃ ſuperioribus prælij acciderunt: ueriſimile eſt: exitum quoq; pugnæ nobis contrarium futurum. Neq; credibile eſt: immo prorſus impoſſibile: qui totiens particularibus certaminibus cum hoſtibus æquali numero militum congreſſi uictores diſceſſiſtis: nunc aduocata omni multitudine, cum duplicatum exercitũ habeatis: ab hoſtibus ſuperari. Omnibus igitur uobis ad uictoriam paratis ò milites, duntaxat conſilio ac promptitudine noſtra opus eſt. Qui de rebus pluribus uos hortarer: niſi id alienum huic loco intelligerem. quippe huiuſmodi adhortationes ab ijs expectari debent: qui aut mercede conducti, aut ex ſocijs ac-

cati exercitui præſunt: quibus nihil grauius, q̃ ipſius prælij tempus euenire poteſt. Apud eos uero, quales nos ſumus: quorum non ſolum uita, ſed & patria, & uxores, & liberi periclitantur: commemoratio fortaſſe, adhortatio uero nequaquam neceſſaria eſt. quis eſt enim, qui non malit uel pugnando uincere? uel, ſi id fieri non poſſit, prælio occumbere? q̃ miſerrimam trahendo uitã, tantam contumeliam ac calamitatem expectare? Eia igitur fortiſſimi milites: uoſmet uobis ipſis ante oculos ponite: quid inter uincere, uinciq; interſit, & quæ ex utroq; ſequantur, uobiſcum cogitate. ita uos ad prælium parate: ut non exercitum populi romani, ſed patriam, atq; adeo caput ipſum orbis terrarum periclitari intelligatis. quid enim ſupereſt populo romano, uictis ac profligatis uobis? Omnes ſuas uires, omnem potentiam in uos contulit: ſpem omnem ſalutis in uobis repoſitam habet. qua nolite p̱ deos immortales eum fraudare. Reddite patriæ quas decet gratias. manifeſtum omnibus facite: anteactas clades non icirco accidiſſe, q; Romanis præſtarent Carthaginenſes: ſed ꝗ tunc romanus miles tyro, & rerum bellicarum ignarus eſſet. Hæc, atq; alia huiuſcemodi locutus L. Aemylius, contionem dimiſit. Poſtridie uerſus ſtationem hoſtium eduxerunt exercitum. Ac tertio die circiter ſex millia paſſuum ab illis diſtantes caſtrametati ſunt. Aemylius, cum circum ea loca animaduerteret planos, ac latos eſſe campos: quod ſuperiores equitatu hoſtes erant: haud conſerendum in his prælium exiſtimabat: ſed eò præuertendum hoſtem: ubi peditatus utilior foret. Contra Varro, inexpertus rerum bellicarum, haud differendum putabat certamen: ne ho-

ſtes è manibus elaberentur. Itaq; duo conſules diſſimiles diſcordesq; erant. quo nihil accidere in exercitu perniciosius poteſt. Ea die (nam alternis imperitabant) Varronis imperium erat. Hic motis caſtris appropinquare hoſtibus maturat: indignante, ac reclamante Aemylio. Annibal cum expeditis, equitibusq; obuiam profectus, tumultuario prælio ac præcurſu magis militum, quam ex præparato eos aggreditur. Romani primum impetum acerrime ſuſtinuere. nox prælium diremit. Carthaginenſes, cum non proſpere dimicatio ſucceſſiſſet: in caſtra redierunt. Poſtridie eius diei L. Aemylius cũ & abſtinere pugna decreuiſſet: & tuto traducere exercitum nequiret: trifariã caſtra diuiſit. duas partes citra Aufidũ amnem cõmuniit: qui ſolus diuidit Appenninum: oriẽsq; in parte, quæ mare Tyrrhenum reſpicit: in Adriaticum defluit ſinum. tertiam partem trans Aufidum poſuit, diſtantem à reliquis caſtris circiter mille & ducentos paſſus, à ſtatione uero hoſtium ferè tantundem. Annibal ſpẽ nactus loci ad equeſtrem pugnam aptiſſimi, & facturos copiam pugnandi conſules ratus, dirigere aciẽ cœpit. ueritus autẽ ne ſuperiori caſu timidior facta multitudo eſſet: hortari milites ſtatuit. Aduocata igitur contione, aſpicere omnes circunſtantia loca iuſſit: rogauitq;: quid maius optare à dijs immortalibus potuiſſent: quam oblatum ſibi in ijs locis cum hoſtibus certamen: ubi equitatu, qua parte uirium inuicti eſſent: uti libere ualerent? quod cum uniuerſi alacres approbarẽt: Proinde, inquit, primo dijs immortalibus gratias agite. illi enim præparantes nobis uictoriam hoſtes in eiuſmodi locum adduxerunt: ſecundo nobis: qui noſtra induſtria pugnare ho

ſtem compulimus. neq; enim fugere amplius, neq; detre ctare certamen Romanus poteſt. & pugna, & uictoria in manibus ueſtris ſita eſt. Hortari uos in præſentia, ut ſtrenui ac fortes ſitis: ſuperuacuũ mihi uidetur. id enim tum factu neceſſarium erat: cum Romanorum uirium expertes eratis: quo tempore nos ſæpenumero id uerbis, exemplis'q; præſtitimus. nunc uero cum tribus continuis prælijs tales à Romanis uictorias reportaueritis: quæ tandem oratio magis incendere animos ueſtros poterit, q̃ ipſæ res geſtæ? Superioribus prælijs regione potiti eſtis, & copia rerum omnium: ſicuti uobis polliciti fue ramus. neq; enim fraudati à nobis hactenus promiſſis eſtis. præſens uero certamen pro ciuitatibus eſt: eorum'q; fortunis. Hac uictoria potiti, ſtatim totius Italiæ domi ni eritis: tandem'q; tot laboribus, ac periculis unica pugna liberati, adipiſcemini Romanorum felicitatem: omnium duces, atque imperatores eritis. Quas ob res non uerbis, ſed factis opus eſt. Dijs uolentibus non longe poſt ſeruata à me promiſſa omnes experiemini.

His, atq; alijs huiuſmodi dictis militum animos hor tatus, ac laudata omnium promptitudine, caſtra ad id latus fluminis poſuit: ubi maiora hoſtium caſtra erant. ſequenti die curare corpora omnes iubet: & ad priui legium in proximum diem parari. Igitur tertio die lu ce prima flumen trãſgreſſus, copias acie locat. L. Aemy lius, qͥ animaduertebat in ijs locis haud æquas eſſe ſuo rum uires: & Annibalem ob penuriam rerum ne ceſſario moturum caſtra intelligebat: ſuos intra ſtatio nem continuit. Annibal parua protracta mora, cum fruſtra laceſſere ſe hoſtem intelligeret: in caſtra cæteras

recepit copias: Numidas ad inuadendos ex minoribus caſtris Romanos aquatores dimittit. quibus impedita aquatione, uſq; ad uallum cum tumultu ac clamore proſecutis, indignatus Varro, ab tumultuario auxilio romana caſtra turbari, longe magis ad prælium capeſſendum inflammatus eſt. Nec minus omnis turba militaris auida certaminis erat. adeo omnibus in rebus moleſta ſemper expectatio eſt. Cum interea Romæ nunciatum eſſet: exercitus, q̃q̃ non æquis locis, tamen aduerſus ſe inuicem oppoſitos eſſe: & ſingulis quibuſq; diebus unà congredi: ingens mœror ac ſolicitudo animos omniū cepit. Affectus enim grauibus, ac recentibus cladibus populus Ro. nimium in futura uerebatur. unuſquiſq; intra ſe, quæ futura ciuium romanorum fortuna eſſet, deleto profligatoq; exercitu, cogitabat. quæ libri ſibyllini minabantur, in ore omnium erant. prodigijs, ſignis, oſtentis, templa cuncta, priuatæ etiam ædes ſcatebant. Quamobrem precibus, ſacrificijs deorum, cærimonijs uniuerſa urbs erat intenta. obſeruantiſſimi nanq; eiuſmodi temporibus ſunt Romani publicarum, ac priuatarum religionum: nec quicquam, quod ad ius fáſq; pertineat, prætermittunt. Varro, cui poſtero die ſors imperij obuenerat: cum prima luce inconſulto collega ex utriſq; caſtris copias educit. ipſe cum ijs, quæ in maioribus caſtris erant: flumen tranſgreſſus, eas quoq;, quas in caſtris minoribus habuerat: ſuis adiungit. Atque ita inſtructa acie, romanos equites in dextro cornu (id erat flumini propius) locat. poſt hos continuato agmine pedites ponit. ſociorum equites ad læuum cornu, ante omnes leuiorem armaturam in acie

collocat. erant autem adnumeratis ſocijs octuaginta millia peditum, equitum circiter ſex millia. Annibal eodem tempore tranſgreſſus fluuium, Baleares, leuemq́ꝫ armaturam præmittit. hinc duplici tranſitu reliquis copijs traiectis, hoſti opponitur. gallos, hiſpanosq́; equites propè ripam læuo in cornu aduerſus Romanorum equitatum diſponit: poſt hos pedites inter grauiorem Afrorum armaturam medios collocat: deinde Gallos, atq; Hiſpanos. poſtremo reliquam Afrorum multitudinem. ad dextrum uero cornu numidas equites conſtituit. Afri ita planè armati erant: ut Romanorum aciem crederes: armis ad Trebiam, & Thraſimenũ captis. Gallis, hiſpanisq́; ſcuta eiuſdem formæ erant: diſpares ac diſſimiles gladij. nam Hiſpani quidem breuitate agiles, & cum mucronibus non minus punctim, q̃ cæſim feriebant. gallici uero prælongi, ac ſine mucronibus erant. Harum gentium aſpectus ſpecie ipſa, ac nouitate rei terribilis uidebatur. Galli ſupra umbilicum nudi pugnabãt. Hiſpani linteis purpura prætextis, & candidiſſimis tunicis præliabãtur. Equitũ ad decem millia, peditum ſupra XL millia cũ auxiliaribus Gallis conſtiterant. Dextrũ Romanorum cornu L. Aemylius, ſiniſtrum Terentius Varro regebat. medijs prioris anni conſules M. Attilius, & Cn. Seruilius præerant. Carthaginenſium uero duces erant, in læuo cornu Aſdrubal, dextro Hanno, in medio Annibal. hic ſecum Magonem fratrem habebat. Romanis in Meridiem, Carthaginenſibus in Septentrionem uerſis, neutris ſol proſpectum offendebat. Clamore orto, & leuibus primum armis incœpta pugna, par aliquandiu periculum fuit. poſtea facto à Gallis atq; hi-

ſpanis equitibus ex ſiniſtro cornu in Romanos impetu, non ſolum fortiter, uerumetiam crudeliter dimicabatur. neq; enim equeſtris moræ pugnæ conuertere ſe, atq; iterum in hoſtem procurrere licebat: ſed aduerſis frontibus pugnare omnes cogebantur: nullo circa ad agendum ſpatio relicto: hinc amne, illinc peditibus claudentibus. Acrius tamen, q̃ diutius pugnatum. Victi Romani magna ex parte in acie cæſi: reliqui in flumen proiecti, obrutiq; ſunt. Sub equeſtris finem certaminis pugna inter pedites orta. Galli, atq; Hiſpani primo acriter uiribus, atq; animis hoſti reſtiterunt. poſtea denſitate romanæ aciei oppreſſi, diſſolutis cuneis referebant pedem. Romani tum cupidius inſecuti facile mediam aciẽ, q̃ tenuis inualidáq; de induſtria erat inſtructa: perruperunt. Ita audacius inſiſtentes, nullo reſiſtente ad ſubſidia Afrorum ꝑuenere. hi utrinq; deductis alis conſtiterant. Galli interim diſpoſitis rurſus in ſinum militibus, & quaſi lunari ſpecie facta, nitendo agmen refecerunt. Quo factum eſt, ut Romani calliditate Annibalis à fronte ſimul, atq; à tergo clauderẽtur: hinc Afris, illinc Hiſpanis, Gallisq; prementibus. L. Aemylius, quanquam primo ſtatim prælio grauiter ictus fuerat: adhuc tamen integris uiribus confertis equis in mediã aciem diſcurrit, partim premendo hoſtes, partim ſuos hortando. Idem Annibal facit. Interim Numidæ cum omni equitatu à ſiniſtro in dextrum Romanorum cornu irruentes, inſigne aliquid neq; fecerunt: neq; paſſi ſunt: tantis animis, & adeo æquatis uiribus utraq; acies propugnabat. Romanos tamen diuiſos, atq; undiq; circũdatos milites ad præliũ reddiderunt. Inter hæc Aſdru-

bal emiſſis, qui propè ripam erant, equitibus, à læuo cornu ſubſidium Afris ferebat: quod conſpicati Romanorum ſociorum equites repente terga uerterunt. Id uidens Aſdrubal, callidi ac prudentiſſimi ducis exercuit officium. Numidas, quos & numero plures, & rei militaris expertos, & ſemel uerſis in fugam terribiles eſſe ſciebat: ad perſequendos paſſim fugientes miſit. ipſe pedeſtribus copijs citato curſu in ſubſidium Afrorum perrexit: aggreſſusq; à tergo Romanos, ſimul ſuorum confirmauit uires: ſimul ingentem hoſtibus ſtragem dedit. L. Aemylius pluribus uulneribus confoſſus in prælio cecidit: uir omni officio uſq; ad extremum diem in patriam functus. Romani longa, atq; acerrima pugna in eodem ueſtigio permanentes, tandem omnes trucidantur. Inter quos M. Attilius, & Cn. Seruilius prioris anni conſules interfecti: uiri præſtantes, & romano nomine digni, Eodem tempore Numidæ quoq; fugientem equitatum nacti, maiorem partem interficiunt: reliquos equis deijciunt. pauci Cannuſium incolumes peruenere: inter quos Varro conſul: cui deteſtanda anima ac exitioſum patriæ imperium fuit. Hunc tandem cannenſis pugna habuit finem, ſtrenuis uiris uictoribus ſimul, ac uictis nobilitata. Cuius rei argumentum eſt: ꝙ ex ſex millibus equitum romanorum duntaxat ſeptuaginta cum Varrone Venuſiam euaſerunt. è ſocijs circiter trecenti palantes, uagiq; in proximas ciuitates profugere. ex pedeſtribus autem copijs circiter decem millia in poteſtatē hoſtium uiui puenere: uix tria millia fugerunt. reliquū numero ad ſeptuaginta millia in prælio cecidere. Nec ſanè incruenta Carthaginenſium uictoria fuit. Ex his

Galli circiter quatuor millia deſiderati: Afri, atq; Hiſpani fere mille & quingenti: equites ducenti. Qui uiui capti ſunt ex Romanis: extra periculum fuere. Varro decem millia in caſtris dimiſerat, hoc conſilio: ut, ſi Annibal omnes ſuos in prælium educeret: facto impetu caſtra hoſtium diriperent: omnibusq; in pugna occupatis impedimenta, atq; omnem apparatum Carthaginenſiũ depopularentur. ſi uero præſidium neceſſarium in caſtris dimitteret: tunc longe minores eſſent Carthaginenſium uires: Romanis numero militum multo præſtantibus. Capti autem hoc modo fuere. Annibal quantum ſatis erat præſidij, in caſtris reliquerat. Romani, ubi primum exarſiſſe prælium intellexere: eò, uti ſtatuerant, ueniunt: caſtra obſident. haud ſegniter Carthaginenſes reſiſtunt. uerum iam acriter prementibus Romanis, cedere cogebantur. Sed interim Annibal omni ex parte uictoria potitus, in oppugnantes caſtra impetum facit: Romanos fugat: ad uallum uſq; perſequitur: duo millia eorum interficit: reliquos uiuos capit. Eodem modo Numidæ equites romanos, qui ſparſi fuga per agros fuerant: ad Annibalem perduxerunt. Ita tandem finito prælio, neuter expectatione ſua fraudatus eſt. Siquidem Carthaginenſes ſtatim omni prouincia ſunt potiti: Tarentinis, Campanis, Neapolitanis in deditionem acceptis: cæteris uero omnibus populis iam ad Annibalem reſpicientibus. nec deerat ſpes ipſa urbe Roma mox potiundi. Romani uero in ſummam rerum deſperationem adducti, nonmodo de ſuo, ſed de totius patriæ interitu dubitabãt, iamiam ferociſſimũ hoſtem ad ipſa romana mœnia expectantes. Cũ ciuitas in hoc tumultu eſſet: ut oĩa ad Ro-

manorum calamitatem quadrarent: nuncius ex Gallia puenit: L. Poſthumum prætorẽ, qui exercitui præerat: in inſidias lapſum, fuſum profligatumq́; fuiſſe. Senatus tamen tot undiq; circumuentus malis, dignitatem ſuam ſeruare: hortari populum: munire præſidijs urbem: de rebus præſentibus magno ac forti animo conſultare. quod non longe poſt res ipſæ manifeſtum fecerunt. nam qui modo uicti à Carthaginenſibus fuerant: & rerum bellicarum gloria ceſſiſſe illis uidebantur: non multo interiecto tempore uirtute, ac conſtantia reipublicæ, & conſilio ſapientiaq́; ſenatus, in id euaſere: ut uictis, proſtratisq́; Carthaginenſibus, nonmodo Italiæ, ſed totius orbis imperio potirentur. Quamobrem huic libro ſimul cum rebus hiſpanis, atq; italis, quæ centeſima & quadrageſima olympiade geſtæ fuerunt: extremam imponemus manum. Cum uero ad res ſub eadem olympiade in Græcia geſtas uentum erit: latius de Romanorum rep. diſſeremus. id enim nonmodo ad cognitionem hiſtoriæ neceſſarium, uerumetiam ad emendandas, inſtituendasq́; res publicas utile ſtudioſis futurum arbitramur.

POLYBII HISTORIARVM LIBER QVARTVS, NICOLAO EROTTO INTERPRETE.

A BVNDE (VT nobis quidem uidetur) ſecundi belli punici cauſas ſecundo libro oſtendimus. tum Annibalis in Italiam aduentum, uariaq; Romanorum, ac Carthaginenſium certamina uſq; ad cannēſem pugnā ſumus executi. nunc res eadem tempeſtatate in Græcia geſtas aggrediemur: repetitis primo breuiter ijs, quæ in ſecundo præparationis noſtræ libro à nobis relata fuere: præſertim de rep. Achæorum: ꝙ eam non parum momenti rebus noſtri temporis attuliſſe arbitramur. Igitur à Tiſamene orſi, uno ex Horeſtis filijs, ab hoc uſq; ad Gigi tempora uixiſſe Achæos ſub eius familiæ regibus diximus: poſtea cum his expulſis gubernationem ciuitas ad populum tranſtuliſſet: non multis interiectis annis ducum Lacædemoniorum opera diſſidere inter ſe cœpiſſe. Poſt hæc narrauimus: ut rurſus inter ſe idem Achæi conuenerint: qui primi eius rei authores fuerint: quomodo Peloponneſi omnes in Achæorum cognomen deuenerint. Commemoratæ præterea à nobis ſunt particulares eorum res geſtæ uſq; ad Cleomenis Lacædemoniorum regis conflictum. Hic præparationem noſtram cum Antigoni, Seleuci, & Ptolemæi morte con

cluſimus. omnes ſiquidem (ut à nobis dictum eſt) ſub eadem olympiade diem ſuum obierunt. Nunc ſupereſt: ut reliqua ſcripturi, hinc maxime primordium faciamus. optima enim hæc in primis nobis materia uidetur: primo, ꝙ ea, quæ ſunt ab Arato ſcripta: in hæc tempora deſinunt: ut quaſi continuata græcarum rerum narratio uideatur: deinde ꝙ poſteriora tempora ita inuicem connexa ſunt: ut partim noſtra, partim parentum noſtrorum ætate fuerint. ex quo fit, ut partem ipſi uiderimus: partem ab ijs, qui uiderunt, audiuerimus. Enimuero altius res geſtas repetere, & auditum (ut ita dicam) ex auditu referre, conſilium non fuit: quod nullam ex ijs prouenturam legentibus utilitatem intelligeremus. Quapropter ab ijs exordiamur temporibus: quibus fortuna quoq; per uniuerſum terrarum orbem renouaſſe omnia uidetur. Philippus igitur Demetrij filius adhuc puer iam Macedoniæ imperium ſuſceperat. Achæus omni prouinciæ, quæ citra Taurum eſt, imperans, nonmodo nomen, ſed uires quoq; regias habebat. Antiochus, cui magno cognomen fuit: Seleuco fratri non multo ante tempore defuncto, in regno Syriæ quamuis adoleſcẽs ſucceſſerat Ariarates quoq; Cappadociæ regnum inuaſerat. Eodem tempore Ptolemæus Philopater Aegypti erat imperium adeptus. Nec longe poſt Lycurgus rex a Lacedæmonijs appellatus fuerat. Carthaginenſes Annibalem ad res, quas ſupra memorauimus, gerendas ducem elegerant. Cum in hunc modum omnium renouatum eſſet imperium: nouum quoq; rerum initium futurum uidebatur: quod & natura frequenter accidit: & eo potiſſimum tempore euenit. nanq; Romani, &

Carthagnenſes id, quod ſupra memorauimus, bellum, Antiochus, & Ptolemæus ſyriacum geſſerunt: Achæos uero, & Philippus aduerſus Aetolos & Lacedæmonios contendêre. Cuius belli huiuſmodi cauſæ feruntur. Aetoli iamdiu pacem, & neceſſarias rerum ſuarum impenſas ægre ferebant: homines ſemper rapinis, & piratica uiuere aſſueti. auaritiam eorum augebat naturalis ambitio: cui ſeruientes crudelem ſemper, ac ferinam uitam degunt, nulla omnino amicitiæ aut ſocietatis iura habentes, ſed omnia hoſtilia putantes. Hi tamen, quandiu Antigonus uixit: Lacedæmoniorũ uires ueriti, quietem egerunt. mortuo uero Antigono, cum Philippus in regno ſucceſſiſſet: ætate pueri contempta, belli occaſionem cum Peloponneſijs querere cœperunt: tum quod infeſtando ex ueteri conſuetudine mari, & aſſiduis rapinis aſſueti erant: tum quod ſe multo potentiores Achæis in bello exiſtimabant. Cum in ea cogitatione eſſent: non longe poſt fortuna quoq; conatui eorum fauente, huiuſmodi occaſionem nacti ſunt. Dorimachus Trichoneus Nicoſtrati filius erat. hic adhuc ferè adoleſcens ætolicæ inſolentiæ ac temeritatis plenus, Phigaleam publice miſſus fuerat. ea eſt urbs in Peloponneſo è conſpectu Meſſeniorum montium ſita. & tunc forte in ſocietatem cum Aetolis iuncta erat. oſtendebant autem hunc iccirco à ſe miſſum: ut urbi, regioniq; præeſſet: uerum eo factum erat conſilio: ut res Peloponneſiacas diligenter exploraret. Hic igitur diſcurrentibus per ea loca piratis, & ad ſe Phigaleam ob res neceſſarias uenientibus, cum ex fœdere præbere commeatum non poſſet, durante adhuc pace, quæ ſub

Antigono

Antigono firmata fuerat: tandem piratis perſuaſit: ut Meſſeniorum, qui amici, & ſocij Aetolorum erant: peco ra diriperent. Illi primo è finibus eorum abigere armen ta cœperunt: poſtea procedente paulatim peruicacia, ſpar ſas quoque per agrum diripere: omnia populari, atq; ua ſtare. Meſſenij id grauiter ferentes, legatos ad Dorimachũ queſtum de piratarum iniurijs mittunt. ille principio id contemnere, partim ſuorum utilitati conſulẽs, partim ſuæ: qui prædæ omnis particeps erat. poſtea uero frequen tantibus ſæpius legatis ob continuationem iniuriarum, ſe inquit propediem Meſſenem uenturum: ut ex poſtulã tibus de Aetolorum iniurijs reſponderet. Cum igitur eò ueniſſet: multis, quibus illatæ iniuriæ fuerant, ſe adeun tibus, alios per deriſum reijcere: inſultare alijs: nonnul los iurgijs, conuitijsq; terrere. Dum hæc Meſſene age rentur: piratæ in ſuburbanum, quod Chironis nominãt: noctu uenêre: & admotis ſcalis loco potiti, uaſtant, po pulanturq; omnia. homines partim propugnantes truci dant: reliquos nexos cum armentis abducunt. Meſſenij rurſus ea re maxime ob Dorimachi præſentiam grauius indignati, ac tum demum derideri ſe putantes, eum ac cerſiri ante magiſtratus iubent. Scyron tum forte urbi præerat, uir omni genere laudis apud Meſſenios clarus. hic haud dimittendum urbe Dorimachum conſulit: niſi prius prædam omnem à piratis abactam Meſſenijs re ſtituat: domorum, agriq; uaſtationem inſtauret: pro ijs, qui interfecti fuerant: nocentes tradat. Id conſilium cum omnes approbaſſent: profuſus itaq; in iram Dorimachus ſtultos inquit eos eſſe: ſi talia facientes, Dorimacho ſe, & non Aetolis inferre iniuriam credant. ſe quidem per

Ff

ſummum ſcelus uexari: at illos non longe poſt dignas pœnas daturos. Erat tum Meſſene extremæ ſortis homo, Babyrtas nomine, adeo Dorimacho uultu, corpore, lineamentis, uoce deniq; ſimilis: ut ſi quis ei capitis ornatum, chlamydéq; illius addidiſſet: haud facile fuiſſet uter eorum foret, diſcernere. idq; haud Dorimachum latebat. Cum igitur ſuperbe nimium, atq; inſolenter in Meſſenios inueheretur: iratus Scyron putas'ne, inquit, nobis te, ſeu temeritatem tuam curæ eſſe Babyrthæ? Quæ cum dixiſſet: Dorimachus ipſi cedendum ratus, prædã omnem Meſſenijs reſtituit. Hinc Aetoliam profectus adeo grauiter, ac moleſte Scyronis uerba tulit: ut non alia expectata occaſione, ob id duntaxat bellum Meſſenijs excitarit. Per id tempus dux Aetolorum erat Ariſton. Hic tum forte ob imbecillitatem corporis, quam ex longa ualitudine contraxerat, haud ſatis rebus gerendis aptus, cum Scopæ, & Dorimacho affinitate iunctus eſſet: huic ſummam imperij tradidit. Dorimachus publice in bellum aduerſus Meſſenios prouocare Aetolos non audebat: quod nullam eius rei ſatis dignam cauſam poſſet afferre. quippe indignatione tantummodo illatæ ſibi contumeliæ mouebatur. quamobrem dimiſſa hac cogitatione, priuatim Scopam aggreditur. Suadet: ut ſibi contra Meſſenios adeſſe uelit. ſe in præſentia à Macedonibus oſtendit tutos eſſe, ob pueritiam regis: cum uix decimumſeptimum ætatis annum philippus ageret. Præterea Lacedæmonios à Meſſenijs alienos eſſe. in amicitia præſtare ſe cum Græcis. propter quod neminem ſibi tranſitum Meſſenem impediturum. Poſt hæc quanta ſecutura ſit uti-

litas, ante oculos ponit. quippe regionem omnem ſecuram degere, ſolamq́; omnium tempore cleomenici belli integram permanſiſſe. Aetolos uero id tandem gratiſſimum habituros: ſeq; beneuolentia, & honore proſecuturos. Achæos autem, ſi profectionem ſuam impedierint: ſponte occaſionem bello daturos. ſi permiſerint: libere ſe Meſſenem uſque tranſituros. Atqui Meſſenios belli cauſam tandiu præſtitiſſe: cum ſocietatem inire cum Achæis, & Macedonibus polliciti fuiſſent. Hæc, et alia in hanc ſententiã plura locutus, tantum Scopæ, amicisq́; eius ardorẽ iniecit: ut neq; Aetolorum contione aduocata, neq; expectato magiſtratuum iuſſu, nec iure aliquo ſeruato, ipſi per ſe Meſſenijs, Epirotis, Achæis, Acarnanibus, Macedonibus bellũ intulerint. Statim igitur piratas emiſere. Hi mox regiæ naui ex Macedonia obuij facti, onuſtam Aetoliam perduxerunt: nautas, uectoresq́;, & nauem denique ipſam uendidere. Hinc per maritimam Epiri oram diſcurrere: obuium quenq; prædari: Cephaleniorum nauibus ad iniuriam uti: oppida per inſidias capere. quippe in Acarnania Oreum ceperunt. poſtea quibuſdam occulte in Peloponneſum miſſis, in media Megalopolitanorum regione, caſtello, quod Clarium uocant: potiti fuere. quo poſtea receptaculo uſi, latiſſime piraticam exercebant. Ea tempeſtate Timoxenes Achæorum dux Taurionem oppidum, quod tempore peloponneſiaci belli Antigonus occupauerat: intra paucos dies expugnauit. Siquidem Antigonus rex Corinthum uoluntate Achæorum tenebat: ſecuti ſupra, cum de cleomenico bello tractaremus, oſtendimus. Or-

chomenum uero ui captum non reddiderat Achæis: ſed ditioni ſuæ ſubegerat: cupiens (ut mihi quidem uidetur) non ſolum aditum in Peloponneſum habere: uerum etiam mediterraneam oram, diſpoſitis Orchomeni præſidijs, cuſtodire. Dorimachus, & Scopas obſeruato tempore, quo pauca dies magiſtratui Timoxeni ſupererant: & Aratus ſequentis anni dux nondum inire magiſtratum debebat: congregatis iuxta Rhium montem Aetolis, ac paratis Cephalleniorum nauibus, in Peloponneſum transfretarunt: factoq; per Patrenſium, & Pharenſiũ, & Tritenſium oram itinere, aduerſus Meſſenios graſſabantur. Edictum erat: ne qua intereundum Achæis iniuria inferretur. Sed quis multitudini ſtatuat modum? Vaſtant, diripiuntq; omnia, tandem Phigaleam perueniunt. Hinc facto in Meſſenios impetu, nulla ratione ueteris amicitiæ habita, neglectoq; diuino & humano iure, populabundi per agrum diſcurrunt, omnia ferro, igniq; uaſtantes: Meſſenijs, ꝙ impares uiribus eſſent, ſe ſe intra mœnia continentibus. Achæi, inſtante iam concilij tempore, Egium conuenere. Hic congregatis omnibus, cum hinc Patrenſium, & Pharenſium legati de iniurijs Aetolorum quererentur: illinc Meſſenij præſidium miſerabiliter peterent: Achæij partim indignatione illatæ ſocijs iniuriæ, partim commiſeratione Meſſeniorum permoti, tum grauiter ferentes, ꝙ ſe inſcijs Aetoli exercitum per Achæiam traduxiſſent: ferre Meſſenijs præſidium ſtatuerunt. Timoxenes Achæorum dux (nondum enim magiſtratu exceſſerat) ꝙ Peloponneſij poſt cleomenicum bellum pacatis tranquillisq; rebus deſiſſe ſe ocio, & neglecta militari diſciplina deſides fa-

ctos eſſe intelligebat: moliri quicquam nulla ſpe, niſi mul titudinis fretus uerebatur. Contra uero Aratus ſuorum iniurias grauiter & iniquo animo ferens, inflammatus præterea audacia Aetolorum, nec antiquæ ſimultatis immemor, quamprimum armare Achæos, & cum Aetolis congredi feſtinabat. Quamobrem ante diem quintum, quàm inire magiſtratum debebat: accepto à Timoxene publico ſigno, literas ciuitatibus ſcripſit: quibus cogi in arma iuuentutem, & Megalopolim conuenire iuſſit. De cuius ingenio, antequam reliqua exequar: pauca mihi dicenda exiſtimaui. Aratus igitur in rebus ciuilibus uir uſquequaq; perfectus fuit. nam & facunde eloqui, & prudenter excogitare, & diligenter exequi omnia poterat: in tolerandis ciuilibus diſcordijs initis, in amicitijs ſocietatibusq; iungendis nemini ſecundus. Iam uero fallere hoſtem, moliri inſidias, machinas intendere, poſtremo hæc omnia perducere ad finem, idoneus erat: uir cum ſingulari audacia fretus: tum telerandis laboribus, atque periculis à pueritia aſſuetus. Cuius rei cum multa ſunt teſtimonia: tum ea in primis: quod Sicionem, & Mantineam Achæis tradidit: Pællenem fugatis Aetolis cepit: Corinthi arce, quam Acrocorinthum uocant: potitus eſt. Hic ipſe, ſi quando acie dimicare cogebatur: in conſilijs ſegnis, in ſubeundis periculis timidus erat. Quamobrem triumphis de ſe omnem Peloponneſum expleuit. Vſqueadeo natura hominum non ſolum corpora, uerumetiam animos ſui diſſimiles finxit: ut ſæpenumero unus idemq; homo nonmodo in rebus diuerſis, hic quidem fortiter, illic ſegniter ſe gerat: ſed in ſimillimis quoq; rebus modo inauditam ce-

leritatem, aliâs incredibilem ignauiam oſtendat. & aliquando quidem fortiſſimus, nonnunquam uero timidiſſimus uideatur. quippe multos in uenationibus cernimus aduerſus ſæuiſſimas feras audaciſſimos eſſe: quos ſi ad arma, hoſteſq; tranſtuleris: ignaui, ſocordeſq; apparebunt. in rebus uero bellicis plerique ſingulari certamine acerrimi ſunt: qui in acie nullius pretij forent. Theſſalicos equites conferto prælio inſuperabiles eſſe conſtat. eoſdem, ſi per partes attentaueris: lacerare, carpereq; facillimum erit. De Aetolis uero contrarium euenit. At Cretenſes terreſtribus, ac naualibus prælijs ad inſidias, furta, rapinas, nocturnos inſultus, & omnia doli genera promptiſſimi ſunt. in prælio uero diſpoſitis cohortibus ſegnes, timidi, ac prorſus inutiles. His Achæi, atq; Macedones planè contrarij. Hæc iccirco breuiter memorauimus: ne quis forte miretur: ac propterea hiſtoriæ detrahat fidem: ſiquando eoſdem uiros in rebus ſimilibus diſſimiles fuiſſe oſtendimus. Nunc eò, unde diſceſſimus: reuertamur. Congregatis Megalopoli omnibus, quibus apta ad res bellicas ætas erat: Meſſenij rurſus ad Achæos uenêre: rogantes, ne ſe contemnerent, ita palàm ab Aetolis iniuria affectos. uelle ſe, ſi cum bona uoluntate eorum fiat: inter ſocios eorum aſcribi. nihil in poſterum, quod ad cõmunem ſocietatem pertineat, recuſaturos. Achæorum principes, quatenus ad ſocietatem attinet: nihil à ſe fieri poſſe reſpondent. neque enim ſibi licere inconſulto Philippo, ac ſocijs quenquam in ſocietatem admittere: durante adhuc fœdere, quod tempore Cleomenica belli duce Antigono inter Achæos, Epirotas, Pho

cenſes, Macedonas, Bœotios, Arcadas, Theſſalosq́; initum fuerat. Verum libenter illis præſidio futuros: ſi ipſi liberos ſuos obſides Lacedæmonijs tradant: ſponderentq́;, nunquam ſe cum Aetolis, niſi conſentientibus Achæis fœdus, aut pacem facturos. Lacedæmonij quoque per id tempus cum exercitu iuxta Megalopolim conuenerant, non tam ſub ſpecie ſociorum, q̄ ut euentum rei expectarent. Aratus rebus cum Meſſenijs ita compoſitis, legatos ad Aetolos mittit: qui eos iubeant ex agro Meſſeniorum copias reducere: neque deinceps illos infeſtare: neque Achæorum agrum attingere. ſi ſecus fecerint: ſe eos pro hoſtibus habiturum. Scopas, & Dorimachus, auditis legatorum mandatis, & Achæorum apparatu cognito, parendum in præſentia Arato ſtatuerunt. Quamobrem miſſis ſtatim Cyllenem, & ad Ariſtonem Aetolorum ducem literis, nauigia expoſcunt. ipſi biduo poſt præmiſſa præda diſceſſere: itinere uerſus Elienſes facto. quippe ea gens ſemper in fide Aetolorum permanſerat. Aratus temere illos, uti ſtatuerant, diſceſſuros ratus, copijs uero omnibus dimiſſis, in ſuam cuique domum abeundi poteſtatem facit. ipſe duntaxat cum tribus millibus peditum, & trecentis equitibus, hoc eſt ijs, qui ſub Taurione erant: Patras contendit: quo ſe abeuntibus Aetolis opponeret. Dorimachus ea re cognita, ueritus ne ſibi profectio impediretur: prædam quidē addito ſufficienti præſidio ad naues mittit: iuſſis, quos ad eam uehendam deſtinauerat: ut ſibi ad Rhium, unde ſoluere ſtatuerat: occurrerent. ipſe prædam parumper comitatus,

non longe poſt conuerſo itinere Olympiam uenit. Hic, cum per exploratores cognouiſſet: Taurionem cum ijs, quas ſupra diximus, copijs iuxta Clitoriam eſſe: ueritus ne propterea ex Rhio ſine certamine, aut periculo ſoluere poſſet: optimum factum exiſtimauit: ſi omni amputata mora cum Arato decerneret: quod Aratus & paucis admodum copijs ſtipatus, & futuræ rei ignarus erat. cogitabat enim ſe, ſi hoſtes fudiſſet, antequam rurſus Achæi congregarentur: uaſtata undiq; prouincia tutum, quà decreuerat, diſceſſum facere poſſe. ſi uero Achæi ꝑ formidinem pugna abſtinerent: libere ſe, quà uellet, ſine ullo diſcrimine tranſitum habiturum. His rationibus permotus, caſtra non longe à Megalopoli iuxta Methydrium poſuit. Achæi cognito Aetolorum aduentu, adeo imprudenter præſentibus rebus uſi ſunt: ut nihil ad cumulum ſtultitiæ reliquerint. primo enim Clitorio profecti iuxta Caphias caſtrametati ſunt. poſtea, Aetolis à Methydrio per Orchomenum tranſeuntibus, in Caphienſium agrum copias deduxere: præterfluenti amne ueluti quodam munimento clauſi. Aetoli, tum propter loci iniquitatem (ſiquidem ante id flumen multæ, & profundiſſimæ foſſæ erant) tum, ne forte inter hæc Achæorum copiæ cogerentur, relicto pugnandi propoſito, Olygyrtum uerſus eo, quo conſtiterant, ordine procedunt, callide omnia obſeruantes: ne quo intereundum periculo afflictarentur. Aratus, cum Aetolorum pedeſtres copiæ ferè ad iugum montis perueniſſent: nec longe poſt equitatus omnis per campos inſequeretur: equites, ac leuioris armaturæ milites duce Acarnane in hoſtes emittit, iuſſos, ut cum equitibus

congrederetur: & fortunam belli tentarent. quod ſanè imprudenter factum eſt. nam ſi capeſſendum prælium fuit: non cum poſterioribus congredi oportebat: cum iam à montibus non longe abeſſent: ſed cum primis: antequam ad ſumma conſcenderent. ſic enim futurum fuerat omne in campis certamen. quæ res & Aetolis ob genus armaturæ, atq; adeo omnem ordinem pugnandi, ſine dubio cladem, & Achæis uictoriam peperiſſet. Sed Aratus oblatam ſibi & loci, & temporis opportunitatem in hoſtes per imprudentiam tranſtulit. ſiquidem Aetoli, ſimulac uenientes Achæos perſpexere: omni, qua poſſunt, celeritate ad montem contendunt, feſtinantes ſe cum peditibus ſuis coniungere. Aratus nec ſatis quid actum foret conſpicatus, nec conſilium hoſtium intelligens, cum primum currentes uerſus montem equites animaduertit: fugere eos ratus, ferentarios ab utroq; cornu dimittit. hos expeditis, atq; equitibus ferre ſuppetias iubet. ipſe cum reliquis copijs longo cornu facto eodem anxius feſtinat. Equites Aetolorum, ubi ad radices montium uentum eſt: remiſſius aliquanto procedere, peditesq; ingenti clamore reuocare cœperunt. quibus repente in ſubſidium ſuorum confluentibus, ubi ſe numero haud inferiores hoſtibus intellexerunt: in equitatum Achæorum conuerſi, cum & multitudine hominum, & loci opportunitate præſtarent: impetum in eos faciunt. Maximis utrinq; uiribus certatur. uictoria aliquandiu anceps fuit. Tandem uero Achæorum equites repulſi. Quibus fugientibus, cum ferentarij, qui in eorum ſubſidium miſſi fuerant, obuiaſſent: partim nouitate rei perterriti, partim impetu

ſugientium ſuorum reiecti, ipſi quoq; idem facere ſunt coacti. Quibus ex rebus accidit: ut qui in acie uicti ſunt, uix quingenti, qui uero fugæ ſe commiſere: ſupra duo millia hominum fuerint. Aetoli quid agendũ foret ab ipſa re edocti, cum clamore atq; lætitia Achæos inſequuntur. illi eodem in loco, atq; eo, quo dimiſerant ordine, conſiſtere ſuos rati, ad Aratum confugiunt. quare fuga eorum & honeſta principio, & ſalutaris uidebatur. ubi uero illos etiam loco motos longo, ac perturbato ordine uenire conſpexerunt: alij per diuerſa itinera fugientes ſalutem quæſiuere: alij curſu in ſuos facto, ipſi ſe inuicem non expectatis hoſtibus profligarunt. itaq; tandem omnes in fugam uerſi, in propinquas ſe urbes receperunt. ſiquidem Orchomenus, & Caphiæ non longe aberant. quod niſi accidiſſet: omnes eo die aut capti, aut trucidati ab hoſtibus fuiſſent. Hæc igitur clades Achæorum propè Caphias fuit. Megalopolitani, cum eis nuntiatum eſſet: Aetolos iuxta Methydrium caſtrametatos eſſe: omnes una uoce congregati poſtridie eius diei, quo geſtum id bellum fuerat: in ſubſidium Achæorum contendère. & cum quibus uiuentibus pugnaturos ſe aduerſus hoſtes ſperabant: eoſdem ſepelire ab hoſtibus interfectos ſunt coacti. Parata igitur ingenti ac profunda foſſa, ac mortuorum corporibus congregatis, iuſta eis more patrio perſoluerunt. Aetoli præter ſpẽ uictoria potiti, libere iam per mediam Peloponneſum iter facere. Quo tempore tentata Pelleneſium fide, & agro Sicyoniorum deuaſtato, tandem per Iſthmi anguſtias abierunt. Cauſæ igitur ſocialis bellĩ hæ, quas ſupra diximus: fuere. Initium uero ex de-

creto ortum: quod poſtea inter ſocios factum fuit: & Corinthi: quo omnes ob eam cauſam conuenerant: Philippo quoque Macedonum duce approbante confirmatum. Achæi paucis interiectis diebus, in concilio congregati publice, & priuatim Aratum deteſtabantur: ut qui tantæ cladis, ac iacturæ author fuiſſet. quapropter augentibus factum diuerſæ in repu. factionis hominibus, longe magis multitudo omnis incendebatur. In hoc enim primo uidebatur ab eo grauiter peccatum: ꝙ magiſtratu ante tempus ſuſcepto, ſublatisq; alterius partibus, res eat aggreſſus: quas antea quoque ſæpenumero infeliciter geſſerat. deinde etiam grauius: ꝙ commorantibus adhuc in medio Peloponneſo Aetolorum ducibus, Achæorum exercitum dimiſerat. tertio: ꝙ ita paucis ſtipatus copijs prælium ſuſceperat: præſertim nulla urgente neceſſitate: cum tuto ſe in proximas ciuitates recipere potuiſſet: quouſque denuo Achæi congregarentur: & tunc, ſi id omnino commodum foret: prælium inire. poſtremo: ꝙ ita imprudenter rebus bellicis uſus fuerat: ut omiſſa per ignauiam camporum opportunitate, ubi ſui ſine dubio præualuiſſent: hoſtes in montibus per leuioris armaturæ milites eſſet aggreſſus. quo nihil accidere Aetolis utilius, aut opportunius potuerat. Veruntamen ſimulatque Aratus redijt: & concilium ingreſſus commemorare cœpit res ante eum diem à ſe pro ſalute reipu. geſtas: ac proxime cladis rationes attulit: ſeq; non fuiſſe eius cauſam, ut falſò inimici calumniarentur, expoſuit: poſtremo etiam ueniam petijt: & ſi quid à ſe erratũ eſſet: debere Achæos

oſtendit non tam acriter & ſeuere,q̃ pie atq; humaniter euentum rei conſiderare: tanta repente mutatio animorum facta eſt: ut plebs, quæ modo ita infenſa Arato uidebatur: mox omne odium in diuerſæ factionis homines tranſtulerit: ac iam de cætero quibuſcunq; in rebus Arati conſilium, atq; ſententiam ſecuta ſit. Hæc igitur centeſima & trigeſimanona olympiade geſta ſunt. quæ uero ſequũtur: centeſima & quadrageſima. Decretum igitur erat ab Achæis: ut legati ad Epirotas, Bœotios, Phocenſes, Acarnânes, & Philippum Macedoniæ regem mitterẽtur: qui oſtenderent: quomodo bis iam Aetoli contra leges fœderis Achæiam ingreſſi forent: peterent'q; ab eis ex fœdere præſidium: præterea ut Meſſenios in ſocietatem aſciſcerent: ut dux Achæorum peditum quinq; millia & quingentos equites pararet: & Meſſeniꝭs, ſi iterum ab Aetolis infeſtarentur: ſubſidium ferret. Præterea cum Lacedæmoniꝭs, Meſſeniꝭs'q; componeret, quibus copiꝭs pedeſtribus, atq; equeſtribus ad communes uſus deberent eſſe inſtructi. Quæ poſtq̃ decreta ſunt: Achæi memoratam cladem magno ac forti animo ferentes, neq; Meſſeniorum rem, neq; propoſitum ſuum deſtituere. Legati mandata diligenter proſequi: dux iuuentutem, uti iuſſum fuerat, cogere: cum Lacedæmoniꝭs, Meſſeniꝭſq; componere ut peditum utriq; duo millia & quingentos, ducentos & quinquaginta equites pararent: quo multitudo omnis ad bellum inſtructa ad duo millia peditum forent: equites mille. Aetoli, cum iam concilꝭ tempus adueniſſet: congregata multitudine, pacem agere cum Lacedæmoniꝭs, ac Meſſeniꝭs, cæteriſ'q; propinquis populis ſtatuerunt: partim angu-

ſtia rerum coacti: partim ut ſocios, atq; amicos Achæorum debilitarent. Cum Achæis uero ita rem componere decreuerunt: ſi à Meſſeniorum ſocietate deſiſterent. ſin uero in propoſito ꝑmanerent: bello aggrediendos iudicauere. Quo quid dici irrationabilius poteſt? nam cum Achæi cum Meſſenijs ſocietate iuncti eſſent: ſi quidem in ea perſiſterent: bellum Achæis indicebant: ſi uero Meſſeniorũ hoſtes fierent: pacem eis pollicebantur. Quã obrem aduerſantibus ſibi inuicem rebus, locum habere petitiones eorum nequiuere. Epirotæ, & Philippus rex auditis, quæ relata per legatos fuerant: Meſſenios in ſocietatem acceperunt. De iniurijs uero Aetolorum, etſi non nihil ſunt indignati: nullam tamen ſuſcipere admirationem uiſi: ꝙ illi huiuſmodi rebus aſſueti nihil noui moliti uidebantur. Itaq; non inuiti cum eis in pace perſeuerabant. Ita interdum inueteratæ ac cognitæ iniuriæ potius, quàm nouæ & inſolitæ ueniam conſequũtur. Aetoli igitur his modis uſi, deuaſtata frequentibus incurſionibus Græcia, et illatis ſæpenumero prius, quàm indictis bellis, ne reſpondere quidem de iniurijs quærentibus dignabantur: ſæpe etiam petentes à ſe geſtarum, ſiue gerendarum rerum rationem aſpernabantur, atq; irridebant Lacedæmonij, etſi nuper opera Achæorum ab Antigono in libertatem fuerant reſtituti: Philippóq;, & Macedonibus promiſerant, nihil ſe aduerſum eos molituros: miſſis tamen clàm ad Aetolos legatis, ſecretam cum ijs amicitiam, ac ſocietatem firmauerunt. Congregato interea Achæorum exercitu, Lacedæmonijſq;, ac Meſſenijs, uti ſtatutum fuerat, ad ſubſidium paratis, Scerdilaidas, & Demetrius cum nonaginta lembis ex Illy-

rio nauigantes, præter fœdus cum Romanis percuſſum Liſſum tranſgreſſi ſunt. qui primo tentata Pylo, cum aliquandiu urbē oppugnauiſſent: tandem non ſine dedecore ſunt repulſi. Poſt hæc Demetrius cum quinquaginta lembis curſu in Cyclades facto, inſulas populatur: nō nullas per proditionem capit. Scerdilaidas uero cum reliquis quinquaginta lembis Naupactum contendit, fretus amicitia Amynæ Athamanorum regis: cui affinitate coniunctus erat. Hic Agelao medio tentatum cum Aetolis fœdus, ut æque diuiſa præda, unà cum eis in Achæiam proficiſceretur. Quod poſtquam inter Scerdilaidam, & Agelaum, Dorimachum, ac Scopam conuenit: congregatis undiq; Aetolis unà cum Illyrijs in Achæiam irruerunt. Ariſton Aetolorum dux, perinde ac ſi earum rerum ignarus eſſet: domi in quiete permanebat: pacem ſibi, non bellum cum Achæis aſſerens eſſe: imprudenter ſanè, ac planè pueriliter. quid enim ſtultius: quàm res claras, atq; euidentes putare uerbis dī uitius poſſe celari? Poſthæc Dorimachus cum ſuis incredibili celeritate Cynethā uenit. Cynethenſes, ut qui longo iam tempore Arcades fuerant: maximis continue odijs, ac ſeditionibus uexabantur. uariæ apud eos cædes, exilia, rapinæ, dilapidationes fiebant. Accidit tandem: ut qui Achæorum partes ſequebantur: principatum in urbe obtinerent. quare & cuſtodes murorum, & ducem ciuitatis ex Achæia habebant. Quæ cū ita eſſent: non multis annis ante Aetolorum aduentum, cum exules ad eos, qui in urbe erant, tranſmiſiſſent: & de receptione in gratiā, atq; concordia precati eſſent: præſides ciuitatis eorū uerbis perſuaſi legatos ad Achæos miſêre,

eam concordiam cum conſilio atq; ſententia eorum perficere uolentes. Quibus id mox conſentientibus Achæis, ꝙ utriuſq; fidem ac beneuolentiam conſtantem erga ſe futuram arbitrabantur: cum & hij, qui intra urbem erant: omnis ſpes ſuas in Achæis haberent: & illi beneficio Achæorum ſe conſeruatos exiſtimaturi forent: Cynethenſes & præſidium, & ducem Achæorum ex urbe emiſere. exules uero numero circiter trecentos intra urbem aſciuerunt: recepta ab ijs fide, &, quibus religioſius aſtringi mortales poſſunt, adhibitis ſacramentis. Verum illi, nulla cauſa, ſiue occaſione moliendi res nouas expectata, ſimulatq; intra urbem admiſſi: conſilium prodendæ ciuitatis, ulciſcendiq́; conſeruatores ſuos inierunt: ut mihi uideantur inter uictimarum cædes, cum fidem ac iuſiurandum inuicem præſtabant: tunc maxime de impietate in deos, & crudelitate in conſeruatores capitis ſui cogitaſſe. uix enim intra mœnia recepti Aetolos, quibus urbem proderēt: aduocauere. Res hunc in modum perfecta fuit. Nonnulli ex ijs, qui ab exilio fuerāt reuerſi: polemarchi ſunt creati. qui magiſtratus claudēdarum portarum urbis curam habebat: & claues nocłu detinebat: & interdiu ad cuſtodiam portarum commorabatur. Aetoli, paratis ſcalis, cæteriſq; rebus neceſſarijs, tempus perficiendæ rei præſtolabantur. polemarchi, interfectis diuerſæ factionis collegis, portam ciuitatis recluſere. Quo facto repente Aetoli alij per portam ingredi: alij admotis ſcalis mœnia conſcendere. Tum turbata nouitate rei uniuerſa ciuitas paſſim ruere. omnia terrore, tumultuq; compleri: cum neque portæ ſuccurrere poſſent: hoſtibus certatim è muris proſi-

lientibus:neq; mœnibus ſubuenire:eiſdem per portam ca teruatim ingredientibus. Quamobrem Aetoli è ueſtigio urbe potiti, ex omnibus rebus à ſe per iniuriam perpetratis, hoc unum iuſtiſſime fecerunt: q̄ interfectis ſtatim urbis proditoribus, omnes eorum fortunas diripuere. Idem tamen poſtea in cæteros quoq; patratum. ſiquidem ſubſtantia omnis ablata. homines, ut, ſi quid celatum eſſet, confiterentur, grauiſſimis affecti tormentis: multi etiam interfecti. Per hunc modum capta urbe, paucos poſt dies relicto in ea ſufficienti præſidio, cum exercitu uerſus Luſas diſceſſerunt. Vbi, cum templo Dianæ appropinquaſſent: quod eſt inter Clitorium, et Cynethā: ac ueluti aſylum à Græcis habetur: populari greges, atq; armenta deæ, ac omnis diuitias fani expilare uoluerunt. Sed Luſiatæ ad reprimendam gentis impietatem, partem earum rerum ſponte illis obtulere. Qua accepta Aetoli ſubito profecti, non longe à Clitorio caſtrametati ſunt. Per idem tempus Aratus dux Achæorum legatos ad Philippum miſerat: qui auxilia accerſirent: delectos undiq; aduocarat: à Lacedæmonijs, atq; Meſſenijs eos, qui ex fœdere debebantur: petierat. Aetoli primo hortari Clitorienſes cœperunt: ut dimiſſis Achæis ſecum inirent ſocietatem. quos deinde abnuentis uarijs certaminibus infeſtabāt: & admotis ſcalis tranſcendere urbis mœnia nitebantur. Verum ciuibus magno ac forti animo propugnantibus, ſpe capiendæ ciuitatis ad extremum deſtituti, obſidionem diſſoluêre: ac rurſus Cynethā reuerſi, direptis deæ gregibus atq; armētis tradere urbem Elienſibus uoluêre. quibus donum reſpuentibus, ipſi per ſe cuſtodire decreuerunt: Euripide duce in ea conſtituto.

ea conſtituto. Poſthæc fama aduenientis e Macedonia præſidij, & apparatu Achæorum præterriti, urbem incenderunt: & uerſus Rhium denuo profecti, illac facere trãſitum ſtatuêre. Taurion, intellecto Aetolorum progreſſu, & Cynethæ excidio cognito, cum nunciatum eſſet Demetrium Pharium à Cycladibus Cenchreas aduenisse: hortatus eſt eum ad ferendam Achæis opem, & Aetolorum tranſitum tranſportatis per Iſthmum lembis impediendum. Demetrius utili quidem, ſed minime honeſta ab inſulis profectione facta, quod Rhodij aduerſus eum cum claſſe nauigarant: libenter Taurioni paruit, præſertim ſumptus ad tranſportationem lemborum neceſſarios ſuppeditanti. Quamobrem tranſuectis per Iſthmum lembis, cum Aetolos biduo ante tranſiſſe intellexiſſet: maritima quædam eorum loca populatus, rurſus Corinthum nauigauit. Lacedæmonij, rebus, ſicuti ſupra diximus, cum Aetolis clàm compoſitis, auxilia, uti ex fœdere conuenerat, mittere differebant: paucis quibuſdam equitibus, peditibusq́; diſſimulandi gratia miſſis. Aratus ut ciuium potius, quàm ducum officium exerceret: ſuos admonebat. tandiuq́; in quiete permanſit, acceptæ cladis memor: quoad Scopas, & Dorimachus deuaſtata paſſim prouincia, rebusq́; omnibus ex ſententia peractis domum ſunt regreſſi. quanquam haud difficile fuiſſet per aſpera interdum atq; anguſta proficiſcentes loca opprimere. Cynetenſes, etſi ingentem paſſi ſunt rerum omnium iacturam: & ferè ultimis affecti ſupplicijs: tamen merito luiſſe pœnas ab omnibus iudicati. Quoniam uero Arcadum gens quandam omnes uirtutis famam habet, non ſolum propter facilitatem mo-

rum & benignitatem naturæ, ſummamq; erga omnes hoſpitalitatẽ, uerumetiam ob pietatem atq; obſeruantiã in deos: operæpretium exiſtimauimus aliquid de feritate Cynethenſium breuiter referre: & quo pacto, cum cõfeſſione omnium Arcades forent: tantum à reliquis Græcis ea tempeſtate ſcelere ac crudelitate differrent: exponere. Mihi profecto uidetur: ideo hoc eis accidiſſe: quia id, quod à maioribus ſuis ſapientiſſime fuerat inuentum: & primi, & ſoli omnium Arcadum reliquerunt. Muſicam enim (de uera nunc muſica loquor) uniuerſis hominibus utilem eſſe conſtat: Arcadibus uero etiam neceſſariam. Neq; uerum eſt: quod Ephorus in procemio hiſtoriarum ſcribit: muſicam ad fallendos, ac deludendos homines inuentam eſſe. neque eſt exiſtimandum: ueteres Cretenſes, ac Lacedæmonios ſuperuacuo tibiam, ac rhythmos pro tuba in bellum introduxiſſe: neq; antiquiſſimos Arcadas tanto in honore muſicam in eorum rebus publicis habuiſſe: ut in ea non ſolum pueros, uerumetiam adoleſcentes, & iuuenes uſq; ad trigeſimum annum exerceri uellent: homines alioquin uitæ difficilis, atq; auſteræ. haud enim eſt obſcurum: apud ſolos ferè Arcadas pueros ab ineunte ætate in cantibus hymnorum, pæanum aſſuefieri. quibus ſinguli iuxta patriæ morem genia, & heroas, & deos laudare conſuerunt. Poſthæc Philoxeni, & Timothei diſciplinis inſtructi cum cantibus, & choreis annuos ludos Libero patrĩ faciũt: pueri quidem, quos pueriles uocant: iuuenes, quos uiriles. Omnis deniq; eorum uita in huiuſmodi cantionibus uerſatur: non tam quod audiendis modulis delectentur: quàm ut ſe inuicem cantando exerceant. Ad

hæc, ſi quis aliquid in cæteris artibus ignoret: nulla apud eos ignominia habetur. muſicam uero neque ignorare quiſquam eorũ poteſt: quia neceſſario diſcitur: neq; fateri neſcire: quia hoc apud eos turpiſſimum putatur. Poſtremo ſpectacula, ac ludos in theatris cum cantibus, & choreis ſingulis quibuſq; annis adoleſcentes ciuibus præbent. Quæ res mihi quidem uidentur ab eorũ maioribus ſapientiſſime fuiſſe inſtitutæ, non delitiarum, aut laſciuiæ gratia: ſed cum animaduerterent aſſiduos eius gentis labores in colendis agris, & duritiam atq; aſperitatem uitæ, præterea etiam morum auſteritatem: quæ ex frigiditate ac triſtitia aëris prouenit: cui nos ſimiles gigni neceſſario oportet: (non enim obſcurum eſt: plagas cœli eſſe: quæ gentes moribus, & forma, & colore, & pleriſq; diſciplinis inter ſe diſſimiles faciunt) uolentes mitem, atq; tractabilem reddere naturam, quæ per ſe ferocior ac durior uidebatur: primo ea omnia, quæ ſupra memorauimus, introduxerunt: deinde conuentus communes, & ſacrificia plurima: in quibus uiri, ac mulieres congregarentur: poſtremo uirginum ac puerorum choros. quæ omnia ad eum finem fecere: ut id, quod in animis hominum natura durius erat: conſuetudine placaretur: ac mitius fieret. Verum Cynethenſes, cum interiecto tempore hæc ſpernere cœpiſſent: quæ eis præter cæteros neceſſaria erant, utpote in frigidiori Arcadiæ parte commorantibus: ad cupiditatem, ambitionemq; conuerſi in tantam breui tempore feritatem deuenere: ut in nulla Græciæ ciuitate maiora ſcelera, aut frequentiores crudelitates committerentur. Eſt autem apertiſſimum teſtimonium peruerſi-

tatis eorum: q̄ cæteri omnes Arcadiæ populi mores, uitamq; eorum deteſtabantur. nam quo tempore Cynethenſes poſt ingentem illam ſeditionem legatos Spartam miſêre: in quancunq; ciuitatem Arcadiæ eundo ſunt ingreſſi: ex ea mox per ignominiam fuerunt expulſi: & reditus ad eam interdictus. Mantinienſes etiam poſt eorum diſceſſum expiationibus, ac ſacrificijs ciuitatem, & circunſtantia quæcunq; loca purgauere. Hæc autem propterea à nobis commemorata ſunt: ut ciuitates Arcadiæ admoneremus: ne à communi patriæ inſtituto diſcederent: tum, ne quis laſciuiæ gratia uſqueadeo indulſiſſe muſicæ eam gentem arbitraretur: & propterea conſuetudinem eorum irrideret: poſtremo & Cynethenſium cauſa: ut, ſiquando dij permiſerint: ad diſciplinam conuerſi mores induant meliores: & muſicam amplectantur: qua relicta, in eam rabiem ac feritatem deuenere. Nunc quoniam ſatis ſuperq; de Cynethenſium moribus, atq; interitu diximus: rurſus ad id, unde diſceſſimus, reuertamur. Aetoli igitur peragrata, ut ſupra diximus, Peloponneſo, atq; omni regione ferro igniq; uaſtata, domum fuerant regreſſi. Philippus autem Macedoniæ rex cum exercitu in ſubſidiū Achæorum Corinthum uenerat. Verum cum ſe peracta re ueniſſe intellexiſſet: miſſis ad ſocios tabellarijs, unumquenq; hortatus eſt: ut ad ſe Corinthum mitterent, qui de communibus rebus conſulerent, quæ uiderentur. ipſe Tegeā uerſus mouit exercitū: q̄ Lacedæmonios intellexerat maximis inter ſe ſeditionibus uexari. Lacedæmonij enim, cum longo tempore ſub regibus eſſe conſueuiſſent: tunc recuperata duce Antigono libertate, neminem, cui omnes parerent, haben-

tes, dum æquam in repu. partem obtinere ſinguli cupiunt: in uarias diſſenſiones deuenere. Duo è præſidibus urbis conſilium ſuum ita occultabant: ut à nemine poſſet intelligi. Reliqui tres aperte cum Aetolis ſentiebant, exiſtimantes Philippum nihil adhuc per ætatem in Peloponneſo poſſe innouare. Poſtquam autem præter ſpem atq; expectationem ſuam nunciatum eſt de fuga Aetolorum è Peloponneſo, & Philippi regis è Macedonia aduentu: tres urbis præſides, cum non ſatis fiderent alteri è duobus, cui Adimanto nomen erat; qꝫ conſiliorum omnium conſcius haud æquo animo facta eorum ferre uidebatur: ueriti ne aduenienti Philippo omnia proderentur: conſilium ſuum quibuſdam iuuenibus aperuerunt: deinde per præconem conuocari armatam multitudinem in Iunonis templum iuſſere: tanquam Macedonibus aduerſus Spartanos uenientibus. Quibus è ueſtigio ob nouitatem rei congregatis. Adimantus id grauiter ferens, in publicum proceſſit. Atq; antea, inquit, hæc præconia, & has armatorum hominum congregationes fieri oportebat: cum Aetolos hoſtes Lacedæmoniorum audiebamus montibus noſtris appropinquare: non nunc: cum Macedonas benefactores, & conſeruatores noſtros cum rege ſuo uenire intelligimus. Quæ adhuc illo uociferante, irruens cum impetu iuuẽtus diuerſis uulneribus eum confodit: & unà Sthenelaum, Alcamenem, Thyeſtem, Bionidem, aliosq; complures. Polyphontes autem cum ſuis, iamdiu præuiſis futuris, ad Philippum fugit. Quæ cum ita eſſent: præſides Lacedæmoniorum legatos ad regem miſerunt: qui culpam patrati facinoris in peremptos reijcerent.

præterea regem hortarentur: ne ultra progredi uellet: antequam res in urbe componerentur: Lacedæmonios fidem atq; amicitiam cum Macedonibus inuiolatam ſeruare oſtenderet. Legati, cum Philippo obuiaſſent: iuxta Parthenium montem mandata peregere. Quæ cum audiſſet Philippus: eos hortatus eſt: ut quamcelerrime domum reuerterentur: nunciarent'q; præſidibus: ſe mox Tegeã exercitum reducturum: debere ipſos ad ſe quamprimum uiros primarios Corinthum mittere: qui de præſentibus rebus conſultarent. Per hunc modum reuerſis oratoribus, & reſponſo Philippi nunciato, præſides decem è præcipuis ciuitatis ad regem miſerunt. qui Tegeam profecti: cum concilium regis ingreſſi forent: in Adimantum, ac ſequaces eius grauiſſimis ſunt uerbis inuecti: tanquam eius ſeditionis cauſa extitiſſet. deinde nihil prætermiſere, quod ad conciliandam ſibi regis beneuolentiam pertinere arbitrarentur: omnia ſe facturos polliciti: quibus manifeſtum fieret ſe in ſocietate, atq; amicitia cum rege permanere. His, atq; aliis huiuſcemodi expoſitis Lacedæmonij ex concilio abierunt. Macedonum uariæ de his rebus ſententiæ fuere. Alij enim cognitis, quæ Spartani clàm cum Aetolis moliebantur: & Adimantum ob amicitiam Macedonum interfectum exiſtimantes, conſulere regi cœperunt: ut de Lacedæmonijs exemplum cæteris præberet: quemadmodum Alexander non magno ante tempore de Thebanis fecerat. Alij ſeniores eam ultionem grauiorem eſſe dicebant: q̃ facta eorum mererentur. admonendos eſſe dũtaxat eiuſmodi rerum authores: & ab adminiſtratione reip. remouendos: gubernationem ciuitatis amicis

ſuis tradendam. Poſt omnes rex ſententiam dixit: ſi tamen regis fuiſſe eam ſententiam putandum eſt. neque enim ueriſimile uidetur: puerum, qui uix decimumſeptimum ætatis annum exceſſiſſet: de talibus, tantisq́; rebus potuiſſe iudicare. Sed ſcriptorem hiſtoriæ decet firmatas in concilijs ſententias principibus tribuere: quorum nutu omnia gubernantur. Qui uero hiſtoriam aut legunt, aut audiunt: exiſtimare debent: eiuſmodi ſententias eorum eſſe: qui ſunt cum prudentiores, tum proximiores principibus. ut ſiquis hanc Arato tribuerit: cuius tum maxima erat apud regem authoritas. Philippus igitur, ſi quid aduerſus ſe priuatim ſocij molirentur: ſua inquit intereſſe: illos duntaxat uerbis, aut literis admonere. ſi quid uero publice in ſocios committerent: publica pœna, atque animaduerſione eſſe plectendos. A' Lacedæmonijs nihil contra communem ſocietatem patratum eſſe. immo ſponte ſeſe illos obtuliſſe omnia pro Macedonibus facturos. Proinde nihil eſſe aduerſus ipſos grauius conſulendum: cum iniquum ſit: quibus hoſtibus pater pepercaſſet: eoſdem ſe leuiſſima ex cauſa ulciſci. Confirmata regis ſententia mox Petreus Philippi amicus eligitur: qui Lacedæmonem cum legatis proficiſcatur. Is in mandatis habet, hortari ad amicitiam Spartanos: & iuſiurandum de ſocietate fideq; ſeruanda dare ſimul, atq; accipere. Poſthæc Philippus motis caſtris rurſus Corinthum redijt: optima ſpe præſtantiſſimæ indolis ſocijs relicta: ꝙ tam benigniter ſe erga Lacedæmonios habuiſſet. Compertis Corinthi ſociorum legatis, qui eo, uti iuſſum fuerat, omnes conuenerant: de

communibus Græciæ rebus conſulere cœperunt. Hic omnibus uno ore Aetolorum facta execrantibus, Bœotijs, q paci tempore Mineruæ templum depopulati eſſent: Phocenſibus, q poſitis iuxta Ambryſum, & Daulium caſtris, de capiendis ciuitatibus conſultaſſent: Epirotis, q omnem regionem ferro igniq; uaſtaſſent: Acarnanibus, q opulentiſſimum oppidum per inſidias admotis noctu ſcalis occupare uoluiſſent: Poſtremo Achæis, q Carium cepiſſent: Patrenſium, ac Pharenſium fines populabundi percurriſſent: Cynetham armis, atq; incendio deleuiſſent: Dianæ templum expilaſſent: Clitorienſes obſediſſent: deniq; Pilum mari, Megalopolim terra infeſtaſſent: ad extremum omnes una uoce mouendum eſſe Aetolis bellum iudicauere. Facto igitur concilio, ſanxerunt: ut ij omnes in ſocietatem admitterentur: quorum urbes, aut prouincias poſt mortem Demetrij, q pater Philippi fuerat: Aetoli occupaſſent. præterea, ſi qui conditione temporum coacti ſocietatem cum Aetolis inuiti feciſſent: & ut ijs omnibus libertas priſtina reſtitueretur, & ut patrijs legibus ac moribus uiuerent permitteretur. Poſtremo ut Amphictyonibus templum, quod ablatum ab Aetolis fuerat: redderetur. Cum igitur hæc ita decreta eſſent, centeſimæ & quadrageſimæ olympiadis anno primo: ſubito ſociale bellum exarſit, ex Aetolorum iniurijs, quas ſupra memorauimus, iuſtiſſime ortum. Qui in concilio fuerant: ſubito legatos ad ſocios mittunt: qui nunciarent: ut, ſicuti decretum erat, ex ſua quiſq; regione bellum Aetolis moueret. Philippus quoq; literas ad Aetolos dedit: ut, ſiquid obiectis reſpondere uellent: ad ſe uenirent. quod ſi abſq; conſen

ſu ſociorum propria authoritate moti, uaſtando ac populando omnia nemini ſe putent facere iniuriam: aut ſi, quibus iniuriam faciant: illos exiſtiment diutius poſſe bello abſtinere: profecto omnium eſſe ſtultiſſimos.

Aetoli acceptis literis, principio haud uenturum eſſe regem ſperantes, certum diem conſtituerunt, quo ad Rhium Philippo obuiarent. poſt uero cognitis, quæ acta in concilio fuerant: tabellarios ad regem miſêre: qui nunciarent: ſe antequam Aetolorum concilium fieret, nihil de rebus publicis poſſe decernere. Achæi congregato ægij, ut mos erat, concilio, ſimul decretum confirmarunt: ſimul Aetolis indixerunt bellum: & paruis illos infeſtare incurſionibus cœpere. Interea Philippus, Egium cum ueniſſet: & multa humaniter atque amice locutus eſſet: Achæi eius dicta ſumma beneuolentia ſunt complexi: & ueterem, qua cum maioribus eius deuincti fuerant, amicitiam cum Philippo renouarunt. Per idem tempus Aetoli, cum comitiorum dies aduenisſet: ducem elegerunt Scopam: qui omnium ſuperiorum motuũ princeps, atq; author fuerat. Philippus, accepta ab Achæis pecunia, in Macedoniam cum copijs redijt: ut delectum militum haberet: pararetq; quæ ad bellum opus eſſent. Maximam autem non ſolum ſocijs, uerumetiam uniuerſæ Græciæ clementiæ ac magnanimitatis ſpem reliqt, ob decretum ex ſententia omniũ firmatum. Hæc eo tempore geſta ſunt: quo Annibal dux Carthaginenſium omnibus, quæ ultra Iberum erant, in Hiſpania potitus, Saguntum obſidebat. Quod ſi principia rerum Annibalis in eorum tempora incidunt, quæ ſunt in Græcia geſta: manifeſtum eſt: nos

non ſine cauſa ſuperiori libro res ab Annibale geſtas tractaſſe: cum ordinem ſequamur temporum. Cum autem res italicæ, & græcæ, & aſiaticæ propria quidẽ principia haberent: exitus autem communes: neceſſe fuit narrationem quoq; earum tãdiu propriam uniuſcuiuſq; eſſe: quoad in ea tempora uentum foret: quibus res prædictæ unà implicatæ quaſi ad unum finem dirigi cœperunt. ſic enim & ſingularum expoſitio fit manifeſtior: & coacervatio omnium dilucidior. Sunt autem res omnes inter ſe mixtæ, & ad unum conuerſæ finem anno III centeſimæ & quadrageſimæ olympiadis. Quamobrem ea, quæ deinde ſecuta ſunt: communiter exponemus. quæ uero ante id tempus fuere: priuatim ſuo quæq; loco ſuperiori libro demonſtrauimus: quo non ſolum tempora ſe inuicem ſequerẽtur: ſed etiã rerum omnium quaſi una ſocietas fieret. Philippus igitur in Macedonia, dum in hibernis eſſet: nouum militum delectum habuit: quæ ad bellum neceſſaria erant, parauit. Oppida à barbarorum impetu, qui circa Spartam habitabant: communiuit. Poſthæc ad Scerdilaidam profectus, agere de ſocietate cœpit: pollicitusq; ei opem ad res illyricas componendas, & ſimul Aetolos calũniatus, facile quod cupiebat, Scerdilaidæ perſuaſit. eſt enim ita comparatum: ut etiam malorum ſocietas, niſi æquitas, atq; iuſtitia fuerit ſeruata: facillime infringatur. quemadmodum ea tempeſtate Aetolis accidit. Nam cũ ita cum Scerdilaida compoſuiſſent: ut æque inter utroſq; præda omnis diuideretur: ſi unà in Achæiam irrueret: perſuaſus eorum uerbis Scerdilaidas, ſimul Cynetham profectus eſt. qua capta, atq; direpta Aetoli ingentem

auri, pecudumq; multitudinem abduxere: & diuiſa inter ſe præda, Scerdilaidam omnino excluſerunt. Quāobrem ira, atq; indignatio inuaſit animum. cuius memoriam cum renouaſſet Philippus: ſubito cum eo ſocietatem firmauit, his legibus: ut uiginti talenta annua acciperet: cum triginta lembis nauigaret: Aetolos mari infeſtaret. Philippus igitur hæc, atq; alia huiuſmodi moliebatur. Legati, qui ad ſocios miſſi fuerant: primo Acarnaniam appulere. Vbi expoſitis mandatis, Acarnanes ſubito & decretum ingenue confirmarunt: & Aetolis mouerunt bellum. quanquam dari eis uenia poterat id præter cæteros differentibus: cum ob propinquitatem regionis iuſtam cauſam timoris habere uiderentur: experti præſertim nō multo ante tempore quantum ſibi obeſſent inimicitiæ Aetolorum. Sed mihi uidentur boni uiri, atq; præſtantes nihil pluris facere debere: q̄ ut necubi officium prætermittatur. Quod Acarnanes præter cæteros Græcos ubiq; ſemper ſeruauere, quāuis ab exiguis profecti initijs. Quo fit: ut nemo debeat eſſe ſegnior ad res ſuas cum hoc populo communicandas. habet enim naturaliter neſcio quid in animis erectum, atq; ſublime, & libertatis appetens. Contra Epyrotæ auditis, quæ expoſita per legatos fuerant: decretum quidem approbauere: bellum autem non prius ſe moturos Aetolis reſponderunt: q̄ id Philippum regem feciſſe intelligerent. Deinde Aetoliam miſerunt legatos: q nūciarent, ſe pacem cū Aetolis ſeruare: timide ſane: atq; inconſtanter rebus uſi. ſiquidem & ad Ptolemæum regem miſſi legati: qui precarentur: ne uel pecuniā, uel cōmeatum, uel aliud genus ſubſidij aduerſus Philippum

& ſocios Aetolis ſubminiſtraret. At Meſſenij, quorum cauſa id bellum exarſerat: legatis, cum ad eos ueniſſent, reſponderunt: non ante ſe bellum Aetolis moturos: q̃ Phigaleam urbem in montibus ſitam, quam tum Aetoli per iniuriam tenebant: opera ſociorum recuperaſſent. Quam ſententiam inuita multitudine Oenes, & Niciappus urbis præſides tulerunt: paucis quibuſdam ex optimatibus eam approbantibus. In quo mihi uidentur ignoraſſe quid ſe maxime deceret: & ſuæ reipublicæ conduceret. Equidem ita exiſtimo: fugiendum quidem eſſe bellum: non tamen ita fugiendum: ut omnia, ne in id incidamus, ſuſtinere, perpetiq; uelimus. quid enim uel æquabilitatem in republica, uel fidutiam, uel libertatis iucundiſſimum nomen laudaremus: ſi nihil omnino eſſet paci anteponendum? Sed neq; Thebanos laudamus: quod tempore medici belli, ut à communi Græciæ periculo eſſent immunes: ea per formidinem elegere: de quibus poſtea periclitati ſunt. neq; Pindaro aſſentimur: qui in poëmatibus ſuis ciues hortatur: ut cæteris omnibus poſtpoſitis, pacem duntaxat, & tranquillitatem amplectantur. Pax enim, ſi iuſta, & honeſta ſit: res eſt certe omnium rerum pulcherrima, atq; optima. nihil tamen eſt aut faciendum iniuſte, aut patiendum turpiter: ut pace frui ualeamus. Atqui præſides Meſſeniorum, atq; optimates, habito mox ad priuata commoda reſpectu, affectatius ſemper, quàm decebat, animos ad pacem inclinabant. Quamobrem multas ſæpe occaſiones, atq; opportunitates temporum nacti, aliquando uero in pericula incidentes, eodem modo continue labebantur: ſemperq; idem propoſitum ſeruandæ

pacis habentes, in maxima ſæpe diſcrimina patriam adducebant. Cuius rei cauſam hanc arbitror fuiſſe: q̄ cum duabus præcipuis Græciæ ciuitatibus uicini eſſent: Arcadibus, ac Lacedæmonijs: quorum his ſemper inimici fuerant: illis fœdere, amicitiaq́; coniuncti: nec Lacedæmoniorū tamen ſe hoſtes aperte oſtendebant: nec Arcadū amicos. ex quo fiebat: ut cū prædictæ ciuitates uel inuicē, uel aduerſus alios bella gererent: Meſſenij pace fruerētur. Lacedæmonij uero pace cum cæteris facta, in Meſſenios ĩpetum facientibus, cū neq; ipſi per ſe reſiſtere illorū potētiæ ualerēt: neq; Arcadū auxilio, quorū amicitiam cōſeruare neſciuerant, ſe tueri: uel ſeruire turpiter Lacedæmonijs cogebantur: uel, ut ſeruitutem euitarent: cum coniugibus, filijsq́; patriā relinquere. Quod eis nō multo ante hæc tempora ſæpenumero accidit. utinamq́; deorum uoluntate ſit: ut hic ſtatus rerum, quo in præſentia fruimur: diutiſſime permaneat. Si qua tamen unquā præſentium rerum mutatio acciderit: unam uideo tuendæ patriæ ſpem Meſſenijs, ac Megalopolitanis fore: ſi iuxta Epaminondæ ſententiam omnibus in rebus, atq; adeo omni tempore inuicem conſenſerint: conſiliaq́;, & res ſuas omnis unanimiter tractarint. Quod uerum eſſe, etiam uetuſtiſſima eorum monumenta indicant. Meſſenij enim tempore Ariſtomenis columnam, ut Caliſthenes memorat, in templo Iouis Lycij poſuere: in qua hoc epigramma erat inſcriptum. Inuenit tandem tempus impio regi pœnam: Inuenere Meſſenij proditorem duce Ioue. Difficile eſt latere deos periurum hominem. Salue rex Iupiter: & Arcadiam ſerua. Nam quia proprijs ſedibus expulſi erant: ueluti de ſecunda patria

precatri deos uolentes, hoc epigramma inſcripſerunt. quod mihi quidem merito uidentur feciſſe. Siquidem Arcades non ſolum hos exules, & bello ariſtomenico patrio ſolo eiectos intra urbem receperunt: & donatos ciuitate, concilio, opibusq; iuuerunt: uerumetiam eorum filias nubere adoleſcentibus ſuis permiſere. Praeterea inueſtigata Ariſtocratis regis proditione, nonmodo eum grauiſſimis affectum cruciatibus interfecere: ſed ex omni eius genere impij ſanguinis poenas ſumpſerunt. Verũ omiſſis ueteribus, ea, quae recentiora ſunt: & poſt eam duarum urbium coniunctionem acciderunt: ſatis magnam his, quae diximus, fidem praeſtare poſſunt. Nam quo tempore poſt magnam illam uictoriam, qua Graeci iuxta Mantiniam ob mortem Epaminondae potiti ſunt: Lacedaemonij Meſſenijs à foedere excluſis, erigere ſpẽ ad res eorum occupandas coepere: uſqueadeo Megalopolitani, atq; omnes ſociae ciuitates in fauorem Meſſeniorum animos intenderunt: ut eos ſtatim in ſocietatem acceperint: Lacedaemonios uero ſolos ex omnibus Graecis à communi foedere excluſerint. Quae cum ita ſint: quis eſt, qui non recte à nobis dictum exiſtimet, quod paulo ante memorauimus? Haec ideo pluribus uerbis de Arcadibus, ac Meſſenijs ſumus proſecuti: ut hi memores cladium, quas ciuitatibus ſuis Lacedaemonij ſaepe intulerunt: in fide, amicitiaq; permaneant, nunquãq; uel timore alicuius rei, uel deſyderio pacis ubi de ſalute agitur: ſe inuicem deſerant. Nunc eò, unde diſceſſimus, reuertamur. Lacedaemonij nunquam à moribus ſuis recedentes, legatos ſociorum, nullo eis dato reſponſo, dimiſerunt. tantum apud eos inſcitiae, ac temeritatis inua

lerat. Quo fit: ut ego id eſſe uerum exiſtimem, quod di
ci ſolet: temeritatem ſæpenumero hominis ad inſaniã, &
ad nihilum adducere ſolere. Poſthæc tamen, cum noui
magiſtratus eſſent creati: hi, qui principio ſeditionem in
republica excitarant: & memoratarum cædium cauſa
fuerant: miſſis ad Aetolos nuntijs, ut legatos ad ſe mit-
terent, petierunt. Quod cum facillime impetraſſent: pau
cisq; interiectis diebus Machatas Aetolorum legatus La
cedæmona ueniſſet: ſubito ciuitatis præſides petunt, ad-
uocandam eſſe concionem, dicentes ad legatum Aeto-
lorum audiendum: & regem iuxta inſtitutum pa-
triæ creandum: neque diutius patiendum, præter le-
ges ciuitatis Heraclidarum imperium diſſolui. Præſi-
des, etſi hunc ſtatum rerum ægre ferebant: tamen quia
reſiſtere illorum uiribus non poterant: & iuuentutem
formidabant: reſponderunt: de regibus quidem ſe po-
ſtea conſulturos: ad audiendum uero Machatam concio-
nem ſtatim aduocaturos. Congregata igitur multitudi-
ne, ingredi Machatas iuſſus, pluribus hortari cœpit ad
ſocietatem cum Aetolis ineundam: acerbe nimium &
iniuſte criminatus Macedonas: multaq; in Aetolorum
laudem falſò, & ſupra modum locutus. Quibus expo-
ſitis, cum concionem iniuiſſet: diu res inter populum uer
ſa. Sententiæ uariæ, atque ancipites fuere. Quidam
enim Aetolorum partes ſequi, & cum ijs ineundam
eſſe ſocietatem, affirmare. Alij his contradicere: & ad
ſeruandam cum Macedonibus amicitiam hortari. Tan
dem uero ſeniorum quidam cum ſurrexiſſent: reuocatis
in memoriam Antigoni, & Macedonum beneficijs, &
clade, quam Charixeni, & Timæi tempore accepe-

rant, commemorata, quando Aetoli ſpartanum agrum ingreſſi omnia ferro igniq; uaſtarant: & ui ac dolo reductis exulibus ciuitati inſidiati fuerant: plurimorum ſententiam mutauere: & ad extremum multitudini perſuaſum: ſeruandam eſſe cum Philippo, ac Macedonibus amicitiam. Quibus hunc in modum peractis, Machatas re, propter quam uenerat, infecta, Aetoliam rediịt. Principes eius, quam ſupra memorauimus, ſeditionis factum id ægre ferentes, rem denuo moliri cœperunt omnium crudeliſſimam. Congregari poſt aliquot dies armati iuuenes debebant ad ſacrificium annuum ex more patriæ peragendum. id in templo Palladis fiebat. Præerant autem huic ſacrificio ciuitatis præſides: qui in eo templo per eos dies commorabantur. Quamobrem nonnullos ex his, qui armati intereſſe ludis debebant: præmiịs corruperunt. Hi conſtituto inter ſe tempore, dũ præſides ſacrificiịs intentos uident: repente eos aggreſſi, inſtar pecudum trucidant: & quamuis in templo erãt: quod ueluti aſylum Lacedæmoniị uenerabantur: & in quo nocentes omnes etiam capitis damnati ſalui eſſe conſueuerant: eò tamen ſæuitiæ audacia hominum proceſſit: ut ante aras, & in ipſis deæ menſis magiſtratus omnes interfecerint. Poſt hæc de ſenioribus, qui cum Hyrida ſenſerant: ſimili modo ſupplicium ſumpſere. Et iịs, qui Aetolis aduerſabantur, urbe eiectis, nouos magiſtratus ex ſuis crearunt. præterea ſocietatem cum Aetolis fecere. Ita uno tempore & hoſtilem aduerſus Achæos animum, & aduerſus Macedonas ingratum oſtenderũt. Maximam autem ſpem habebant in Cleomenis beneuolentia. cuius aduentum incredibili deſyderio præſtolabantur.

bantur. tantum manſuetudo, atq; benignitas principum poteſt: ut non ſolum cum ſunt præſentes, uerumetiam maximo interuallo diſiuncti: quoſdam quaſi fomites amoris, & beneuolentiæ erga ſe in pectoribus hominũ relinquant. Lacedæmonij enim triennio ferè poſt eiectum Cleomenem in adminiſtratione reipublicæ uerſati, nunquam de creandis Lacedæmone regibus quicquam cogitauere. ubi uero de obitu Cleomenis nunciatum eſt: repente ad creationem regum animos intenderunt. Primi autem in hac re fuere hi, qui principes ſeditionis extiterant: nuperq; cum Aetolis ſocietatem inierant. Quamobrem unum quidem regum legitime: & ſecundum inſtituta auitatis elegerunt, nomine Ageſipolim adhuc ætate puerum, filium autem Ageſipolidis filij Cleombroti. huic tutorem dedêre Cleomenem, Cleombroti filium, Ageſipolidis germanum. Ex altera uero familia, cum ex filia Hippomedontis duo filij Archidamo eſſent: qui Eudemidæ filius fuerat: Hippomedonte quoq; ipſo adhuc uiuente, Ageſilai filio, & Eudemidæ nepote, præterea alijs compluribus ex eadem familia extantibus, contempto eorũ genere, ijſq; omnibus poſthabitis, Lycurgum elegerunt regem. ex cuius gente nemo unquam ad ſpem regni aſpirauerat. Hic enim donato ſingulis magiſtratibus talento, ex familia Herculis appellatus, & rex Spartæ creatus eſt. Adeo ſemper mala omnia uendibilia fuere Verum haud multo poſt tempore, non filij, aut nepotes eorũ: ſed ipſimet huius criminis authores ſtultitiæ ac temeritatis ſuæ pœnas luerunt. Machatas, quæ Lacedæmone acta fuerant, edoctus, rurſus Spartam rediijt: magiſtratuſq;, & reges hortatus

eſt ad bellum Achæis mouendum: per eum modum in quiens facile reſtingui poſſe Lacedæmoniorum ambitionem: qui diuerſæ factionis forent: & Aetolorum ſocietati aduerſarentur. Quibus uerbis cum perſuaſi magiſtratus, ac reges eſſent: Machatas Aetoliam rediјt: facile quod cupierat, ob Lacedæmoniorum inſcitiam conſecutus. Lycurgus, coactis mercenariјs copiјs, urbana quoque multitudine aduocata, Arguorum fines ingreſſus eſt: adortusq; improuiſos, & nihil tale à Lacedæmoniјs expectantes, repente Polichnam, Parſiam, Leucam, Cyphantem, & alia quædam eorum oppida cepit: agrum omnem arguum ferro, igniq; uaſtauit. Quo facto, Lacedæmoniј bellum Achæis indixere. Machatas interea ad propinquas ciuitates profectus, idem quod Lacedæmoniјs fecerat, perſuaſit. Per hunc modum Aetoli, cum ſibi omnia proſpere, atq; ex ſententia accidiſſent: bellum magno ac forti animo ſunt ingreſſi. Achæis uero contraria omnia euenere. Si quidem Philippus rex, in quo omnis ſpes ſuas habebant: adhuc in cogendis copiјs uerſabatur. Epyrotæ nondum bellum Aetolis mouerat. Meſſeniј quietem agebant. Aetoli tractis in ſententiam ſuam Elienſibus, ac Lacedæmoniјs, undiq; Achæos premebant. Per id tempus Aratus forte imperium depoſuerat: duxq; ab Achæis creatus erat Aratus eius filius. Aetolorum uero exercitui præerat Scopas: qui tamen parum in magiſtratu erat permanſurus. quippe Aetoli ea tempeſtate poſt autumnale æquinoctium comitia faciebant. Achæi uero circa ortum Vergiliarum. Peracta igitur æſtate, cum Aratus Iunior imperium accepiſſet: uniuerſæ res quaſi unum principium ſumpſe-

re. Annibal enim per hæc tempora ſe ad obſidionem Sagunti accingere: Romani L. Aemylium in Illyrium cum copijs aduerſus Demetrium Pharium mittere: de quibus ſuperiori libro memorauimus: Antiochus, Theodoto Ptolemaidem, ac Tyrum per proditionem tradēte, res Syriacas aggredi: Ptolemæus aduerſus Antiochū exercitum parare: Lycurgus, ut Cleomenem imitaretur: Athenæum Megalopolitanorum oppidum obſidere: Achæi equitum ac peditum multitudinem cogere: Philippus è Macedonia cum copijs proficiſci: legionarios milites habens circiter decem millia: ſcutatos ad quinq; millia: præterea equites octingentos. Hic tum erat omnium apparatus ad res bellicas. Eodem tempore Rhodij aduerſus ByZantios bellum mouere: ob tales quaſdam cauſas. ByZantij urbem incolunt, cum natura loci munitiſſimam, tū ad fertilitatem omniū rerū, quibus humana felicitas perficitur: opportuniſſimam. ita enim in oſtio ipſius ponti ſita eſt: ut neque ingredi negociator quiſquam, neque egredi ſine ByZantiorum conſenſu ualeat. Cum uero pontus multa ferat ad uitam hominum commodiſſima: eorum omnium domini ſunt ByZantij. nam & ad neceſſarios uſus coria, ac multitudinem ſeruorum, quæ circa pontum ſunt loca, eis abundātiſſime ſuppeditant: & ad delicatiorem uitam mel, ceram, ſalſamenta, aliáq; huiuſmodi. ipſi uero negotiatoribus præbent oleum, & omne uini genus. frumentum interdum dant: interdum accipiunt. His omnibus rebus neceſſe eſt Græcos uel omnino priuari: uel in fide atque amicitia cum ByZantijs permanere. Siquidem ByZantijs malignari uolentibus, gallisq́;, aut alijs circunſtantibus bar-

ByZantij urbis deſcriptio.

baris adhærerre, ob anguſtias loci, & multitudinem barbarorum, excludi omnino Græcos à nauigatione ponti oporteret. Maximas igitur ByZantij ex ſitu loci habent commoditates: educendo, quæ apud eos abundant: quæ uero deſunt, ſine labore ac periculo inducendo. maximas etiam, ut diximus, præbent cæteris Græciæ ciuitatibus opportunitates. quamobrem ut communes omnium benefactores merito à Græcis coluntur: & digni exiſtimantur, non ſolum quibus habeatur gratia, uerumetiam auxilia aduerſus barbarorum impetum præſtentur. Quoniam uero pleriq; ſunt naturam eius loci ac proprietatem ignorantes: noſtrumq; deſyderium ſemper fuit: ut huiuſmodi res in multorum notitiam deuenirent: &, ſi fieri poſſet, perſpicerentur oculis: ſin minus: quoad liceret, intellectu comprehenderentur: dicendum exiſtimauimus quæ ſit cauſa, quæ tantam huic urbi felicitatem pariat. Igitur qui appellatur Pontus: circiter XXII mil. ſtadia in circuitu patet, duo habens oſtia ſibi inuicem oppoſita: alterum ex Propontide defluens, alterum ex Meotide palude. Meotis quidem ipſa octo millium ſtadiorum circuitum continet. In utriuſq; alueum cum multi, ac magni amnes ex Aſia defluant: pluresq;, & maiores ex Europa: euenit, ut repleta Meotis per oſtium ſuum in Pontum effundatur: Pontus ipſe in Propontidem. Meotidis oſtium Cimericus Boſphorus uocatur. latitudinem quidem XXX ſtadiorum, longitudinem LX habens. Ponti uero oſtium Boſphorus Thracius appellatur. Huius longitudo ad CXX ſtadia extenditur. latitudo non eſt eadem ubique. nam à propontide quidem, quod

Ponti Euxini deſcriptio.

Propontis

Meotis

Boſphorus Cimericus

Boſph: Thracius

inter Calchedonem, ac ByZantium ſpatij eſt: XIIII Calchedon a
continet ſtadia: à Ponto uero, quod Fanum appellatur: Byzantium
ubi primum Iaſon, cum ex Colcho rediret, XII dijs fanum.
fertur ſacrificaſſe: in Aſia poſitum, X ſtadijs diſtat ab
Europa. Quod uero Meotis, ac Pontus continue effluãt: Causa fluxus
duplices traduntur cauſæ: una quidem per ſe ipſam no-
ta: ꝙ ſcilicet permeantium in alueos fluminum multitu
dine, cum continue humor augeatur: nec aliunde exi-
tum habeat: neceſſe eſt in tantum creſcere: ut tandem
efferri per oſtia opus ſit. Altera: ꝙ multitudine harena-
rum, quas continue defluentes amnes in Pontum, atq;
Meotidem uehunt: uſque adeo aluei replentur: ut ſuper-
ferri humorem, & per oſtia exire ſit neceſſe. Atq; hæ
quidem ueræ cauſæ fluxus ſunt, non ex mercatorum re
latione fidem merentes: ſed ex ratione naturali: qua ue
rior reperiri haud facile poteſt. Verum quoniam ad
hunc locum uenimus: nihil omittendum: quod ad natu-
ræ inueſtigationem pertineat: ut pleriq; ſcriptores fa-
ciunt: ſed quatenus fieri poteſt, demonſtratiua narratio-
ne utendum: ne quid dubium diſcendi cupidis relinqua
tur. Hæc enim in primis eſt noſtris temporibus conue-
niens: quibus cum nihil relictum ſit innauigabile, atq;
inacceſſum: indecens eſt de rebus ambiguis à poetis, &
fabularum ſcriptoribus teſtimonia quærere. quod ſupe-
riores hiſtoriographi fecerunt. Dicamus igitur: Pontum Pontum aliquando
harenis, quas amnes aſſidue deuehunt: continue adim- replendum.
pleri: uenturumq; aliquando tempus: quo eius alueus
terræ prorſus æquetur. idem etiam de Meotide affirma
mus: dummodo hic ordo locorum, quem in præſentia
cernimus: permaneat: nec ceſſent cauſæ defluentium ha-

renarum. nam cum tempus infinitum ſit: aluei uero, de quibus loquimur, certis claudantur terminis: manifeſtum eſt, quantulumcunq; materiæ deferatur, etiam ſi perexiguum eſſet: dum tamen id fiat aſſidue: longo temporum ſpatio futurum, ut omnino repleantur. quando autem deuectæ materiæ non parua quædam quantitas eſt: ſed infinita penè multitudo: perſpicuum eſt, hoc, quod dicimus, nó longe poſt futurum: quod etiam ex parte iam factum apparet. quippe Meotis iam ferè repleta eſt. nam profundiſſima pars eius quinque, uel ad ſummum ſeptem ulnis extenditur. unde fit, ut maioribus lignis nauigari non poſſit: niſi nautis ui malum trahentibus. Cumq; à principio mare fuerit ſapore quamſimillimum Ponto: in quo ueteres omnes conſentiunt: nunc palus eſt quamdulciſſima: utpote ſalo multitudine harenarum, & aquis decurrentium fluminum ſuperato. quod olim de Ponto quoque eueniet: & nunc fit, ſed non facile perſpici poteſt propter aluei profunditatem. ſi quis tamen diligentius inſpexerit: perſpicue id fieri animaduertet. Danubio enim multis oſtijs ex Europa in Pontum defluente, tumuli quidam fiunt ex colluuie deuectæ materiæ: quos nautæ pectora appellant: unius diei itinere à littore diſtantes: in quos ſæpenumero delati per noctem nautæ periculum faciunt. Cur autem non propter littus, ſed longius intra mare huiuſmodi tumuli fiant: hæc traditur cauſa. quatenus enim impetus decurrentium fluminum præualet: & ſuperatis fluctibus ingreditur mare: eatenus harenam, & omne genus materiæ ferri in altum neceſſe eſt. ubi uero profunditate maris im-

petus ipſi fluminum diſſoluuntur: tunc naturali ratione omnis materia deorſum fertur: fundumq́; , quo conſiſtat , inuenit. Ex quo fit: ut maiorum , ac rapidiorum fluminum aggeres magis protendantur in mare: maiorq́; profunditas iuxta terram appareat: minorum uero, ac mitius fluentium tumuli non longe diſtent ab oſtijs. De multitudine autem defluentis materiæ, lignisq́;, & lapidibus, & harena, quæ in Pontum uehuntur: nulla admuratio eſt: cum ſæpenumero intra breuiſſimum tempus torrentes uideamus maxima abrumpentes loca, & omne genus materiæ, & terræ, & lapidum ferentes. qua ex re tanta interdum locorum commutatio fit: ut non longe poſt ea uidentes, uix agnoſcamus. Quamobrem non eſt mirandum: ſi tot, ac tanti amnes continuo in Pontum fluxu aliquid ex ijs faciant, quæ ſupra memorauimus: tandemq́; impleant Pontum. hoc enim non ſolum uериſimile, uerumetiam neceſſarium uidetur: ſi quis eius rei rationem diligenter inquirat. Verum futuri argumentum eſt: quanto Meotis Pontico mari dulcior eſt: tanto Pontus ipſe à mari noſtro differt. Ex quo palàm fit: cum Pontus tanto plus temporis, quàm Meotis peregerit: quanto eius alueus illius alueo maior eſt, futurum, ut inſtar Meotidis & dulcis ſit, & paluſtris: quin eo celerius, quo plures, maioresq́; in Pontum amnes defluunt. Hæc à nobis dicta ſunt eorum gratia, qui repleri Pontum non poſſe arbitrantur: nec futuram paludem exiſtimant: ubi nunc pelagus eſt: præterea nauigantium etiam gratia, multa ac diuerſa mendacia referentium: ne

illis paſſim more puerorum habere fidem cogamur, ob inexperientiam locorum: ſed cognitionem quandam ueri habentes, diſcernere poſſimus quid uere, quid falſò narretur. Sed iam ad opportunitatem ſitus Byzantiorũ reuertamur.

hoc fretum vocatur bosphorus Thracius.

Cum eius freti, quod Pontum, Propontidemq; coniungit: longitudo, ut ſupra memorauimus, ad centum & uiginti ſtadia extendatur: Fanumq; eam partem terminet: quæ eſt à Ponto: eam uero, quæ à Propontide eſt, Byzantium: inter utrũq; locum templũ eſt, quod Hermeum Europæ uocant: in promontorio ſupra oſtium Ponti ſitum: quod ab Aſia diſtat circiter q̃nq; ſtadia.

Fanum. Byzantium.

Hermæum Europæ.

eſt autem in anguſtiſſima parte freti: ubi Darium memorant pontem ſtruxiſſe: quo tempore aduerſus Scythas profectus eſt. À Ponto uſq; in hunc locum unda æqualiter fluit: utpote locis, q̃ freto imminent ab utroq; latere æque inter ſe diſtantibus. Vbi autem ad Hermeum Europæ uentum eſt: quo in loco anguſtiſſimum eſſe fretum memorauimus: ruens ex Ponto in oppoſitam partem cum impetu aqua uiolenter reflectitur: agiturq; in oppoſita Aſiæ loca: inde rurſus uerſus Europæ promontorium curſum tenet. huc denuo acta fertur in eum locum, quem incolæ Bouem uocant. eſt autem in Aſia: ubi primum conſtitiſſe idea in fabulis memoratur.

bos. Δάμαλις. ἰώ.

Ad extremum tamen à Boue quoq; repulſa Byzantium fluit: ubi circa urbem diffuſa partim diſſoluitur: diuiditq; eum locum, quod Cornu appellatur: partim rurſus retrograditur. Neq; tamen agi hic impetus poteſt in oppoſitam regionem: ubi eſt Calchedon. nam cum totiens huc, atq; illuc flectatur: ſinuſq; non mediocris latitudo ſit: iam propè hoc loco deficiens haud am-

plius ad rectum angulum in oppoſitum pergit: ſed potius ad obtuſum. ex quo fit: ut relicta Calchedone per ſinum fluat. Atq; hoc quidem eſt, quod Byzantijs, maximas præbet commoditates: Calchedonenſibus uero è cõtrario. licet enim, quatenus ad oculos ſpectat, utriuſq; urbis ſitus æque cõmodus uideatur eẽ: tamen nauigare uolentibus, ad hãc quidẽ difficilis tranſfretatio eſt: ad illam uero undarũ uiolentia etiam nolẽtes feruntur. Cuius rei argumentũ eſt: quod à Calchedone proficiſci Byzantiũ uolẽtes nequeunt rectà curſum tenere, ob interfluentis impetũ aquæ: ſed & ad Bouẽ contendũt: & ad eam urbem, quam Chryſopolim uocant: Ex qua deinde per uim Byzantium feruntur. Par etiam commoditas ad alterutrum locum nauigandi Byzantijs adeſt: ſiue auſtro ab Helleſponto ferantur: ſeu ex Ponto in Helleſpontum nauigent. ex Byzantio enim rectus, ac frequens curſus eſt ad Propontidis anguſtias per Abydum, & Seſtum, indéq; byzantium ſimiliter. Calchedonenſibus autem omnia è contrario accidunt, ob eas, quas memorauimus, rationes, & diſtantiam regionis Cyſicenſorum. quippe ab Helleſponto Calchedonem nauigantibus, per propinqua Europæ loca curſum tenere, ac deinde loca, quæ circa Byzantium ſunt, appropinquantes Calchedonem declinare ob felicitatem currentium undarum difficile eſt. Rurſus uero ex eodem loco in Thraciam proficiſci, omnino impoſſibile: tum propter impetum interfluentium undarum: tum uentis utrinq; ſibi inuicem repugnantibus. ingredientibus enim Pontum Auſter fauet: egredientibus Aquilo. atq; his duntaxat uentis ad utrunq; curſum uti neceſſe eſt. Quæ

igitur a mari tales tantaſq; Byzantio commoditates præbent: hæc ſunt, quæ ſupra memorauimus. quas uero à parte mediterranea ea urbs in commoditates patiatur: ſequentia indicabunt. Thracia ita circuit Byzantiorum agrum: ut omnem eorum regionem à mari ad mare amplectatur. Ex quo fit: ut Byzantij graui ac perpetuo bello à Thracibus infeſtentur. nam ſi ſemel, atque iterum immanem gentem ac barbaram uincant: non tamen propterea reſtinguere bellum poſſunt. tanta eſt & priuatorum hominum, & dominantium apud eos multitudo. uno ſiquidem eorum ſuperato, tres alij potentiores inſurgunt: & populabūdi per eorum prouinciam graſſantur. ac ne inito quidem fœdere, aut rebus pace compoſitis, aliquid agunt. mox enim quadruplicatos inueniunt hoſtes. Itaque difficili, atq; aſpero bello aſſidue conficiuntur. quid enim magis infidum: q̃ uicinus hoſtis? aut quid barbarico bello piculoſius? præterea ad tot mala, quibus undique à mediterranea parte premuntur: id accedit: quod Tantali pœna cruciantur: ut Poëta inquit. nam cum regionem habeant omnium fertiliſſimam: poſtquam agros diligentiſſime coluerunt: paratiq; ſunt fructus pulchritudine, copiaq; mirandi: tum uenientes in prouinciam barbari, populantur, deuaſtantq; omnia. Byzantij amiſſis laboribus atque impenſis, tantam ſtragem rerum ſuarum uidentes, grauiter & iniquo animo ferunt. nihilominus bellum cum Thracibus ob conſuetudinem tolerantes, in antiquo fœdere cum Græcis permanebant. Appropinquantibus uero ad eas partes Gallis, in maximum diſcrimen deuenere. Galli enim,

qui ſub Brenno duce militauerant: ingenti periculo apud Delphos liberati, cum in Helleſpontum ueniſſent: nequaquam in Aſiã tranſiuerunt: ſed opportunitate locorum pellecti, circa Byzantium conſtitere. Vbi deuictis Thracibus, & Tyle rege conſtituto, Byzantijs intulerunt bellum. Hi principio muneribus lenire illorum animos cœpere: datis modo tribus, modo quinq;, interdum decem millibus aureorum: ne eorum prouinciam deuaſtarent. ad extremum octuaginta talenta ſingulis annis pendere coacti, uſq; ad Clyari tempora. quibus Gallorum imperium defecit: omniſq; ea gens uiciſſim à Thracibus ſuperata funditus extincta eſt. Ea igitur tempeſtate magnitudine tributorum exhauſti, primo legatos in Græciam miſêre: qui in præſens tempus ſubſidium peterent. Græcis uero magna ex parte id contemnentibus, Byzantij decreuere: ut ab omnibus, qui in Pontum nauigarent: uectigalia exigerentur. quod cum graue ob nouitatem facti omnibus uideretur: uniuerſi eius rei culpam, quod id paterentur: in Rhodios refundebant: utpote maris principatum eo tempore obtinentes. Quæ res initium, & quaſi ſeminarium fuit eius belli, de quo in præſentia ſcripturi ſumus. Rhodij enim cum proprijs, tum uicinorum damnis commoti, primo aduocatis ſocijs, legatos Byzantium miſêre: qui dimiſſionem uectigalium peterent. Hi eò, uti iuſſum fuerat, profecti, cum id perſuadere multitudini nequiuiſſent: Hecatondoro, & Olympiodoro contradicentibus: qui tum in republica Byzantiorum principatum obtinebant: re infecta diſceſſerunt. nec longe poſt eodem reuerſi Byzantijs indixerunt bellum

ob cauſas, quas ſupra memorauimus. Mox igitur Rhodij legatos ad Pruſiam mittere: qui eum ad bellum Byzantijs mouendum hortarentur. ſciebant enim regem certis ex cauſis Byzantijs infenſum. Byzantij ſimiliter Attalum, & Achæum crebris legationibus precari: ut ſibi aduerſus Rhodios auxilio eſſent. Attalus ad eam rem promptus quidem erat: ſed ſummis rerum anguſtijs premebatur: quippe quem Achæus intra paterni imperij limites redegerat. Achæus autem omnium, quæ ſunt citra Taurum, dominus, & ſe palàm regem appellans, auxiliaturum ſe Byzantijs pollicebatur. Quæ res his quidem ſpem maximam, Rhodijs uero, & Pruſiæ non paruum terrorem addidit. erat enim Achæus Antiochi propinquus: qui regnum in Syria obtinuerat: fuerat'q; eum principatum conſecutus ex talibus quibuſdam cauſis. Mortuo Seleuco patre Antiochi, cum regnum ad Seleucum filium, qui cæteris fratribus maior natu erat, perueniſſet: Achæus cum hoc propter generis propinquitatem Taurum tranſcendit, biennio ferè ante hæc, de quibus ſcribimus, tempora. Seleucus enim ſimulac regnum ingreſſus fuit: cum audiſſet Attalum loca oĩa, quæ ſunt citra Taurum montem, occupaſſe: rebus ſuis conſulendum ratus, maximis uiribus Taurum tranſcendit. ubi paucis interiectis diebus, ab Apaturio Gallo, & Nicanore dolo circũuentus, atq; extinctus eſt. Achæus propinqui mortem ulciſcendã ratus, extemplo Apaturium, atq; Nicanorẽ interfecit. Tum copijs, reliquis'q; omnibus rebus prudenti ac magno animo uſus eſt. nam cum & opportunitas temporis & unanimis militum cõſenſus eum ad ſuſcipiendum diadema hortaretur: id fa-

cere noluit:ſed,tanquam regnū Antiocho iuniori fratrī ſeruaret:diligenter omnia adminiſtrans, omnem, quæ citra Taurum eſt, regionem ſubigere decreuit. Rebus autem feliciter ſuccedētibus, cum ad extremum Attalo nihil præter Pergamum reliquiſſet:inſperatis uictorijs elatus, repente conſilium mutauit:ſeq; regem ſalutari iuſſit. Ex quo factum eſt:ut eius nomen longe magis, quàm cæterorum regum, ſeu principum, qui citra Taurum ſunt: terrori omnibus, ac formidini eſſet. Quibus rebus moti Byzantij haud inuiti bellum aduerſus Rhodios, ac Pruſiam ſuſceperunt. Pruſias accuſare primo Byzantios: quod, cum decreuiſſent imagines eius erigere:rem poſtea ſegniter obliuioni tradidiſſent. deinde longe magis indignari:quod ijdem omni ſtudio bellum, quod inter Achæum, Attalumq́; exarſerat:dirimere contendiſſent:cum neminem lateret:pacem illorum rebus ſuis diuerſis rationibus periculoſam eſſe. poſtremo illis obijcere:quod, cum ad Attalum in ludis, quos in honorem Mineruæ fecerat, legatos miſiſſent:ad ſe in gratulationibus deorum neminem tranſmiſerant. Quibus omnibus rationibus aucta indignatione, libenter cum Rhodijs aduerſus Byzantios ſentiebat. Itaq; cum legatis compoſuit:ut illi mari Byzantios aggrederentur:ſe idem terra non minoribus uiribus facturum pollicitus. Belli igitur, quod Rhodij aduerſus Byzantios geſſerunt:hoc principium, atq; hæ cauſæ fuere. Byzantij principio incredibili audacia inierunt bellum ſperantes Achæum, uti erat pollicitus, ſibi auxilio futurum. Quare aduocato ex Macedonia Tibete, eum Pruſiæ oppoſuerunt:quo huic ad defendenda ſua occu-

pato aliena infeſtandi facultatem auferrent. At Pruſias eo, quo diximus, impetu in Byzantios profectus, è ueſtigio Fanum cœpit, locum natura munitiſſimum, & ſupra ipſum Ponti hoſtium ſitum: quod Byzantij non multo ante tempore ingenti pecunia mercati fuerant, opportunitate loci pellecti: ne quam alicui commoditatem relinquerent in Pontum, uel ex Ponto nauigandi: niſi id cum Byzantiorum uoluntate facerent. Præterea eam omnem partem Aſiæ, quam Byzantij multis ante annis tenuerant: ferro, igniq; uaſtauit. Rhodij, ædificatis ſex nauibus, quatuorq; à ſocijs acceptis, & Xenophanto duce conſtituto, cum decem nauium claſſe in Helleſpontum nauigarunt. ubi nouem ex his iuxta Seſtum conſtitutis, quo uniuerſis aditum in Pontum prohiberent: cum reliqua dux ſecundante uento Byzantium aduolauit, tentandi gratia illorum animos: an exardeſcente iam bello conſilij pœniteret. quos cum eodem animo reperiſſet: ad ſuos reuerſus, cum omni ſimul claſſe Rhodum redijt. Inter hæc Byzantij legationibus agebant: alios ad Achæum mittentes rogatum, ut ſuccurrere rebus ſuis maturaret: alios in Macedoniam: qui Thibetem adducerent. uidebatur enim Bithyniæ regnum non minus ad Thibetem, quàm ad Pruſiam ſpectare: quod Thibetes Pruſiæ patruus foret. Rhodij obſtinatione Byzantiorum cognita, callide ac prudenter ſe geſſerunt. cum enim Byzantios intellexiſſent omnem ſpem ſuam in Achæo ſitam habere: patremq; Achæi ſcirent à Ptolemæo in Alexandria in uinculis teneri: Achæum autem ſaluti patris cæteris omnibus poſthabitis intentum eſſe: de mittendis ad Ptolemæū

legatis, & Andromacho petendo agere cœperunt: quo Achæum ſibi hoc tanto beneficio facerent obnoxium. Ptolemæus auditis, quæ relata per legatos fuere: haud facile inclinari ad liberationem Andromachi uidebatur: ſperans ſe illo uti in tempore poſſe: quod nondum compoſitæ res cum Antiocho erant: & Achæus iam ſine controuerſia regnum adeptus longe lateq; uires ſuas extenderat. erat enim Andromachus Achæi pater, & frater Laodices uxoris Seleuci. Verumtamen ut Rhodijs gratificaretur: Andromachum eis tradidit: quo eum, ſi uideretur, filio reſtituerent. Rhodij per hunc modum uoti compotes facti, & ſimul alijs rationibus conciliato ſibi Achæo, præcipuam ſpem Byzantijs abſtulerunt. Accidit præterea aliud quoq;, quod non parum Byzantios afflixit. Thibetes enim, quem ex Macedonia aduocatum ſupra memorauimus: repente morbo correptus diem ſuum obijt. Quæ cum accidiſſent: Byzantij omnino animis cecidere. Pruſias contra, aucta ſpe rei bene gerendæ, ſimul ipſe bellum ex Aſia mouit: ſimul conductis in Thraci mercenarijs militibus, uſqueadeo Byzantios oppreſſit: ut ne exire quidem portas urbis, quæ in Europam aſpiciũt, auderent. Byzantij omni ſpe nudati, bellumq; undique aſperrimum patientes, exitum aliquem rerum honeſtum quærebant. Quamobrem appropinquante ad urbem Cauaro Gallorum rege, & dirimere id bellum omni ſtudio conante, Pruſias ſimul, & Byzantij rem omnem in manibus eius poſuerunt. Quod cũ intellexiſſent Rhodij: propoſitum ſuum perducere ad finem cupientes, Legatũ ad Byzantios Aridicen miſere: & cum eo Polemoclen

cum tribus triremibus, uolentes (id, quod in prouerbio eſt) haſtam ſimul, & caduceum Byzantijs mittere. Cum igitur Legati Byzantium ueniſſent: percuſſum eſt fœdus cum Rhodijs quidem ſimpliciter: ut Byzantij à nemine in pontum nauigante uectigalia exigerent: quo facto, Rhodij ſocijq; eorum pacem cum Byzantijs agerent: cũ Pruſia uero his uerbis. Eſſe Pruſiæ, atq; Byzantijs pacem atq; amicitiam perpetuam. Neq; Byzantios aduerſus Pruſiam aliquo modo exercitum ducere: neque Pruſiam aduerſus Byzantios. Reſtituere Pruſiam Byzantijs oẽs prouincias, oppida, populos, mancipia abſq; mercede aliqua. Præterea naues, ſagittas, ac reliquam prædam, quã principio eius belli Byzantijs abſtulerat: item ligna, tegulas, laquearia, quæ ex Fano abduxerat. ſiquidem Pruſias aduentum Thibetis formidans, oppida omnia è medio ſuſtulerat: in quibus ſe recipere hoſtes potuiſſent. Poſtremo obligari Pruſiam, cæterosq; Bythiniæ milites, quicquid ex Miſia abſtuliſſent: quæ ſub ditione Byzantiorum erat: incolis reſtituere. Belli igitur Pruſiæ, ac Rhodiorum aduerſus Byzantios hoc principium, atque hæc finis fuit. Sub idem tempus Gnoſij, miſſis ad Rhodios legatis, triremes, cum quibus Polemocles nauigarat: & tris cataphractas naues petiere aduerſus eos, qui nuper à ſe defecerant. Quo facto, cum claſſis in Cretam appuliſſet: Eleuternei eam rem ſuſpectam habentes, quod paucis ante diebus Polemocles, ut Gnoſijs gratificaretur, Timarchum eorum ciuem occiderat: primo de iniurijs queſti, mox Rhodijs intulerunt bellum. Non multo ante hæc tempora Lyttij quoq; uarijs cœperant affligi difficultatibus. Deniq; omnis Creta in motu

ta in motu erat. Gnoſij, Gortinij'q; inito inter ſe fœdere, & omnia communi conſilio agentes, omnem inſulam ſubiugarunt: urbe Lyttiorum excepta. Hanc, quoniam ſola iugum abnuerat: omnibus uiribus oppugnare nitebantur: æquare eam tandem ſolo cogitantes: ut hoc exemplo cæteris ciuitatibus metus nouarum rerum incuteretur. principio igitur Cretenſes omnes bellum aduerſus Lyttios gerebant. mox orta inter eos ex leui cauſa contentione, quod huic genti frequentiſſime accidit: diſſidere inuicem cœperunt. Et Polyrenei, Ceretæ, Lampei, præterea Horij, atq; Arcades, relicta Gnoſiorum amicitia, cum Lyttijs ſentiebant. Gortiniorum uariæ erant ſententiæ. antiquiores enim Gnoſiorum, iuniores uero Lyttiorum partes ſequebantur. Gnoſij, mutatis repente ſociorum uoluntatibus, cum res præter opinionem accidiſſet: mille homines ſocietatis iure ex Aetolia accerſiuere. Quo facto, ſeniores Gortiniorum extemplo occupata arce Gnoſios ſimul, atq; Aetolos introduxerunt: iuuenibus'q; partim in exilium miſſis, partim crudeliſſime interfectis, urbem Gnoſijs dedidere. Eodem tempore cum forte Lyttij in hoſtilem agrum uniuerſi irrupiſſent, nullo domi præſidio relicto, Gnoſij re per exploratores cognita, urbem cuſtode uacuam occuparunt: pueros'q;, & mulieres Gnoſon miſere. dehinc incenſa per iram, ac funditus euerſa urbe, domum remearunt. Lyttij ab expeditione ad urbem reuerſi, ubi omnia incenſa, ac diruta conſpexere: adeo animus conſternati ſunt: ut ne ingredi quidem urbem quiſquam auſus fuerit: ſed omnes eam catteruatim circumeuntes, gemitu ac lamentis & patriam, & fortunam ſuam ſunt proſecuti. Poſt hæc

conuerſo itinere ſe ad Lampeorum urbem recæperunt. à quibus humaniter, & ſummo ſtudio ſuſcæpti fuere. ac iam pro ciuibus profugi, atq; hoſpites intra unius diei ſpatium facti, bellum cum ſocijs aduerſus Gnoſios gerebant. Lyttos Lacedæmoniorum colonia, & omniū Cretæ urbium antiquiſſima ita repente, & miſerabiliter extincta eſt. Pollyrenei, & Lampei, cæteriq; omnes eorum ſocij uidentes Gnoſios quidem Aetolorum ſocios eſſe: Aetolos uero Philippi, & Achæorum hoſtes: legatos ad regem, atq; Achæos mittunt: qui de ineunda ſocietate, & auxilijs mittendis agerent. Achæi, & Philippus in communem illos ſocietatem accepere. deinde ſuppetias eis miſerunt Illyrios circiter quadringentos: quorum dux erat Plator: Phocenſes uero circiter centum. Qui cum uenissent: maximum momentum Pollyreneis Achæorum ſocijs attulere. Siquidem intra breue tempus auctis illorum uiribus, Eleuterneos, Cydoniatas, Aptereos, alioſq; complures à Gnoſiorū ſocietate deficere, ſibiq; adhærere cōpulerunt. Quibus peractis Pollyrenei, ſocijq; qngentos Cretenſes Philippo, & Achæis miſerunt. Gnoſij non multo ante tempore circiter mille Aetolis miſerant. Ita utriq; alterius gratia bellum inuicem gerebant. Gortiniorum exules Pheaſtiorum portum per inſidias cæperant: ex quo eos, qui erant in urbe, crebris incurſionibus infeſtabant. Hic igitur erat cretenſium rerum ſtatus. Sub idem tempus Mithridates rex bellum Sinopēſibus intulit. In quo cum Sinopenſes ſubſidium per legatos à Rhodijs petiiſſent: Rhodij tris uiros ad eam rē elegere. His ad CXXXX mil. drachmarum tradita: ut Sinopenſibus de rebus ad bellum neceſſarijs prouide-

rent. Igitur quibus datum hoc onus fuit: utres uini pararunt circiter X millia: crinium laboratorũ CCC talenta: neruorum laboratorum C talenta: armaturas integras mille: aureorum ſignatorum III millia: naues onerarias IIII: baliſtas præterea, ac tormenta omnium generum magno numero. Legati his acceptis Sinopem remearunt. Ingens inuaſerat Sinopenſes timor: ne Mithridates terra mariq; urbis oppugnationem aggrederetur. Sinope ſita eſt in parte dextra Ponti: ubi Phaſis fluuius ingreditur mare. Eſt autem in quadam Cheronneſo protendente in pelagus: cuius collum Aſiam contingens, & longitudinis ferè duorum ſtadiorũ prædicta urbs claudit. reliqua pars Cheronneſi in pelagus protenditur: eſtq; plana, & ad ambulandum in urbem commodiſſima: à mari uero uenientibus difficilis, ac ferè inacceſſa, aditus habens quampauciſſimos. Quãobrem ueriti Sinopenſes ne Mithridates tormentis, machinisq; non ſolum ab ea parte, quæ Aſiam contingit: uerumetiam ab alijs lateribus, dimiſſis in terram copijs, urbem oppugnaret: omnem eam partem, quæ mari clauditur: uallo diligentiſſime muniverunt: conſtitutis militibus: qui hoſtes, ſi uenirent, ſagittis à terra arcerent. quippe circuitus loci mediocris eſt, nec magno præſidio indigens. Hæc tum Sinope gerebantur. Philippus rex è Macedonia cum copijs profectus (hinc enim ſuperius digreſſionem fecerantus) in Theſſaliam, atque Epirum exercitum ductabat, maturans per eas regiones tranſitum in Aetoliam facere. Alexander autem, & Dorimachus eodem tempore de capienda per proditionem Aegi-

ra cogitantes, congregatis Oeanthiæ mille & ducentis Aetolis (quippe ea urbs Aetolorum eſt huic, de qua loquimur, oppoſita) nauibusq́; ad transfretandū paratis, opportunitatem perficiendæ rei præſtolabantur. Perfuga quidam ex Aetolia iamdiu apud Egiratas moram traxerat. Hic cum ſæpenumero animaduertiſſet cuſtodes eius portæ, qua iter eſt Aegium, per ebrietatem negligentius ſe habentes: eam rem Dorimacho retulit: et ad urbem noctu capiendam hortatus eſt: hominem alioquin huiuſmodi rebus aſſuetum. Eſt autem Egira urbs Peloponneſi iuxta Corinthiacum ſinum inter Aegium, & Sicyonem ſita in quodam colle aſpero atq; difficili, ad Parnaſſum uergens, diſtansq́; à mari circiter ſeptem ſtadia. Cum igitur transfretationis tempus aduéniſſet: Dorimachus deportato exercitu, & omnibus ſtrenue prouiſis, antequam diluceſceret, ad amnem peruenit, propter eum collem, in quo urbs ſita eſt, defluentem. Hinc ipſe, & Alexander, atq; Archidamus Pantaleonis filius maxima multitudine Aetolorū comitati ad urbem feruntur ea uia, quæ ab Aegio ducit. Perfuga cum XX aptioribus militibus aliquanto cæteros ob experientiam loci præceſſerat: ac per ſaltus penè inuios peruenerat ad mœnia. ubi per cloacam urbē ingreſſus, cuſtodes adhuc ſomno ſepultos offendit. qbus interfectis, uectibusq́; ſecuri abſciſſis, nemine ſentiēte portā Aetolis recluſit. Quod conſpicientes Aetoli magno impetu in urbē ferūtur, temere nimiū, atq; inconſyderate ſe gerentes. Quæ res Egiratis quidē uictoriam, ipſis uero cladem ſimul, atq; ignominiam peperit. Etenim Aetoli actum de Egiratis exiſtimantes, cum primū ipſi intra mœnia conſiſterent: hunc

in modum ſe geſſere. Congregati aliquandiu in foro con ſtiterunt: mox dilucęſcente die ad priuatas utilitates omnes conuerſi, palatiq; per urbem alij alias domos aggredi: fortunas ciuium diripere: urbem totam populari: deniq; nulli rei, prǽterquam prǽdæ, intenti eſſe. Egiratæ magnitudine, ac nouitate facti commoti, hi quidem, ad quorum domos graſſati hoſtes fuerant: timore perculſi, extra ciuitatem fugere: Aetolis iam manifeſte urbem tenentibus. qui uero auditis tubarum clangoribus adhuc integra re familiari in ſubſidium ciuitatis exiuerant: omnes ſeſe in arcem recipere. quamobrem hi quidem continue plures ac fortiores fieri. Aetoli contra rariores, debilioresq;: illis ſe iugiter ad defenſionem urbis in arcem congregantibus: his ſe per domos prǽdandi gratia diuidentibus. Dorimachus, etſi imminens periculum animadnertebat: nihil tamen ob eam rem commotus, incredibili audacia in arcem impetum facit: ratus qui eo conuenerant, aduentu ſuo perterritos mox ſe Aetolis dedituros. Sed nó defuit Aegiratis animus in propulſando periculo. quin incredibili conſtantia, ac fortitudine animi perſiſtentes hoſtem arcebant. Vtrinq; igitur acerrime pugnabatur. & quoniam arx nullis erat circundata mœnibus: pugna ſingulari certamini quamſimillima committebatur. Aliquandiu atrociter. atq; æquo marte pugnatum eſt: his de patria ac liberis, illis de propria ſalute dimicantibus. Ad extremum tamen Aetoli fugere turpiter cœperunt. qua capta occaſione Aegiratæ, auctis animis eos inſequebantur. Ex quo accidit: ut plurimi Aetolorum, dum prǽ timore tumultuarie fugerent: in ipſo exitu portæ à ſe inuicem

oppreſſi extinguerentur. Alexander in prælio ſtrenuè dimicans, occiſus eſt. Dorimachus in tumultu, dum portam egredi contenderet: occubuit. reliqui aut in eodem loco oppreſſi: aut per præcipitia ruentes occiderunt. pauci admodum ſalui, armis tamen turpiter in bello ammiſſis, ad naues peruenere. Per hunc modum Aegiratæ perditam ferè per ſegnitiem patriam incredibili animi magnitudine recuperarunt. Sub idē tempus Euripides, qui dux ab Aetolis miſſus Elienſibus fuerat: pagratis Dymenſium, & Pharenſium, & Tritenſium agris, ingentem abigens prædam, iter in Elienſem terram tenebat. Quod cum Miccus Dymenſis audiſſet: qui forte ea tempeſtate in locum ducis Achæorum ſuffectus fuerat: auxiliantibus Dymenſibus, ac Pharenſibus, & Tritenſibus, abeuntes hoſtes inſecutus, dum inconſultius ruit: in hoſtium inſidias lapſus profligatus eſt: multosq; ex ſuis amiſit. ſiquidem quadraginta pedites deſiderati: capti uero ducenti. Euripides re feliciter geſta animo elatus, paucos poſt dies rurſus eductis copijs, caſtellum quoddam Dymenſium opportuniſſimum cepit: quod incolæ Murum appellant: feruntq; ab Hercule olim, cum aduerſus Elienſes bellum gereret: ædificatum fuiſſe: quo ueluti munimento, ac receptaculo belli uteretur. Dymenſes, Pharenſes, & Tritenſes ſupradicta clade affecti, & futura propter captū ab Euripide caſtellum formidantes, primo literas ad ducem Achæorū dedēre: quibus eum de rebus geſtis certiorem facerent: peterentq; aduerſus Aetolos ſubſidium. poſt hæc nonnullos ex principibus ciuitatum ſuarum legatos ad eundē miſerunt. Aratus neq; mercenarium militem contra-

here poteerat, ob non ſolutum ab Achæis tempore Cleomenici belli militibus ſuis ſtipendium: & rebus omnibus timide, atq; imprudenter utebatur. Quamobrem & Lycurgus Athenium Megalopolitarum oppidum cœpit: & Euripides præter id, quod ſupra memorauimus, alijs quoq; circũſtantibus oppidis potitus eſt. Dymenſes, Pharenſes, & Tritenſes ſpe, quam in duce Achæorum habuerant, fruſtrati, inter ſe decreuere: nequa deinceps pecunia in bellicos uſus Achæis ſolueretur: ſed ipſi per ſe mercenarios contraherent: pedites circiter trecentos: equites quinquaginta: quibus ſe, patriamq; tuerentur. Quo facto priuatis quidem rebus ſatis uiſi ſunt conſulere: nullam autem rerum publicarum rationem habuiſſe. peſſimum enim cæteris exemplũ dederunt quantulacunq; ex cauſa res nouas moliendi. Cuius rei culpam merito quis in ducem tranſtulerit, per ſegnitiem atq; ignauiam expectationem ſuorum fraudantem. Eſt enim ita comparatum: ut omnes, qui in periculo ſunt: quandiu ſpem ſubſidij in amicis, ac ſocijs habent: tãdiu cum ijs amicitiam putent ſeruandam. ubi uero ſpes omnis ſublata eſt: tunc ipſi per ſe proprijs rebus conſulere coguntur. Quamobrem danda quidem uenia eſt Dymenſibus, Pharenſibus, & Tritenſibus: ꝙ in ſummo ciuitatum ſuarum diſcrimine mercenarios conducerent: duce Achæorum ſegniter ſe habente. quod uero erogare in communes uſus pecuniam noluerint: haud quaquam ignoſcendum. ut enim decebat non prætermittere proprias neceſſitates: ita erat turpiſſimum ea relinquere: quæ ad ſalutem communis reipublicæ ꝑtinerẽt. Hic igitur erat peloponeſiacarũ rerũ ſtatus. Rex Phi

lippus, peragrata iam Theſſalia, in Epiro aderat. hinc accepta multitudine Epirotarum unà cum Macedonibus, quos ſecum duxerat: & trecentis funditoribus, quos ex Achæia habuerat: item trecentis Cretenſibus, qui miſſi à Meſſenijs fuerant: in Ambraciotarum regionem peruenit. ubi ſi ſtatim facto impetu in mediterranea Aetoliæ loca graſſatus fuiſſet: hic finis totius belli erat futurus. Verum perſuaſus ab Epirotis, ut primo Ambracum expugnaret: occaſionem Aetolis præbuit ad reſiſtendum, & quicquid neceſſarium foret ad res ſuas tuendas, prouidendum, atq; parandum. Epirotæ enim priuatum commodum publicæ ſociorum utilitati præferentes, affectantesq; ſummo ſtudio Ambracum ſuæ ditionis facere, Philippum hortati ſunt ad eum locum obſidendum, & antequam ulterius progrederentur, capiendum. percommodum enim futurum rebus ſuis arbitrabantur: ſi Ambracia Aetolos priuarent. uenturam autē eam urbem q̃facillime in poteſtatem ſuam: ſi prius hoc loco potirentur. Eſt enim Ambracus locus & naturali ſitu, & duplici muro munitiſſimus: ita undiq; paludibus clauſus: ut unum duntaxat à terra aditum habeat: eumq; arctiſſimum, ac manu factum: præterea ipſi urbi, ac prouinciæ Ambraciotarum quaſi ſupra caput imminet. Philippus igitur ab Epirotis perſuaſus, poſitis circa Ambracum caſtris, neceſſaria ad obſidionem parabat. Eodem tempore Scopas, congregata Aetolorum multitudine, per Theſſaliam profectus in Macedoniam irruit: omnemq; regionem iuxta Pieriam montem ferro igniq; depopulatus, cum omnis generis præda uerſus Dium abijt. Vnde cum ij, qui locum in-

colebant, aufugiſſent: uicænia, domos, gymnaſium funditus diruit: nec his contentus, porticus quoq; ingenti ſumptu circa templum inſtructas incendit. præterea omnia, quæcūq; uel ad ornatum, uel ad uſum ibi erant poſita: uaſtauit. poſtremo regum imagines omnes euertit. Hic igitur ſtatim initio belli, & quaſi primo impetu non ſolum homines, uerumetiam deos aggreſſus diſceſſit: reuerſusq; in Aetoliam non ut impius, ac nepharius in deos immortales, ſed ut bonus uir, & bene de repu. meritus atq; honoratus eſt: magna ſpe futurarū rerū Aetolis addita. ex hoc enim rebantur, ut nemo quidem in poſterum appropinquare regioni ſuæ hoſtiliter auderet: ipſi uero populabundi non ſolum in Peloponneſum graſſari, ut conſueuerant: uerumetiam in Theſſaliam, & Macedoniam libere poſſent. Philippus auditis, quæ in Macedonia geſta erant: ſtatimq; ignorantiæ, atq; auiditatis Epirotarum pœnas luens, Ambracum obſidebat. ubi omni genere machinarum, ac tormentorum uſus intra quadraginta dierum ſpatium eo loco potitus eſt: dimiſſoq; ibi, fide prius ab iis accepta, Aetolorum præſidio, deſiderio Epirotarum ſatisfecit: Ambraco eis quaſi per manus tradito. Poſt hæc motis caſtris iter per propinquam uallem direxit: feſtinans Ambrachæum ſinum quamcelerrime transfretare: qui arctiſſimus eſt iuxta Acarnanum templum: quod Antium appellatur. Fluit autem is ſinus ex mari Siculo inter Epirum, & Acarnaniam, faucibus quamarctiſſimus. uix enim ad ſexcentos paſſus in latitudinem patet. ubi uero in mediterraneam partem diffunditur: latitudinem habet ferè centum ſtadiorum: longitudinem incipiendo à mari

Siculo trecentorum ſtadiorum: diuiditq; Epirum ab Acarnania, à Septentrione Epirum habens, Acarnaniam à Meridie. Traiecto igitur cum copijs ſinu, Acarnaniam ingreſſus ad urbem Aetoliæ peruenit: quam Poëtiam uocant: ductis ſecum ex Acarnania duobus millibus peditum, equitibus ducentis. Hic diſpoſitus circa urbem caſtris, poſt multa acriáq; certamina, perendie quàm eò uenerat, urbem pactionibus cepit: relicto in eo poſt fidem ab ijs acceptam Aetolorum præſidio. Sequenti nocte quingenti Aetoli rem adhuc in integro eſſe exiſtimantes, in ſuorum ſubſidium ueniebant. Rex aduentu eorum cognito, diſpoſitisq; in itinere inſidijs, magnam partem illorum occidit: reliquos cepit. pauci fuga ſalutem quæſiuere. Poſthæc diſtributo inter milites triginta dierum frumento (maximam enim ea urbs frumenti copiam habebat) in ſtratenſem profectus eſt agrum: caſtráq; iuxta Acheloum amnem poſuit, procul ab urbe circiter decem ſtadia. Hinc per omnem prouinciam graſſatus, nemine exire obuiam audente, omnia ferro igniq; uaſtauit. Sub idem tempus Achæi bello præter cæteros afflicti, nec longe iam abeſſe regem audientes, miſſis ad eum legatis auxilium poſcunt. Legati Philippo ad Straton oppidum occurrunt: expoſitisq;, uti mandatum fuerat, neceſſitatibus ſuis, ſubſidium precantur: & regi, ut transfretato Rhio iter in terram Elienſem teneat, multis ſuadent rationibus. Quibus auditis Philippus, legatos quidem in præſentia dimiſit: conſulturum ſe de rebus huiuſmodi pollicitus. ipſe uero motis caſtris uerſus Metropolim profectus eſt. Quod

ſentientes Aetoli, relicta urbe omnes in arcem confugerunt. Philippus incenſa Metropoli, iter proſecutus Conopen tendit. Vbi cum congregati Aetoli equites in tranſitu fluuij ei occurrere ſtatuiſſent, loco ad XX ſtadia ab urbe remoto: & aut omnino prohibere eum tranſitu, aut, ſi tranſiret, cum eo conſligere: Philippus, intellecto eorum conſilio, mandat ſcutatis: ut primi omnium flumen ingrediantur: collectiq; in unum immota acie exitum tentent. qui cum dicto paruiſſent: Aetoli primis ordinibus, quia conferti erant, fruſtra tentatis, item poſtea ſecundis, & tertijs, tandem deſperatis rebus, in urbem reuerſi ſunt: ac iam de cætero Aetolorum exercitus intra oppida commorabatur. Philippus uero libere per omnem prouinciam diſcurrens populabatur, uaſtabatq; omnia: compluribus ditioni ſuæ ſubactis oppidis & ſitu, & mœnibus munitiſſimis: caſtelliſq; omnibus, quæ in ea regione plurima erant: funditus demolitis. Poſt hæc remiſſius, ac placidius faciebat iter: facta ſuis poteſtate in priuatas utilitates, qua uellent, diuertendi. Affluentem deinde copia omnium rerum exercitum uerſus Eniadas mouit: poſitiſq; iuxta Peanium caſtris, id primum decreuit expugnare: nec longe poſt multis commiſſis certaminibus expugnauit, urbem haud quidem magnam: quippe quæ minus mille paſſibus in circuitu patet: ſed omni apparatu murorum, turrium, domorumq; haud cæteris inferiorem. Huius mœnia euertit funditus: domos deuaſtauit: ligna, tegulaſq; ratibus tranſuehi per flumen ad Eniadas iuſſit. Aetoli primo ad

defendendam Ceniadarum arcem accingere ſe cœperunt, muro ac foſſa, præterea rebus ad propugnandum neceſſarijs eam munientes. poſtquam uero appropinquare Philippum intellexerunt: timore perculſi fugam omnes arripuere. Philippus, nemine iam reſiſtente, hoc quoque oppido potitus exercitum in Calydoniam duxit ad oppidum quoddam munitiſſimum, cui Claos nomen eſt: & mœnibus, & omni apparatus genere tutiſſimum. Macedones hoc quoque oppido per uim potiti, paſſim deuaſtando Calydoniam diſcurrunt: deinde rurſus ad Eniadas reuertuntur. Philippus conſiderata loci opportunitate cum ad alias res gerendas, tum uel maxime ad tranſeundum in Peloponneſum, inſtaurare urbem mœnibus decreuit. Primo igitur arcem ſeparatim muniuit: deinde portu naualibusq; muro circundatis, hæc quoque cum arce coniunxit: uſus ad id opus peragendum materia, quam ex Peanio uectam ſupra memorauimus. Cum in his uerſaretur Philippus: literæ è Macedonia afferuntur, ſignificantes, Dardanios, quia de tranſitu eius in Peloponneſum dubitarent: ſummo ſtudio delectum habere: parareq; ad bellum neceſſaria: ut mox in Macedoniam tranſirent. Quæ cum rex intellexiſſet: extemplo ſuccurrendum Macedoniæ ratus legatos Achæorum remiſit: dato eis reſponſo, ꝙ cum primum macedonicas res collocare in tuto potuiſſet: nihil ſibi magis curæ foret: q̃ cum omnibus uiribus in Achæorum ſubſidium uenire. Poſthæc motis caſtris ſumma celeritate per ea, per quæ uenerat, loca reuertebatur. Transfretanti Ambracium ſinum ex Acarnania in Epirum in una

lembo Demetrius Pharius occurrit: quem Illyrio expulſum à Romanis ſupra memorauimus. Hunc rex benigne, atq; humaniter amplexũ iuſſit in Corinthum nauigare: deinde per Theſſaliam in Macedoniam proficiſci. Demetrius igitur in Epirum profectus mox, uti iuſſum fuerat, ſe in Macedoniam contulit ad urbem Pellã.

Dardani, cum per Thraces quoſdam perfugas aduentum regis intellexiſſent: timore perculſi ſubito exercitum diſſoluêre: quanquam non longe iam aberant à Macedonia. Philippus cognita Dardanorum pœnitentia, poteſtatem ſuis omnibus fecit colligendi nouas fruges, & in ſuam cuiq; regionem abeundi. ipſe in Theſſaliam profectus, reliquam partẽ æſtatis Lariſſæ egit. Sub idem tẽpus Aemylius Paulus ex Illyrijs reuerſus Romam, triũphauit. Annibal Sagunto per uim potitus in hiberna copias dimiſerat. Romani nuntio de Sagunti excidio accepto, legatos ad petendum Annibalem Carthaginenſem mittebant: ſimulq; neceſſaria ad bellũ parabant: P. Cornelio, & Ti. Sempronio creatis conſulibus. quibus de rebus, quæ particulatim dicenda erant, ſuperioribus libris expoſuimus. nunc autem ſummatim memoriæ gratia repetimus: ut, quod polliciti fuimus, omnia, & ſimul ante oculos legentibus ponantur. Primus igitur eius olympiadis annus perfectus eſt. Aetoli, cum tempus comitiorũ adeſſet: Dorimachum ducem belli elegerunt. Hic ſubito magiſtratum ingreſſus, collecto armatorũ numero in ſuperiorem partẽ Epiri impetum fecit: omnemq; eam regionem fœde nimiũ, atq; hoſtiliter depopulatus eſt: ut nõ tam utilitatis ſuæ, quàm excidij Epirotarũ gratia id facere uideretur. Tum ad templum Dodonæi Iouis profectus

porticus incendit: ornatum oẽm templi deuaſtauit: ipſam deniq; ædem euertit. adeo nullum uel pacis, uel belli modum ſeruare Aetoli ſciunt: ſed in utroq; communem hominum morem, & quaſi naturalem legem transgrediũtur. Hæc tot, taliáq; cum Dorimachus patraſſet: domum reuerſus eſt. Durante autem adhuc hyeme, omnibusq; & aduentum Philippi ob tempeſtatem anni deſperantibus, rex acceptis tribus millibus clipeatorum, & ſcutatorum duobus millibus, Cretenſibus item trecentis, præterea quadringentis ferè equitibus, Lariſſa profectus eſt: & facto per Theſſaliam itinere, in Eubœam penetrauit. inde per Bœotiam, & Magaridam tempore æquinoctij hyemalis Corinthum uenit, ita clam facto itinere: ut nemo Peloponneſiorũ id ſenſerit. clauſis deinde Corinthij portis, et cuſtodijs itineri adhibitis, ſequenti die Aratũ ſeniorem ex Sycione ad ſe uocauit. Tũ literis ad ducem Achæorum, & ciuitates miſſis, certiores eos fecit, quando, & quo loco conuenire armati deberent. His rebus hunc in modum conſtitutis, iter cœptum proſecutus, caſtra iuxta Dioſcorium Philiaſiæ oppidum poſuit. Per idem tempus Euripides cum duabus legionibus Elienſium, & Piratis, ac mercenarijs militibus, ut omnes ad duo millia & ducenti eſſent: præterea cum equitibus ferè centum Pſophide diſcedens, per Pheniceam, & Stymphaliam terram iter faciebat, ignarus progreſſus Philippi, & uaſtari ac depopulari Sicyniorum agrum cupiens. Accidit: ut, qua nocte Philippus iuxta Dioſcorium caſtrametatus eſt: Euripides cum prima luce eum locum prætergreſſus Sicyoniorum agrum intrauerit. Cretenſes quidam ex ijs, qui cum Philippo erant: cum forte reli-

ctis ordinibus pabulatum proficiſcerentur: in eum incidere. ex quibus cum præſentiam Macedonum cognouiſſet: nihil cuiquam locutus, eadem, qua uenerat, uia domum copias reduxit: intendens, ſperansq; ſe facile, poſtquam Stymphaliam terram prætergreſſus fuiſſet, in locis iniquis fundere Macedonas poſſe. Philippus hac re minime intellecta cum prima luce, uti ſtatuerat, exercitum mouit, iter ſub ipſo Stymphalo uerſus Caphyras facturus. eò enim conuenire in armis Achæos per literas iuſſerat. Cum primi milites Macedonum ad ſummitatem eius collis perueniſſent: quem incolæ Apeaurum uocant: diſtatq; à Stymphaliorum urbe circiter decem ſtadia: forte furtuna accidit: ut Elienſium quoq; primi ad eandem ſummitatem peruenirent. Qua re cognita Euripides, iniquitate loci ac temporis perterritus, fugam cum paucis arripuit: & per ſaltus penè inuios Pſophidem peruenit. Reliqua multitudo Elienſium ſimul deſerta à duce, ſimul nouitate rei perculſa, aliquandiu quid agendum foret, dubitauit. poſt hæc ex genere armaturæ (galeati enim Macedones procedebant) Megalopolitanos eos eſſe rati, conſerta acie, & ſeruatis ordinibus aliquantum proceſſere, ſalute haud quaquam deſperata. ubi uero propinquiores facti ſunt Macedones: ueritatem rei iam planè intelligentes, omnes ſe abiectis armis in fugam uerterunt. Ex his ferè mille & ducenti uiui in poteſtatem hoſtium peruenere. reliqui aut à Macedonibus inſtar pecudum trucidati: aut per præcipitia lapſi mortem obiere. pauciores centum fuga ſeruauit. Philippus, præda, & captiuis Corinthum miſſis, iter proſequitur.

Peloponneſijs id factum mirabile uiſum: fama eodem tẽpore & aduentum regis, & uictoriam nunciante. Cum per Arcadiam iter rex faceret: multis in itinere niuiũ, ac locorum difficultatibus fatigatus, tertio die intempeſta nocte Caphyas peruenit. Hic curatis triduo corporibus, & Arato iuniore cum copijs, quas habebat, ſecum accepto, ita ut eſſet exercitus omnis ad decem millia hominum: Pſophidem per Cletoriam uenit: congregata ex ciuitatibus, per quas tranſiuit, telorũ ac ſcalarum multitudine. Eſt autem Pſophis antiquiſſimum Arcadũ oppidũ in medio Peloponneſi ſitum, eam partem Achæiæ cõtingens: quæ ad occidentem uergit: & Elienſium regioni peropportune imminens: per quos tum forte regebatur. Ad hanc Philippus, tertio poſtquam Caphyis diſceſſerat die, profectus, caſtra in oppoſitis urbi collibus collocauit: ex quibus urbem, & circunſtantia omnia loca tuto cernere poterat. Hinc igitur cum monumenta urbis animaduerteret: aliquandiu anceps conſilij fuit. Ab occidente enim iuxta mœnia urbis uelociſſimus torrens defluit: qui, cum magna hyemis parte intransfretabilis ſit: aditum ad urbem ex eo latere prohibet. ab oriente uero Erimanthum habet, magnum ac præcipitem fluuium: de quo multa à poetis, atq; hiſtoricis narrantur. Torrẽs ipſe, de quo ſupra diximus: in Erimanthum defluens, tertium quoq; à meridie latus tutiſſimum reddit. quarto autem, quod ad Septentrionem uergit: collis ſuperſtat aſper, atq; difficilis: & quaſi opportuniſſimæ arcis locum tenẽs. Ita urbs à tribus lateribus aqua, à quarto tuta redditur colle. præterea ex omni parte mœnibus clauditur, magnitudine atq; opere excellentibus. Poſtremo erat

in ea

in ea Elienſium præſidium: & Euripides fuga ſeruatus proxime ſe eò receperat. His omnibus conſideratis Philippus, partim ab expugnatione urbis retrahebatur, ob difficultatem rei: partim ob loci opportunitatem ad eam obſidendam inflammabatur. nam quantum tunc ea urbs detrimenti Achæis, atq; Arcadibus afferebat: cum munimentum quoddam, & quaſi receptaculum belli tutiſſimum Elienſibus foret: tantum è contrario, ſi caperetur, allaturam Elienſibus detrimenti, & munimentum ac receptaculum belli Arcadibus futuram arbitrabatur. Quamobrem in hanc tandem ſententiam inclinatus, Macedonibus nunciauit: ut cum prima luce refectis cibo corporibus omnes inſtructi, ac parati forent. poſt hæc Erymanthi pontem tranſgreſſus, nemine ob nouitatem ac magnitudinem rei iter eius impediente, ſub ipſa urbis mœnia intrepidus uenit. Euripidem, cæterosq́;, qui in ciuitate erant, factum id ancipites conſilij fecit. nam neque ui expugnari à ſe poſſe urbem adeo munitam exiſtimare Macedones putabant: neq; diutius ea anni tempeſtate obſidionem tolerari. Quamobrem ne proditionem uocati eſſent ab aliquo intra urbem habitantium, uerebantur. ubi uero nihil eiuſmodi in ciuitate tentari uident: magna pars ad defendenda mœnia concurrit. Mercenarij Elienſium per portam caſtris ſupereminentem eruptione facta, in hoſtes feruntur. Philippus tribus in locis, qui ſcalas mœnibus admouerent, conſtitutis, & ſufficiēti Macedonum numero ſingulis partibus addito, dari per præconem ſignum iubet. Quo facto incredibili ardore omnes pugnam capeſcunt. Obſeſſi principio acerrime propugnantes reſi-

ſtebant:multis ex ſcalis, cum tranſcendere mœnia conarentur, deiectis. ubi uero & tela, & omnis naceſſarium rerum apparatus propugnantibus defuit: ut pote qui ex improuiſo ad mœnia concurrerant: nec perterriti Macedones retrahebant greſſum: ſed in deiecti locum proximus quiſq; ſcalas aſcendebat: conuerſi tandem in fugam obſeſſi, omnes ſe in arcem recepere. Ex iis, qui cum rege erant: Macedones quidem mœnia tranſgrediuntur. Cirtenſes uero cum his, qui ex ſuperiore urbis parte eruptionem fecerant, congreſſi, ad extremum eos adegerunt, ut abiectis turpiter armis capeſſerent fugam. quos ingenti impetu inſecuti, multis eorum in itinere interfectis, unà in urbẽ irruêre. Ex quo accidit: ut eodem ferè tempore undiq; capta urbs fuerit. Vniuerſi ciues cum filiis, & uxoribus in arcem confugêre. Idem ab Euripide factum: reliquiſq;, qui id periculum euaſerant. Macedones urbem ingreſſi publica, priuataq; omnia diripuere. dehinc quietem agentes in ciuitate morabantur. Qui arcem tenebant: cum & commeatu, & omnibus neceſſariis carerent: proſpicientes futurum, de ditione agere cœperunt. Miſſo igitur ad regem caduceatore, & accepta uenia mittendæ legationis, principes ciuitatis, & cum his Euripidem ad Philippum mittunt. hi cum rege compoſuere: ut dedita arce liceret ciuibus ſimul, atque aduenis libere abire. Quo facto rurſus in arcem redierunt, iuſſi à rege, ne prius inde diſcederent: quàm ipſe ex urbe copias eduxiſſet: ne forte in milites ſuos incidentes præda fierent. Rex ob tempeſtatem anni neceſſario in ea urbe aliquot diebus moram traxit. In quibus

uocatis in contionem Achæis, qui in exercitu erant: mul ta locutus eſt de ſitu, atque opportunitate eius urbis ad præſens bellum gerendum. & fidem, ac beneuolentiam ſuam in eam gentem pluribus uerbis commemorauit. Poſtremo tradere ſe inquit eam urbem Achæis: quo pa lam intelligerent hoc ſibi propoſitum eſſe: omnibus in rebus gratificari Achæis: nihilque in rebus illo- rum ſtudij ac próptitudinis omittere. Quæ cum di- xiſſet: agentibus gratiam Achæis, & beneuolen- tiam regis amplexantibus, Philippus contionem diſſol uit. nec multo poſt iuſſis conuenire militibus, Laſſionem uerſus exercitum mouit. Pſophidij relicta arce, in ciui- tatem uenêre: omnesq; in ſuas quiſque domos reuerſi ſunt. Euripides cum ſuis primo Corinthum, deinde Aetoliam abijt. Duces Achæorum præſentes Proslaū Sicyonium cum ſufficienti præſidio in arce poſuere: ur- bi Pythiam Pellenenſem præfecerunt. Hunc finem res Pſophidiorum ſunt ſortitæ. Elienſium præſidium, quod Laſſioni erat: perſpecta Macedonum præſentia, & his, quæ Pſophidi geſta erant, per nuntios cogni- tis, magnitudine rerum deterriti urbem deſeruerunt. Quo factum eſt: ut Philippus ſimul & uiderit eam, & ceperit. Hanc quoq; Achæis in eadem beneuolen- tia permanens dono dedit. Similiter Straton ab Eli- enſibus captum Telphuſijs tradidit. His geſtis poſt eius diei diem quintum Olympiam uenit. Hic peractis deo rite ſacrificijs, ac epulo publico ducibus facto, recreatisq; triduo militibus, poſtridie educit copi- as: & in elienſem agrum profectus prædandi co- piam militibus facit. ipſe iuxta Artemiſum caſtrame-

tatus, non longe poſt abducta inde præda rurſus Dioſcorium rediJt. Vbi crebris per prouinciam incurſionibus factis, ingens hominum multitudo capta. plurimi in propinquas uillas, ac locos natura munitos recepere.

Eſt enim Elienſium regio & multitudine corporum, & copia omnium rerum inter cæteras Peloponneſi regiones refertiſſima. quippe magna pars habitantium ita agriculturæ dediti ſunt: ut ſecundam, & tertiam ætatem ruri agentes, multis alioquin diuitijs præditi, nunquam ciuitatem ingrediantur. Quod ideo accidit: quia optimates ciuitates cultores agrorum curare habent: magnáq; diligentia, ac ſtudio obſeruant: ne quid uel ad uſum uitæ neceſſarium non habeant: uel per iniuriam ab aliquo patiantur. Videntur autem mihi hoc ueteres inſtituiſſe: tum ut allicerent homines ad hác regionem habitandam: tum potius, ꝙ olim ſacram uitam uiuebant: cum Græcorum omnium propter certamen olympicum conceſſione, ſacram & tutiſſimam regionem habebant, omnium malorum, & omnis bellici tumultus expertes. poſtquam uero orta inter Arcades de Laſione, & Piſa contentione coacti ſunt bellum pro patriæ defenſione ſuſcipere: ac priſtinam uitæ rationem mutare: nullam amplius curam habuerunt conſequendi ueterem illam, & quaſi hæreditariam à Græcis libertatem: ſed in eodem ſtatu permanſere, haud rectam futurarum rerum prouidentiam facientes. nam ſi quod omnes à dijs immortalibus precamur: quodq; ut aſſequamur, omnia ſuſtinemus: & quod omnium confeſſione indubitatum eſt apud homines bonum: pacem uidelicet, atque concordiam: ſi hoc, inquam, ſer-

uato officio, atq; iuſticia, conſequi à Græcis aliqui in perpetuum poſſint: & uel contemnant id, ac pro nihilo habeant: uel aliquid pluris æſtiment: non'ne ſtultiſſimi ſint, & omni ratione carentes? sed per Iouem, dicet aliquis: ſi q hanc uiuendi rationem cuſtodiant: inutiles erunt ad reſiſtendum: ſiquando bello, aut alio iniuriarum genere infeſtabuntur. At hoc certo prrarum eſt. quodſi aliquando acciderit: communi Græciæ auxilio defendi poterunt. aut, ſi priuatim ab aliquo offendentur: haud difficile erit per ſe ipſos mercenarios cogere ex pecunijs, quas longa pace ac tranquillitate rerum comparauerint. Nunc autem id timentes, quod rariſſimum eſt, & præter omnium opinionem accidit: continuis bellis, ac turbationibus ſeq;, & regionem ſuam conficiunt. Hæc quidem libenter de Elienſibus memorauimus: quoniam nulla unquam tempora maiorem eis, q̃ hæc noſtra, opportunitatem præſtitere conſequendi eam, de qua locuti ſumus, ab omnibus libertatem. Hanc igitur regionem, uti ſupra diximus, ex ueteri conſuetudine paſſim, ac ſecure populi habitabant. Quamobrem innumerabilis multitudo hominum à Macedonibus capta: multis alioquin in tutiora ſe recipientibus. quippe ingens hominum, & beluarum, ac plurimarum deniq; rerum multitudo congregata erat in propinqua uilla: quæ uulgo Thalamus dicitur: ꝙ regio, quæ eam amplectitur: arctiſſima eſt, ac perdifficilis aditu: & uilla ipſa aſpera, ac ferè inacceſſa. Philippus cum nunciatum eſſet, magnam multitudinem eò conueniſſe: nihil intentatum relinquere uolens, cum mercenarijs militibus loca præoccupat, in aditum eius peropportuna. ipſe relictis caſtris, impe-

dimentis, ac magna parte copiarũ, cum ſcutatis & leuioris armaturæ militibus per loci anguſtias procedit: ac nemine iter impediente, ad uillam peruenit. Cuius rei magnitudine, qui eo confugerant, deterriti, & ſimul imparati ad bellicos uſus atq; inſueti, præterea multos per ætatem inutiles ad bellum ſecum habentes, confeſtim ſe dediderunt. In quibus erant mercenarij milites ex uarijs generibus fere ducenti: qbus præerat Amphidamus dux Elienſium. Philippus omni genere prædæ, & quinq; millibus hominum potitus, præterea quadrupedum infinita pene multitudine, in præſentia quidem in caſtra redijt. poſtea uero, cum honuſtus præda miles inutilis ad res gerendas uideretur: motis caſtris rurſus Olympiam remeauit. Appelles unus erat ex tutoribus ab Antigono puero relictis: & tunc authoritate ac gratia plurimum apud regem pollebat. Hic cum agitare animo cœpiſſet, quo pacto Achæorum gentem in eum ſtatum poſſet adducere: in quo Theſſali erant: nefandum orſus eſt facinus. Theſſali quippe ſecundum leges ſuas uiuere, multum'q; differre a Macedonibus uidebantur. tantum autem aberat ut ab his quicquam differrent: ut omnia inſtar Macedonum paterentur: atq; ea omnia facerent: quæ regibus uiderentur. Quamobrem ad hoc intentus Appelles, eorum, q in caſtris erant, tentare animos cœpit. Primo igitur Macedonibus mandauit: ut ſemper Achæos, ſi qui forte loca præoccupaſſent, ex ſtationibus expellerent: item prædam ab his auferrent. poſt hæc quamlibet leui ex cauſa uerberari eos per miniſtros iubebat. ſi quis uero aut de huiuſmodi iniurijs quererentur: aut auxilium uapulantibus ferrent:

ipſe eos in uincula ducebat, ſperans tandem per hunc modum efficere, ne quid graue Achæis ex conſuetudine uideretur: quod regi libitum eſſet. Cæterum cum congregati quidam Achaici iuuenes ad Aratum ueniſſent: & conſilium Appellis patefeciſſent: Aratus ei rei initio ſuccurrendum ratus, ad Philippum uenit: ductisq; ſecum iuuenibus rem ordine regi expoſuit. Quibus auditis Philippus, iuuenes quidem bono animo eſſe iuſſit: ut pote quibus nihil tale in poſterum contingeret. Appelli in mandatis dedit: ne quid amplius ſine ducis ſententia de Achæis ſtatueret. Philippus quidem certe & eloquentia ac ſuauitate orationis in militum concionibus, & in rebus bellicis calliditate atq; audatia, non ſolum militum, ſed omnium Peloponneſiorum iudicio preſtabat. nec facile fuiſſet regem reperire pluribus naturæ dotibus ornatum. Solertia qdem, & memoria, & gratia erat in hoc homine inſignis: præterea aſpectus imperio dignus, regia potētia, maximum robur, & inaudita in rebus bellicis animi magnitudo. Quibus tot, tantisq; uirtutibus cum imperij fundamenta iecaſſet: quæ tandem cauſa naturam eius peruerterit: & ex iuſto ac pio rege impium ac ſceleratum tyrannum fecerit: haud facile eſſet diſſerere. quamobrē hoc in aliud tēpus reſeruandum. Nunc ad propoſitum reuertamur. Philippus, motis ex Olympia caſtris, primo Phariam uenit: deinde Ereā: ubi uēdita præda, de qua ſupra memorauimus: pontē ſupra Alphiū ſtruxit: uolēs illac iter in Triphaliā facere. Per idē tēpus Dorimachus Aetolorū dux petētibus ſubſidiū Eliēbus, cū ager eorū deuaſtaretur: circiter ſexcētos Aetolos, & ducē Philidā miſit. Hic

in elienſem regionem profectus, acceptis Elienſium mercenarijs numero ferè quingentis, præterea urbanis mille, item unà Tarentinis, in ſociorum ſubſidium in Triphaliam uenit: quæ à Triphalo Arcade nomen habens in Peloponneſo ſita eſt inter Elienſium, ac Meſſeniorum regiones. uertitur autem in Lybicum pelagus, Achæiā contingens ad occidentem hyemalem: continetq; has urbes: Samicon, Lepreon, Hygiannan, Typaneas, Pyrgon, Epion, Bolacas, Tylangion, Phryxan. Quas cum paucas ante temporibus Elienſes tenerent: Alphirenſium quoq; urbem acceperant: quæ antea Arcadiæ erat: Alliado Megalopolitano, quo tempore tyrannidem exercebat, hanc illis per permutationem tradente. Simulac autem Triphaliam ingreſſus eſt Philidas: Elenſes quidē Lepreon, mercenarios Alphiram miſit. ipſe Aetolos ſecum habens Typaneis morabatur. Philippus, relictis impedimentis, & flumine Alphio per pontem traiecto, quod iuxta Ereæ urbis fluit mœnia: Alphiram uenit. quæ in colle quodam ſita ex omni parte prærupto pluſquam X ſtadiorum iter in aſcenſu continet. habet aūt in ſummitate collis arcem, & æneam Mineruæ ſtatuam, longe à cæteris ſpecie ac magnitudine differentem. Quæ à quo. aut cuius ſumptibus, quó'ue tempore erecta fuerit: etiam apud eius loci incolas dubitatur. Hoc inter omnes conſtat: opus eſſe inter omnia opera Hecatodori, & Soſtrati excellentiſſimum. Cum igitur clarus, ac ſerenus adueniſſet dies: Philippus diſpoſitis in aurora pluribus in locis, qui ſcalas ferebant: & ante eos mercenariorum ordinibus, ac inde Macedonum collocatis, cum primum ortus eſt ſol, omnibus mandat: ut

facto impetu collem aſcendere, ac oppugnare urbẽ maturent. Quibus mandata peragentibus, accidit ut Alphirenſes ad eum ſemper locum omnes concurrerent: in quo magis eniti Macedonas uidebant. Sub idem tempus Philippus delectos ex omni numero milites ſecum habens clàm per prærupta quædam loca ad arcis mœnia deuenerat. Hic oppugnantibus ex omni parte urbem militibus, & ſcalas undiq; mœnibus admouentibus, Philippus quoq; receptaculum, quod circa arcẽ erat, aggredi cœpit: eóq; ſtatim, quia uacuum militibus erat: potitus eſt. Quod ubi Alphirenſes ex mœnibus perſpexere: recenti periculo deterriti, timentésq; ut occupata à Macedonibus arce, nulla ſibi amplius ſpes ſalutis relinqueretur: confeſtim omnes deſertis mœnibus ad arcẽ confugere. quo facto Macedones ſubito & mœnia, & urbem occuparunt, Poſthæc qui arcem tenebant, miſſis ad Philippum legatis ſalutem pacti, arcem quoq; dedidere. His rebus peractis, perterriti Triphaliæ populi de ſua ac patriæ ſalute conſultabant. Philidas Typaneis profectus, direptis quibuſdam domibus, Lopirum fugit. Talis tunc merces Aetolorum ſocijs perſoluebatur: ut non ſolum in ſummo rerum diſcrimine deſtituerentur: uerumetiam ea paterentur à ſocijs: quæ uix perpeti ab hoſtibus debuiſſent. Typaneatæ urbem è ueſtigio Philippo dediderunt. Idem Hippanan habitantes fecere. Inter hæc Phialenſes auditis quæ geſta in Triphalia fuerant: Aetolorum ſocietatem deteſtantes, locum iuxta Polemarchum armati cepere. Piratæ Aetolorum, qui tum forte Meſſeniorum gratia in ea urbe morabantur: principio reſiſtere Phialenſibus conati ſunt. poſtea

cum animaduerterent uniuerſam ciuitatem unanimiter conuenire: à propoſito deſtiterunt: & collectis ſarcinis ſuis, ex urbe ſunt profecti. Phialenſes miſſis ad Philippum legatis, ſéq; & urbem in poteſtatem regis poſuere. Quibus peractis, Lepreatæ occupato urbis peropportuno loco, de eijciendo ex urbe Elienſiũ, & Aetolorũ, & Lacedæmoniorũ præſidio conſilium inierunt. Philiadas principio nihil ob eam motus, in ciuitate ꝑmanebat. cum uero in terra rex Taurionem cum parte copiarũ in Philidam miſiſſet: ipſe autem reliquo cũ exercitu Lepreon ueniens iam non longe abeſſet: philidas, cæteriq;, qui cum eo erant, nuncio eius rei accepto, animis cecidere. Lepreatæ è contrario audaciores facti, rem dignam memoria peregerunt. quippe mille Elienſibus in urbe exiſtentibus, Aetolis item mille quingentis, mercenarijs Lacedæmonijs CC, præterea his arcem obtinentibus, tanta tamen animi magnitudine fuere: ut minime deſerendam in tam aſpera rerum conditione patriæ ſalutẽ exiſtimauerint. Cum igitur Philidas animaduerteret Lepreatas forti animo incœptum proſequentes: & iam appropinquãtes urbi Macedonas intueretur: nulla amplius ſalutis ſpe relicta, cum Elienſibus, & Lacedæmonijs arripuit fugam. Lacedæmonij quidem facto per Meſſenen itinere domum redierunt. Aetoli uero cum duce Philida Samnicum uerſus profecti. Lepreatæ ciuitate in poteſtatem accepta, legatos ad regem de conditionibus tradendæ urbis miſerunt. Quibus auditis, rex exercitus ſui partem Lepreon miſit. ipſe cum ſcutatis, & leuioris armaturæ militibus aliquandiu Philidam perſecutus, impedimentis omnibus potitus eſt.

philidas ſe intra caſtellum recepit. Hoc in loco rex ca-ſtrametatus, aduocatis Lepreo cæteris copijs, obſiden-dæ urbis conſilium ſimulat. Quare perterriti Aeto-li, atq; Elienſes, ut qui nullum ad obſidionem reme-dium, præter manus habebant: agere cum rege de ſa-lute cœperunt. A quo accepta fide, inde profecti Elim abiere. rex Samico è ueſtigio potitus eſt. Poſt hæc alijs quoque ad eum ſuppliciter uenientibus, Phrixan acce-pit, Tylangion, Epion, Bolacas, Pyrgon, Epicalion. Quibus rebus peractis, Lepreon remeauit: uniuer-ſa Triphalia intra ſex dierum ſpatium ditioni ſuæ ſubiecta. Hic Lepreatas pro tempore hortatus, ac ſuf-ficienti præſidio in arce collocato, Heream exercitum duxit: Ladico Acarnane duce in Triphalia relicto. Cum autem ad eam urbem perueniſſet: prædam omnẽ inter milites diſtribuit: poſtea accepto inde commeatu iter media hyeme Megalopolim tenuit. Quo tem-pore Philippus in Triphalia uerſabatur: Chilon La-cedæmonius regnum ciuitatis ad ſe ſpectare exiſti-mans, & inſolentiam magiſtratuum in eligendo Ly-curgo grauiter ferens, nouarum rerum conſilium agi-tare animo cœpit. Ratus autem facillime ſe multitu-dinis beneuolentiam adepturum, ſi Cleomenem ſecu-tus, diuiſionis agrorum denuo faciendæ ſpem inijce-ret: ſe ad id peragendum accinxit. Communicato cum quibuſdam amicis conſilio, participes eius rei ducentos accepit. Verum cum animaduerteret, maximum ſibi ad exequendam intentionem ſuam impedimentum afferre Lycurgum, & magiſtratus, per quos rex fue-rat creatus: huic primum rei prouidendum exiſtima-

uit. Magiſtratus igitur, cum forte omnes cœnarent: ex improuiſo aggreſſus, crudeliſſime interfecit: fortuna illis dignam rebus à ſe patratis pœnam ſubminiſtrante. Etenim à quo, & cuius rei gratia hoc ſunt paſſi: merito quis illos dicet perpeſſos eſſe. Chilon hoc facinore patrato confeſtim ſe ad Lycurgi domum contulit: & q̄q̄ ille domi erat: fieri tamen eius compos non potuit. nam per domeſticos quoſdam, & uicinos clàm abductus occultis, ac penè inuijs locis Pellenē migrauit. Chilon tanta rei opportunitate fruſtratus, rem grauiter & acerbe ferens, quod conſequens erat, facere coactus eſt. profectus enim in forum inimicis omnibus manus iniecit. amicos, ac familiares hortatus eſt: reliquos in ſpē nouarum rerum inducere conatus. Nemine autem id factum probante, ſed potius irritatis in ſe ciuium animis timens quod futurum erat, clàm ex urbe abijt: ſolusq́; in Achæiam exul, ac patrio ſolo eiectus peruenit. Lacedæmonij, cognito Philippi regis aduentu, omnia, quæ diſperſa per prouinciam erant: in oppida reduxerunt. Oppida ipſa præſidijs, ac reliquis neceſſarijs rebus muniuere: Athenæo Megalopolitanorum, quia peropportunus locus hoſtibus uidebatur: funditus diruto. Philippus Megalopoli cum exercitu profectus, Argos per Tegeatinum agrum contendit: & in ea urbe reſiduum hyemis commoratus eſt: cum reliquæ uitæ genere, tum maxime rebus in hac expeditione ſupra ætatis fidem geſtis maximum apud omnes nomen conſecutus. Apelles nequaquam iuſſu regis à propoſito retractus, agere paulatim ſub iugum Achæos nitebatur. Ad quam rem perficiendam cum obſtare Aratum, ac cæteros, qui cum eo

erant, animaduerteret: regemq; his, & præſertim ſeniori plurimum tribuere: qͥ plurimum apud Achæos authoritatis haberet: uirtuteq; & prudentia præſtaret: hos primum aggredi iniurijs cœpit. Scrutatus quinam diuerſæ Arato factionis in Achæia forent: ſingulos quoq; uocari ad ſe iuſſit. Hos benigne atq; humaniter amplexus, ſuadendo atq; hortando ad amicitiam ſuam prouocabat. deinde ſingulos regi commendans, oſtendebat eũ, ſi Arati partes foueret: ſecundum ſcriptum ſocietatis fœdus Achæis uſurum: ſi uero conſilio ſuo uſus illos in amicitiam reciperet: de omnibus Peloponneſijs ſuo arbitrio diſpoſiturum. Ad hæc, cum comitiorum tempus appropinquaret: de eligendo ex hac factione duce cogitabat. Quamobrē hortari regem cœpit: ut ad cõmune Achæorum concilium Egium proficiſceretur, ueluti inde in elienſem agrum iter facturus. Quibus uerbis perſuaſus rex, conſtituto tẽpore Egij affuit: et partim ꝑ ſeipſum hortando, partim ꝑ ſuos deterrendo, uix tandem uoti cõpos euaſit. Itaque dux electus eſt Eperatus. Timoxenus uero, quem Aratus nominauerat: repulſam habuit. Poſt hæc Philippus motis Egio caſtris, factoq; per Patras, et Dynen itinere, contulit ſe ad caſtellum, quod Murum incolæ uocant: in Dymenſium agro ſitum, & non multo ante tempore, ut ſupra memorauimus, ab Euripide captum. Quod dum cupide reddere Dymenſibus feſtinat: inſtructo, paratoq; exercitu aggreſſus, uſqueadeo præſidium Elienſium terruit: ut confeſtim ſeq;, & caſtellum dediderint: haud magnum qͩem ſitu, ſed et natura loci, & mœnibus munitiſſimum. quippe minorem quam quatuor ſtadiorum circuitum continet: mœnia uero in

altum plus XXX ulnis eriguntur. Hoc mox Dymenſibus reſtituto Philippus, per prouinciam prædabundus diſcurrit. Qua paſſim ferro igniq; deuaſtata, omni genere prædæ onuſtus Dymen remeauit. Appelles aſſecutum ſe propoſiti partem exiſtimans, quod dux ex ſententia ſua fuerat electus: rurſus ſe ad Aratum uertit: cupiens regis animum ab illo prorſus alienum facere. Orſus autem eſt calumniã ex cauſis, quas dicemus. Amphidamus Elienſium dux in uilla, quam Thalamum uocant: ſicuti ſupra memorauimus: captus ſimul, atque in Olympiam cum reliquis captiuis miſſus peruenit. tentare per quoſdam regis colloquium cœpit. Ad quem cum delatus fuiſſet: poſſe ſe inquit Elienſes in amicitiam, ac ſocietatem eius aſciſcere. Quibus uerbis perſuaſus rex ſine mercede Amphidamum dimiſit, iuſſum nunciare Elienſibus: ſi inire ſecum ſocietatem uellent: omnis ſe captiuos gratis dimiſſurum: prouinciam ab omni periculo tutam ſeruaturum: permiſſurum præterea, ut in libertate uiuerent: nullum præſidium apud eos poſiturum: nullum tributum exacturum: poteſtatem conducendi mercenarios, cum res ſuæ ferrent, illis permiſſurum. Ea cum audiuiſſent Elienſes: quanquam magna, atq; utilia offerebantur: conditionem tamen renuerunt. Ex quo Appelles ſumpta occaſione calumniæ ad Philippũ profectus, Aratum inquit, cæterosq; eiuſdẽ factionis Achæos ueram amicitiam cũ Macedonibus nequaquam ſeruare: nec in uera ſocietate cum eo permanere. ſiquidem hos fuiſſe cauſam, ne Elienſes oblatam ſibi ſocietatis conditionem acciperent. nam quo tempore Amphidamum ex urbe Olympia olim miſerat:

priuatim hominem allocutos ſuaſiſſe: nequaquam expedire Peloponneſijs, ut Philippus Elienſium dominus fieret. ob eam cauſam Elienſes ſpretis conditionibus pacis, amicitiam cum Aetolis ſeruare: bellumq; Macedonum pati. His auditis Philippus, accerſiri Aratum cũ Achæis iubet: & in eorum conſpectu Appellem eadem omnia referre. Qui cum ad præſentiã regis ueniſſent: Appelles ea omnia audacter, atq; intrepide locutus eſt. ac poſtremo rege adhuc tacente, talia quædam ſubiunxit. Quandoquidem uos ita ingratos rex O Arate, ac fraudulentos reperit: ſtatuit conuocatis Achæis, & ratione facti expoſita, in Macedoniam reuerti. Ad hæc Aratus ſenior, debere inquit regem nemini quicquam temere credere. ſed, cum aduerſus ſocios, atque amicos aliquid narratur: rem omnem prius diſcurrere, quàm calumniæ fidem adhibeat. hoc enim regum eſſe: & in omni genere rerum utile. Quamobrem in præſentiarum in hac calumnia Appellis uocandos eſſe, qui rem audiuerunt: ipſum Appellem unà introducendum: nihil deniq; omittendum, quod ad inueſtigandam ueritatem pertineat: antequam conuocatis Achæis rem illis detegat. Quæ dicta cum regi placuiſſent: & ſe reſpondiſſet diligenter rem ueſtigaturum: in præſentia quidem abierunt. Paucis uero interiectis diebus, cum Appelles nullam rerum à ſe dictarum probationem feciſſet: fortuna optimum innocentiæ teſtimonium Arato subministrauit. Etenim Elienſes, quo tempore Philippus prouinciam deuaſtabat: Amphidamum ſuſpectum habentes, capere eum decreuerant: ligatumq; Aetoliam mittere. quod ſentiens Amphidamus fuga clàm facta,

primo Olympiam uenit: deinde factus certior, Philippum Dyme ad diſpenſandam prædam commorari: ſumma celeritate ad eum profectus eſt. Aratus, cum primum nunciatum eſt, eiectum patrio ſolo Amphidamum adeſſe: lætitia affectus, ut qui à ſe ſciebat nihil aduerſus Macedonas commiſſum: regem adit: & ut Amphidamũ uocet, precatur. hunc enim optime reddere rationem poſſe de iјs, quæ ſibi aſcribebantur: ut poté cui hæc fuiſſent dicta. Præterea hunc uera facile elocuturum: cum Philippi gratia exul, atq; extorris patria ſit: omnemq́; in eo ſpem repoſitam habeat. Quibus uerbis motus rex, cum Amphidamum ad ſe uocaſſet: inuenit Aratum falſò ab Apelle calumniatum fuiſſe. quapropter hunc poſt eum diem in maiori ſemper exiſtimatione, & gratia habuit: Apellis uero factum tulit moleſtiſſime: ſed propter ſummam uiri authoritatem hoc, ut alia pleraq;, pati æquo animo cogebatur. Apelles nequaquam ob hanc cauſam mutato conſilio, Taurionem, qui peloponneſiacis rebus præfectus fuerat, magiſtratum ſub laudis ſpecie id
* conſecutus. hunc enim dicebat aptiſſimum eſſe: qui cum rege in caſtris uerſaretur: uolens ipſe alium illius loco Peloponneſijs præficere. nouus quippe modus calumniæ inuentus eſt, non uituperando, ſed laudando, famæ ac commodis hominum inſidiari. Quod uitium in aulis principum ortum uſqueadeo inoleuit: ut ea loca tanquã proprias quaſdam ſedes ſibi uideatur elegiſſe. Similiter Alexandrum, cui cura regij corporis mandata fuerat: remouere ab eius officio nitebatur: uolens cuſtodiam corporis regij ipſe habere: ac omnem deniq; ordinem à Philippo relictum peruertere. Siquidem Antigonus optime,
dum uixit,

dum uixit, de filio & de regno meritus, optime et mo riens futuris rebus prouidit. etenim reliquit teſtamentum: in quo Macedonibus iuſſit, quid quiſq; facere, cuius rei habere curam deberet: ſtudens omnis cauſas ambitionis, ac diſcordiæ, quæ in eius aula oriri potuiſſent: è medio tollere. Ex his igitur, qui ſecum militabant: Appellem filij tutorem conſtituit: Leontium ſcutatis militibus præpoſuit: Mægaleam ſcribis præfecit: Taurioni Peloponneſiorum, Alexandro regij corporis curam reliqt. Leontiũ quidem, et Megaleam prorſus iam ſub ſe Appelles habebat. Alexandrum uero, & Taurionem mouere locis ſuis conſtituerat: quo per ſe, & ſuos amicos adminiſtrarentur. quod profecto facillime perfeciſſet: niſi ab Arato fuiſſet impeditus. nunc autem imprudentiæ, & cupiditatis ſuæ pœnas luit. nam quod in alios patrare totis uiribus nitebatur: id ipſe ab illis breui poſt tempore paſſus eſt. Quæ res quomodo acciderit, dicere in præſentia ſuperſedebimus, finem huic libro imponentes. in ſequentibus uero ſingula ſuis locis conabimur referre. Philippus geſtis, quas ſupra memorauimus, rebus, Argos uenit. ubi ipſe cum amicis, quod ſuperfuit hyemis, commoratus eſt: copias uero in Macedoniam remiſit.

POLYBII HISTORIARVM LIBER QVINTVS, NICOLAO PEROTTO INTERPRETE.

a NNVS IMPERII Arati circa ortum pliadis perfectus eſt: ita enim tempora Achæi dimetiuntur. Quamobrem hic quidem dimiſit, Epyratus uero ſuſcepit imperiũ. dux Aetolorum erat Dorimachus. Eodem tempore, ineunte iam æſtate, Annibal exardeſcẽte iam inter Romanos, & Carthaginenſes bello copias è noua Carthagine deduxerat: & traiecto Ibero feſtinabat in Italiam tranſire. Romani Titum Sempronium cum exercitu in Africam, P. Cornelium in Hiſpaniam mittebant. Antiochus, & Ptolemæus ſyriacum bellum incœperant. Philippus rex, cum ſumma egeſtate commeatus & pecuniarum eius exercitus premeretur: uocari Achæos ad concilium per magiſtratus iuſſit. Poſtquam multitudo omnis ſecundum patriæ ritum Egium conuenerat: uidẽs rex Aratum ob iniuriam, quam in comitijs paſſus ab Appelle fuerat: grauiter eſſe afflictum: Eperatum uero hominem natura ignauum, ac deſidioſum contemni ab omnibus, ac ludibrio haberi: intellecta ex hoc imprudentia Appellis, & Leontij, inclinare rurſus ad Aratum animum cœpit. Perſuaſis igitur magiſtratibus ut Sicyonem concilium transferrent: ſeniorem, ac iuniorem Aratum humaniter allocutus, ac culpam omnem factorum in Appellem refundens, hortatus eſt eos: ut in ea,

qua primo erant, uoluntate permanerēt. Quibus aſſentientibus, confeſtim ingreſſus concilium, cum prædictorum fauore quæcunq; ad res præſentes neceſſaria uidebantur: peregit. ſiquidē decretum eſt ab Achæis: ut mox quinquaginta talenta, hoc eſt trium menſium militibus ſtipendium regi perſoluerentur: modij frumenti ad decem millia: poſt hac uero quandiu in Peloponneſo Philippus cum exercitu moraretur: X & VII talenta. Quibus peractis, Achæi in ſuas quiſq; ciuitates reuerſi. Regi autem poſtquam copiæ ex hibernis redierunt: optimum factu uiſum: ſi maritimo itinere hoſtes aggrederetur. uidebat enim hoc modo ſe quidem ex improuiſo undecunque irrumpere in hoſtilem terram poſſe: hoſtes uero minime ſibi inuicem poſſe opitulari, ſimul magno ſpacio inter ſe diſtantes, ſimul nouitate naualis belli, & repentino hoſtium aduentu perterritos. cum Aetolis enim, & Lacedæmonijs, & Elienſibus bellum eodem tempore gerebat. Cum igitur in hanc ſententiam inclinaſſet animum: naues Achæorum, & ſuas in Lechæo Corinthiorum portu congregabat: iubens, ut interea temporis remigio milites exercerentur. Enimuero Achæi & in terreſtribus prælijs, cum inſtructa acie dimicant: præſtantiſſimi ſunt: & in bellis naualibus ad repentina certamina paratiſſimi: præterea uallis, ac foſſis faciendis nemini ſecundi, nullum in his rebus laborem formidantes: ac denique tales: quales Heſiodus Aeacidas introducit bello potius, quàm conuiuio gaudentes. Rex itaque cum Macedonibus Corinthi morabatur, in apparatu rei naualis occupatus. Apelles cum neque mutare regis animum poſſet: impa=

tiensq; ſuperioris foret:coniurationem cum Leontio,& Megalia facit:ut hi duo præſentes,cum temporis opportunitatem nacti forent:conſilia,& progreſſus regios impedirent:ipſe Caladem profectus,undiq; regio exercitui commeatum intercluderet. Quibus ordinatis, extemplo Chaladem proficiſcitur.ubi adeo conſtanter iuramentum ſeruauit:ut tandem coegerit regem propter inopiã rerum neceſſariarum uaſa argentea,& reliquam ſupellectilem pignori deponere.Congregata autem claſſe,et Macedonibus remigio inſtructis,Philippus frumento ſtipendioq; militibus dato,Corintho ſoluit: ac tertio poſt die Patras appulit,habens Macedonum ſex millia,mercenarios mil.& CC. Sub idem tempus Dorimachus Aetolorum dux Agelaum,& Scopam Elienſibus miſit cum nouis Cretenſibus quingentis.Elienſes ueriti,ne ad obſidionem Cyllenes Philippus ueniret:conducendis mercenarijs militibus,& nouo urbanorum delectui habendo operã dabant.Cyllenem ipſam ſummo ſtudio muniebant. Quibus cognitis Philippus mercenarios Achæorum,& Cretenſes,quos ſecum habebat:præterea gallorum equitum aliquos,& delectorum ex Achæia circiter duo millia peditum Dyme reliquit:ut eum locum tutum à conatu Elienſium ſeruaret.ipſe, cum pauloante Meſſenijs,& Epyrotis ſcripſiſſet,item Acarnanibus,et Scerdilaidæ:ut ſinguli cum nauibus ſuis ſibi in Cephalenia occurrerent:patris profectus,in Cephaleniam ad caſtellum Pronnos nauigauit.Hic cum et caſtellũ ipſum obſidionis impatiens,& regionis anguſtias animaduertiſſet:cum claſſe progreſſus,Paleam appulit.uidensq; eã regionem refertam frumento,& ad nutriendum exer=

citum opportuniſſimam, demiſſis in terram copijs, circa urbis mœnia caſtrametatus eſt. naues in terram ſubduxit: ualloq́;, & foſſa circũdedit. Macedones frumentatum dimiſit. ipſe circum urbem profectus, de erigendis machinis, parandisq́; rebus ad expugnationem loci neceſſarijs cogitabat: uolens ſimul & præſtolari aduentum ſociorum: & urbem hanc ditionis ſuæ facere: tum ut præcipua commoditas, quam è mari habebant: Aetolis eriperetur: (ſiquidem Cephaleniorum nauigijs noctis tempore in Peloponneſum nauigabant: & Epyrotarum, & Acarnanenſiũ littus depopulabantur) tum ut hanc urbem ueluti quoddam receptaculum aduerſus hoſtilem terram ſocijs pararet. Cephalenia enim in littore Corinthiaci ſinus poſita Siculum aſpicit pelagus: imminetq́; ijs partibus Peloponneſi, quæ ad Septentrionem, & Occidentem uergunt: & præſertim Elienſium prouinciæ: Epyri uero & Aetoliæ, & Acarnaniæ, ijs partibus, quæ ad Meridiem, & Orientem ſpectant. Ob quam rem cum hic locus & ad congregationem ſociorum eſſet commodiſſimus: & ad offendendas hoſtiũ ciuitates, ac ſociorum tuendas peropportune poſitus: omni ſtudio ſubijcere ditioni ſuæ inſulam decreuit. cum autem animaduertiſſet, omnis alias partes ciuitatis partim mari, partim præcipitijs eſſe circũdatas: breuem uero quendam locum, qui Zacynthum aſpicit: planum eſſe: hic erigere machinas decreuit: omniáq; ad obſidionem neceſſaria parare. Philippus itaq; in huiuſmodi rebus uerſabatur. Interea XV lembi à Scerdilaida uenerunt. plures enim miſſurum ſe in præſentia negauit, ob recentes quaſdam ſeditiones nuper in Illyrio ortas.

Venit & ab Epyrotis, & Acarnanibus, & Meſſenijs, uti ſtatutum fuerat, ſupplementum ſociorum. Rex, paratis rebus ad obſidionem neceſſarijs, & telis ac baliſtis opportunis locis diſpoſitis, milites pro tempore hortatus, machinas urbi admouet. per quas factis cuniculis, è ueſtigio non parua pars muri fracta: & adhibitis trabibus ſuſtentata eſt. tanta eſt Macedonum in huiuſmodi rebus experientia. Philippus ad mœnia propius accedens, hortari ad pacem obſeſſos cœpit. Quibus conditionem reſpuentibus, repente iniecto igni omnem eam partem muri funditus euertit. Quo facto primos immittit ſcutatos, qui ſub Leontio erant: iuſſos, ut per eum locum facto impetu in urbem irruant. Leontius memor coniurationis, & opportunitatem peragendæ rei obſeruans, tres iuuenes de ſuis, qui cæteros in ingreſſu urbis præcedebant: admonuit: ut urbis captiuitatem impedirent, partim priuatos duces corrumpentes, partim ipſi ueluti ex formidine ignauiter ſe habentes. Ita tandem ex urbe turpiter eiecti ſunt: multis uulneribus acceptis: q̃q̃ facillime conſequi uictoriam potuiſſent. Rex & formidinem ducum, & ſauciorum multitudinem conſpicatus, obſidionem diſſoluit. Poſthæc uocatis ad ſe amicis, quid in poſterum agendum foret, conſulebat. Interea Lycurgus Meſſenem cum exercitu uenit. Dorimachus medietatem Aetolorum habens, in Theſſaliam copias deduxit. Quibus de rebus legati ad regem ab Acarnanibus, & à Meſſenijs uenère: ab Acarnanibus quidem precantes, ut in Aetolorum terram exercitum duceret: quo & Dorimachum accepto itinere reuocaret: & omnem hoſtilem agrum depopularetur, atq; ua

ſtaret: à Meſſenijs uero præſidium petentes, & ſimul docentes, flante tunc borea, unius diei iter è Cephalenia Meſſenem eſſe. Quamobrem Gorgon Meſſenius repentinam, atq; ob id ſumme utilem fore profectionem dicebat. Leontius nequaquam immemor coniurationis factæ, Gorgoni aſſentiebatur: manifeſte uidens per hunc modum futurum, ut toto ueris tempore nil à Philippo fieret. ſiquidem tranſitus Meſſenem q̃facillimus erat: digreſſio uero ab ea urbe, adhuc durãtibus uentis, omnino impoſſibilis. ex quo manifeſtum fiebat: Philippum, ſi eò cum exercitu transfretaret: reliquam ueris partem ocioſum futurum: Aetolos uero interea Theſſaliam, atq; Epirum pagrantes, omnia ferro igniq; uaſtaturos. Hic ergo hæc, & alia huiuſmodi conſulebant. Aratus uero ſententiæ erat planè diuerſæ. quippe in Aetoliam nauigandum eſſe exiſtimabat: & illis primum rebus incumbendum. nam cum Aetoli in expeditionem cum Dorimacho eſſent profecti: optimum eſſe tempus rebatur ad populandã, deuaſtandamq; prouinciã. Rex partim nihil iam Leontio credẽs ob rẽ male in ſuperiori obſidione geſtam, partim Arati prudentiã expertus, huius ſequi conſilium decreuit. Quamobrẽ Epato Achæorum duci ſcripſit: ut ſubitarijs legionibus paratis, Meſſenijs ſuppetias ferret. ipſe è Cephalenia profectus, pendie nocttu Leucadem cum claſſe appulit. inde iter tenuit per Ambracium ſinum: q, ut ſupra diximus, è Siculo mari defluens in mediterraneã Aetoliæ partẽ extẽditur. Cum autẽ ad paludes appuliſſet: paululũ ibi ante lucẽ cõmoratus, refici cibo milites, & depoſitis ſarcinis expeditos impoſterũ eſſe iuſſit. ipſe conuocatis ducibus uiarum,

de locis, ac ciuitatibus, quæcunq; neceſſaria erant, ſcrutatus eſt. Sub idem tempus Ariſtophantus cum multitudine Acarnânum uenit. quippe Acarnânes multa, ac difficilia ſuperioribus temporibus ab Aetolis perpeſſi, ulciſci iniurias ſuas cupiebant. Quamobrem libenter ſuſceptis hoc tempore Macedonibus, armati conuenere, non ſolum quibus lex iubebat: uerumetiam ſeniorum pleriq;. Nec minori ſtudio ad hoc ipſum moliēdum erant Epirotæ, ob ſimiles cauſas: ſed propter magnitudinem prouinciæ, & repentinum Philippi aduentum mouere ſe in tempore nequiuerant. Aetolorum media partem, ut ſupra diximus, Dorimachus habebat: reliquos in prouincia dimiſerat: ut ſiquid noui accideret, præſto eſſent. Rex relicto ad cuſtodiam impedimentorum ſufficienti præſidio, à palude poſt Meridiem profectus, progreſſusq; ad LX ſtadia, caſtra ponit. Vbi cum aliquantulum conſtitiſſet: refectis cœna militum corporibus, iter proſequitur: continuatoq; per noctem labore ante diluculum ad flumen Acheloum uenit, inter Cenopem, & Straton, ſtudens repentino atq; improuiſo itinere Thermum aduenire. Leontius, & Megalias duabus rationibus præuidebant regem uoticompotem futurū: Aetolos uero peiores partes habituros: una: quod repentinus foret & omni ſpe celerior Macedonum aduentus: altera: ꝙ Aetoli minime unquam exiſtimantes Philippum per loca adeo aſpera ac difficilia iter facturum, improuidi, atq; imparati manebant. Quamobrem hæc animo agitantes, & memores coniurationis factæ, Philippum hortabantur: ut poſitis iuxta Acheloum caſtris, exercitum à nocturno labore reficeret:

futurum hoc modo putantes, ut interea Aetoli ſpatium aduocandi auxilia haberent. At Aratus id tempus opportuniſſimum eſſe ad exequendum conſilium regis exiſtimans, Leontium uero, & Megaleam fraudulenter progreſſus regios impedire, Philippum obteſtatur, ne tantam temporis opportunitatem amittat. A quo perſuaſus rex, & iam Leontium, ac Megaliam ſtomachari incipiens, iter proſequitur: & Acheloo flumine traiecto, Thermum uerſus exercitum ducit, ferro igniq; interueniendum prouinciam deuaſtans. A ſiniſtra quidem urbes relinquit, Straton, Agrinium, Theſtiam: a dextra uero Conopem, Lyſimachiam, Trichonium, Phyteum. Cum ad urbem ueniſſet, nomine Methapam: quæ eſt inter Trichonium, & paludem: diſtatq; a Thermo circiter LX ſtadia: uerſis repente in fugam Aetolis, locum occupat: & CCCCC militum præſidium intus ponit: ut hac urbe ueluti quodã receptaculo in adeũdis, atq; egrediẽdis anguſtijs uti poſſet. eſt enim oĩs circa paludẽ locus montuoſus, atq; difficilis & denſiſſimis ſyluis undiq; circundatus. quamobrẽ & uiam habet aſperam, ac pene inuiam. Poſthæc mercenarios in fronte collocat: poſtea Illyrios: deinde ſcutatos ac legionarios milites ſecum accipiens, per anguſtias procedit: ſequentibus a tergo Cretenſibus, & a dextra Thracibus, præſidij gratia collocatis. nam a ſiniſtra tutos palus faciebat fere per ſpatium XXX ſtadiorum. Superatis breui tempore anguſtijs, adhuc magna nocte Thermum uenit. ubi caſtris poſitis, copiam ſuis fecit graſſandi in habitatores, ac per omnem agrum diſcurrendi, & domos in ipſo Thermo diripiendi refertas non ſolum frumento,

& omni genere commeatus, uerumetiam preciosiſſima Aetolorum ſupellectile. nam quia ſingulis quibuſq; annis Aetoli nundinas, & feſta, & comitia in hoc loco celebrabant: unuſquiſq; ad huiuſmodi apparatum preciosiores res ſuas deferebat: tum etiam quia eum locum præter cæteros tutiſſimum arbitrabantur: quippe quem nemo unquam ingredi fuiſſet auſus: & natura talis erat: ut quaſi quædam arx totius Aetoliæ uideretur. Quamobrem ex longa pace ac quiete plenæ erant bonorum omnium non ſolum propinquæ templo domus: uerumetiam circunſtantes omnes loci. Per eam igitur noctem omni genere prædæ referti ibi quietem egerunt. ſequenti die preciosiſſima quæq; bona eligentes aſportauere: reliqua igni impoſuerunt. Simili modo ex armis, quæ è porticibus pendebant: optima quæq; ſuſtulerunt: nonnulla permutauere: reliqua incendio conſumpſerunt. erant autem ultra quindecim millia. Et hucuſq; quidem omnia ſecundum leges belli iuſte, integreq; ſunt geſta. quæ uero ſequuntur: quomodo dici oporteat, neſcio. Memores enim eorum, quæ Aetoli in templo Iouis Dodonæi geſſerant: porticus omnes demoliti ſunt: ornamenta, quæ maximo ſtudio, atq; impenſa adhibita fuerant: deiecerunt: neq; ſolum ſuperiorem partem incendio concremarunt: uerumetiam mœnia ipſa funditus eruêre. euerterunt ſtatuas numero ultra duo millia: quamplurimas etiam fregerunt: ab his duntaxat abſtinentes, quæ uel figuras, uel inſcriptiones deorum habebant. Quæ quibuſdam recte, meritoq; Philippus, & cæteri facere uidebantur. ego autem contra exiſtimo. quod an recte ſentiam: facile eſt unicuiq;

conſiderare: non procul ab alterius generis, ſed ab eiuſdem familiæ regibus repetitis exemplis. Antigonus, cum bello Cleomonem Lacedæmoniorum regem fugaſſet: Spartæ dominium conſecutus, tantum abfuit ut quicquam ſæuius in populum committeret: ut non moderatus ſolum: uerumetiam mitis aduerſus hoſtes fuerit: reſtitutaq; Lacedæmonijs patriæ libertate, ac multis beneficijs & publice, & priuatim impenſis, domum redierit. Ex quo non ſolum in præſens tempus beneficijs: uerumetiam poſt mortem ſaluator appellatus eſt: nec apud Lacedæmonios tantum, ſed apud omnes nationes immortalem laudem, ac gloriam conſecutus. Atqui Philippus, qui primus Macedoniæ regnum auxit: nomenq; familiæ ſuæ longe lateq; propagauit: cum prælio Athenienſes in Cheronia uiciſſet: non tantum armis, quantum dexteritate morum, & quadam naturæ benignitate conſecutus eſt. armis enim eos tantummodo ſuperauit: qui ſibi in prælio obſtiterunt: manſuetudine uero, atque clementia omnes Athenienſes, atque adeo ciuitatem ipſam ſui iuris fecit: non ira, aut indignatione aliqua proſecutus uictos: ſed tamdiu cum hoſte dimicans, quoad oblata ei occaſio foret oſtendendæ benignitatis, ac uirtutis ſuæ. enimuero Athenienſibus, quos paſſus fuerat infeſtiſſimos: & captiuos gratis remiſit: & bello conſumptorum corpora ſepulturæ tradidit: reliquiasq; funerum, ut ad ſepulchra maiorum deferrent, ultro hortatus eſt. poſthæc Alexandrum filium cum amico Antipatro, qui pacem cum ijs, amicitiamq; iungeret: Athenas miſit. ex quo conſecutus eſt:

ut elati Athenienſium animi magnanimitate eius uicti ſibi in poſterum obſequentiſſimi fuerint, ſemperq; ad
* omnia regis iuſſa promptiſſimi. Quid Ale. Huius ira adeo in The. incruduerat: ut habitatores omnes in ſeruitutem adegerit: urbem funditus euerterit: principes ciuitatis alios in ſeruitutem, alios in exilium redegerit: bona omnium occuparit: non tamen uſqueadeo indignatio eius proceſſit: ut quicquam in templa deorum immortalium committeretur: quin omnem curam, ſtudiumq; adhibuit: ne qui uel inuiti aliquomodo fana uiolarent. Idem cum in Aſiam tranſiſſet: ut Perſas male de Græcis meritos ulciſceretur: de hominibus quidem dignas rebus ab iis patratis pœnas ſumpſit: à templis uero deorum prorſus abſtinuit: quanquam Perſæ circa hãc partem maxime in Græcia deliquerant. Hæc tunc conſiderare Philippus debebat: ne tam principatus, q̃ uitæ ac morum prædictorum regum æmulus, atq; hæres exiſtimaretur. hic uero ut Alexandri, ac Philippi affinis uideretur: ſummum per omnem uitam ſtudium, induſtriamq; adhibebat: ut uero æmulus, atq; imitator haberetur: ne minimam quidem habebat curam. Quamobrem diuerſo uitæ genere à ſupradictis regibus recedens, diuerſam de ſe apud omnes gentes opinionem relinquebat. ſicuti hoc tempore fecit. nam cum parem iniuriam referre Aetolis conaretur: ueluti malum malo curaturus, nihil ſe delinquere exiſtimabat. obiiciensq; Scopæ, & Dorimacho impietatem, qua uſi in templo Dodonæi Iouis fuerant: in eodem uerſari ſe crimine non uidebat, longe profecto à ueritate aberrans. etenim ſæuire quidem in hoſtes, & eorum caſtella, ortus, ciui-

tates, uillas, naues, fructus deuaſtare, aliáq; his ſimilia facere, per quæ hoſtium uires debilitentur, confirmentur, atq; augeantur: ſuæ unicuiq; leges, ac iura belli permittunt: ea uero deſtruere, quæ nec propriis rebus emolumenti aliquid afferunt: nec hoſtibus detrimenti: ut ſunt templa, porticus, ſtatuæ, aliáq; huiuſmodi: rabioſi hominis eſt, ac planè furentis. neque enim ad internitionem uſq; pugnare cum hoſtibus bonum uirum decet: ſed quo ad eorum, qui delinquerunt, malefacta purgata ſint, atq; correcta. quippe tyranni opus eſt, malefaciendo ſuis cum terrore inuitis imperare, in mutuo ſemper odio cum ſubditis uerſantis: regis uero contra, benefaciendo uniuerſis cum liberalitate atq; clementia ſponte ſubiectos gubernare, in mutua ſemper beneuolētia ac charitate cum ciuibus uiuentis. Magis autem errorem Philippi quis agnoſcet: ſi ante oculos poſuerit, quod de ipſo iudicium uериſimile erant habituri Aetoli: ſi contraria feciſſet: & neq; porticus, neq; ſtatuas deieciſſet: neq; ornamenta è templo ſuſtuliſſet. Equidem optimum, ac ſinceriſſimum puto: ut qui conſcij eſſent, quæ in templo Iouis Dodonæi geſſiſſent: & aperte intuerentur Philippum facere quid ē, quæ uellet, potuiſſe: etſi crudeliſſime feciſſet, merito id uideri feciſſe: tamen ob humanitatem ac magnitudinem animi noluiſſe illorum impietatem imitari: manifeſtum eſt eos errorem ſuum damnaturos fuiſſe: Philippum uero laude, atq; admiratione proſecuturos: quod regie ac magnanimiter & pietate erga deos, & ira aduerſus ſe uſus fuiſſet. enimuero benignitate atq; clementia hoſtem uincere, quàm armis præſtat. hic enim neceſſitate ut pareant homines, inducuntur: illic uoluntate: & hic q-

ſæpe iactura errata corriguntur: illic ſine aliquo detrimento emendantur delinquentes. præterea, quod maius eſt, hic magnam laudis partem commilitones ſibi uendicant: illic omnis uictoria tribuitur duci. Ex quo fit: ut non deſint fortaſſis, qui magnam partem rerum à Philippo geſtarum non illi propter ætatem tribuant: ſed ijs, qui una militabant. è quorũ numero erat Aratus, & Demetrius Pharius. de quibus non difficile eſſet affirmare, etiam ſi quis tunc non interfuiſſent: hoc, de quo loquimur: impietatis conſilium alterius illorum fuiſſe. nam præter totius uitæ inſtitutum, in qua Aratus nihil unquam temere, aut petulanter feciſſe cognoſcitur: Demetrius uero ferè omnia è contrario: multa quoq; ſunt particularia hoc ipſum indicantia: de quibus ſuo loco dicemus. Philippus (hinc enim paulo ante digreſſi ſumus) omni genere prædæ onuſtus Thermo proficiſcitur: & per eam per quam uenerat, uiam iter facit: præmiſſis impedimentis, & grauioris armaturæ militibus: Acarnanibus uero, & mercenarijs in extremo, ordine collocatis: feſtinans anguſtias loci celeriter pertranſire. ſiquidem uerebatur, ne Aetoli opportunitate locorum freti, ſuos à tergo aggrederentur: quod mox factum eſt. etenim Aetoli ferè ad tria millia in unum congregati, quandiu Philippus in altiori parte fuit: minime illi appropinquarunt: ſed in quibuſdam locis occultis Alexandro duce permanſere. ſimulac uero extremi moueri cœperunt: repente impetu facto, ultimos aggrediuntur. Orto tumultu, Aetoli magnam in opportunitate locorum ſpem habentes, audacius illos perſequebantur. Philippus, cum callide futura præuidiſſet: ſub quo-

dam colle Illyrios, & pleroſq; ſcutatorum occulte reli-
querat. Ii inſequentes Aetolos conſpicati, tanto impetu
in eos irruperunt: ut ex illis repente centum & trigin-
ta deſiderati fuerint: totidem fere capti: reliqui fœda ac
turpi fuga ſalutem quæſierint. Acarnanes, & merce-
narij, re feliciter geſta, mox Paphium incenderunt: de
inde anguſtias ſumma celeritate prætergreſſi ad Macedo
nes peruenere. Philippus iuxta Metapam caſtrameta-
tus, aduentum ſuorum expectabat. ſequenti die de-
ſtructa Metapa, caſtra mouit: peruenitq; ad urbem,
quam Atras uocant. poſtridie iter proſecutus, omnem
regionem deuaſtauit: poſitiſq; iuxta Conopem caſtris,
omnē ſequentem diem ibi permanſit. adueniente dein-
de luce, iter uerſus Stratum tenuit: traiectoq; Acheloo
caſtra per iactum ſagittæ, procul ab urbe poſuit: crebris
certaminibus alliciens oppidanos. audierat enim Stra-
ti eſſe Aetolorum peditum ad tria millia: equites fere qua
dringentos: Cretenſes circiter quingentos. Nemine au-
tem exire urbem audente, motis rurſus caſtris, pri-
mo ueluti ad paludem, & naues iter facturus con-
uertit. cum deinde extremi milites prætergredi urbem
cœpiſſent: pauci ex Aetolorum equitibus irruptione
facta, eos aggrediuntur: mox concurrente ex urbe
Cretenſium multitudine, & pleriſque Aetolorum in
equitum ſubſidium uenientibus, cum periculum Acar-
nanibus immineret: in hoſtes conuerſi, prælium col
latis uiribus capeſſunt. Diu uaria uictoria fuit. ad
extremum Illyrijs à Philippo in ſubſidium mer-
cenariorum miſſis, Aetoli uicti paſſim fugêre. ma-
gnam partem eorum regij milites uſque ad portas

urbis, & ad mœnia ſunt perſecuti: centum ex his inter ſequendum interfectis. reliqui deinceps haud exire urbem auſi. Regiæ copiæ tuto ad naues peruenere. Philippus poſitis caſtris, gratias dijs egit: ꝙ res proſpere atque ex ſententia ſucceſſiſſent. parato deinde epulo, duces omnes uocari in conuiuium iuſſit. Megaleas, & Leontius regiam felicitatem grauiter & iniquo animo ferebant: ut qui Appelli iurauerant ſe omnis regios progreſſus impedituros. tantum aũt aberat ut id efficere poſſent: ut continue omnia Philippo magis ſecundarent. Venerũt igitur ad cœnam adeo triſtes, & ſoliciti: ut facile regi, & cæteris, qui aderant: animum ſuum oſtenderent. ſoluto uero conuiuio, cum crebris poculis uterq; incaluiſſet: Aratum querentes, ad tentoria reuertebantur. quẽ cum forte in itinere offendiſſent: primo maximis conuitijs eum affecere: deinde lapidibus aggredi cœperunt. Multis autem in utriuſq; partis ſubſidium concurrentibus, ingens ſeditio in caſtris orta. Philippus, audito tubæ ſono, miſit qui rem inquirerent: tumultum'q; inter milites ſedarent. Aratus his rem omnem, uti geſta erat, exponens, & eorum, qui intererant, teſtimonium afferens, mox ad tentorium reuerſus eſt. Leontius clàm ſe è tumultu ſubtraxit. Megaleã, et Crinonem uocatos ad ſe Philippus grauiter, atq; acerbe allocutus eſt. qui cum ſuperbe regi reſpondiſſent, dicentes ſe non prius ab incœpto deſtitutos, quàm dignam mercedem Arato perſoluiſſent: indignatus rex ſubito uiginti talentis mulctatos cuſtodiri in uinculis iuſſit. poſtridie uocatum ad ſe Aratum, ut bono animo eſſet, rogauit: opportune ſe rebus omnibus prouiſurum pollicitus. Leontius, ubi nuntiatum

eſt: Megaleam

eſt: Megaleam in uinculis eſſe: armata manu ad regis tentorium uenit, ratus adhuc penè adoleſcentem regem timore perculſum è ueſtigio ſententiam mutaturũ. ubi ante regis conſpectum fuit: rogat: quiſnam Megaleæ manus inijcere præſumpſiſſet? & quis eum in uinculis poſuiſſet? rege id à ſe factum magnanimiter reſpondente, perterritus Leontius, & quaſi gemens abijt. Rex inde cũ claſſe profectus, extemplo Leucadem uenit. ubi conſtitutis, qui prædam inter milites diuiderent: ipſe conuocatis amicis, de Megalea ſententiam rogauit. Vbi Arato Leontij iniurias repetente, cladem, quam tempore Antigoni intulerat: item coniurationem, quam cum Appelle fecerat: & impedimentum, quod Paleæ præſtiterat, commemorante, & adhæc omnia teſtes adducente, cum Megaleas, & Crinon nihil, quod reſponderi poſſet, haberẽt: omnium iudicio condemnati ſunt. Et Crinon quidem in uinculis permanſit. Megaleas uero fide iuſſione Leontij dimiſſus eſt. Appellis igitur, & ſociorum conditio hæc erat: longe ſecus, quàm ſperauerant, ſuccedentibus rebus. nam qui iniecturos ſe regi formidinem putabant: & per eũ modum facile, quicquid uellent, conſecuturos: omnia planè contraria ſunt experti. Dum hæc gerebãtur: Lycurgus nulla re memorabili facta, ex agro Meſſeniorum receſſit. poſthæc rurſus Lacædæmona cum exercitu profectus, Eleam urbem cepit. cuius ciues cum in arcem omnes confugiſſent: hanc obſidione cinxit. ubi aliquandiu commoratus, cum tandem nihil ſe proficere intelligeret: rurſus Spartam reuerſus eſt. Elienſes, cum ꝑ Dimenſium agrum graſſarentur: in inſidijs diſpoſiti equites, qui ſubſidij gratia uenerant: facile in fugam uerterũt:

& Gallorum quidem non paucos interfecere: ex urbanis uero captiuos ceperunt Polymedem Egienſem, & Ageſipolem, ac Diodem Dymenſes. Dorimachus principio in expeditionem cum Aetolis tantummodo exiuerat, ratus ſe, ut ſupra memorauimus, tutò deuaſtare Theſſaliam poſſe: ac Philippum propterea Paleæ obſidionem ſoluturum. ubi uero Chryſogonum, & Patreum comperit in Theſſalia ad capeſſendum prælium paratos eſſe: nequaquam eſt auſus deſcendere in campos: ſed per ſummitates montiũ exercitum ductabat. poſtquam autem allatus eſt nuntius de Macedonum profectione in Aetoliam: motis repente è Theſſalia caſtris, in ſuorum ſubſidiũ uenit. ubi cum diſceſſiſſe iam ex Aetolia regem comperiſſet: conſilij, inops, & cœptis omnibus fruſtratus, in mœrore, ſolicitudineq; permãſit. Rex Leucade cũ claſſe profectus, uaſtando ac diripiendo maritima eius regionis loca, Corinthum deſcendit: nauibus in Lecheo relictis, copias eduxit. tum literas ad ſocias Peloponneſi ciuitates dedit: ſignificans quo die omnes armati conuenire Tegeæ deberent. Quibus ordinatis, nihil Corinthi commoratus, cum copijs abijt: factóq; per Argiuum agrũ itinere, poſtridie q̃ diſceſſerat, Thegeã uenit. ubi acceptis, q eò conuenerant Achæis, iter proſecutus, clàm ꝑ montes procedebat: ſtudens ſpartanum agrũ prius ingredi, q̃ quicq̃ Lacedæmonij ſentirent. Cum per deſerta quatridui iter feciſſet: in oppoſitos urbi colles peruenit. ideq; Menelaium ad dextram habens, ad ipſas Amyclas contendebat. Lacedæmonij ex urbe tranſitum copiarum conſpicati, magnitudinem rei admirantes, ac ſubito terrore correpti ancipites conſilij erant. Adhuc enim ſtupefacti

manebant ob ea, quæ pauloante à Philippo in Thermo, & per totam Aetoliam geſta nunciabantur: & neſcio quis rumor apud eos increuerat: Lycurgum in Aetolorum ſubſidium mitti. de aduentu uero eius in Spartanum agrum adeo celeri ac repentino nemo adhuc quicquam cogitarat: præſertim ætate eius adhuc neſcio quid contemptibile habente. Quaproter rebus ita præter opinionem ſuccedentibus, merito omnes dubitabant. etenim Philippus audacius ac callidius, quàm ætas eius ferebat, in rebus bellicis ſe gerens, uniuerſis hoſtibus terrorem incutiebat. quippe è media, uti ſupra diximus, Aetolia profectus, una nocte Ambraciũ ſinum traiecit: ac Leucadem uenit. Hic biduo commoratus, ac tertio inde die ſub auroram profectus, poſt biduum deuaſtata Aetoliæ maritima parte, Corinthum appulit. poſthæc continuato itinere die nono peruenit ad colles Spartæ imminentes, iuxta Menelaiũ: ut uix id cernentes crederẽt. Lacedæmonij igitur magnitudine ac nouitate rerum perterriti, conſilij atq; auxilij inopes erant. Philippus primo die caſtra iuxta Amyclas poſuit. Hic locus eſt ĩ agro ſpartano, omni arborum ac frugum genere refertiſſimus: diſtatq; à Lacedæmone ad uiginti ſtadia: ubi eſt Apollinis templum inter cætera eius prouinciæ templa opere diuitijſq; præcipuum, ſitum in ea urbis parte, quæ aſpicit mare. Poſtridie omnem prouinciam depopulatus, ad Pyrrhi caſtrum tendit. ubi biduo commoratus, ſequenti die peragratis propinqs locis, ac ferro igniq; deuaſtatis, iuxta Carnium caſtrametatus eſt. unde mox profectus iuit Aſſinem. quem locum cum fruſtra aliquot certaminibus tentaſſet: obſidionem diſſoluit.

ac reliquũ iam recta uia progreſſus prouinciam omnẽ uſque ad Tenarum deuaſtauit. Hic rurſus conuerſo itinere greſſum uerſus nauale Lacedæmoniorum tenuit: quod Gythium appellatur: habetq; portum tutiſſimum: et ab urbe diſtat circiter triginta ſtadia. Hoc ad dextram relicto, iuxta Eleam caſtrametatus eſt. quæ eſt, ſiquis ſeparatim conſideret: maxima atq; optima pars ſpartani agri. hinc dimiſſis prædatoribus, regionem omnem ferro igniq; uaſtauit. Meſſenij acceptis à Philippo literis, ſtudio quidem haud inferiores cæteris ſocijs fuere. quin confeſtim delectu urbanorum habito, aptiſſimos quoſq; ad regem miſerunt: pedites circiter duo millia, equites ducentos. uerum lõginquitas itineris fecit, ut Tegeam, poſtquam rex inde diſceſſerat, peruenerint. quamobrẽ principio quid agerent ancipites, ueritiq; ne de induſtria tardiores fuiſſe uiderentur: ob ſuſpitiones ab initio de ſe habitas, irrumpere tandem in ſpartanum agrum decreuere: ut mox cum regijs copijs ſeſe coniungerent. Cum ad Clympes caſtellum appropinquaſſent: quod eſt iuxta Arguorum, ac Lacedæmoniorum montes ſitum: ſtulte, ac negligenter caſtra in eo loco poſuere. nam nec foſſa, nec uallo circundederunt: neq; locum ad id aptum elegere: ſed incolarum beneuolentia freti, temere ſe iuta mœnia collocarunt. Lycurgus, nuntiato Meſſeniorum aduentu, mercenarios ſecum, & partem Lacedæmoniorum accipiens, aduerſus hoſtem procedit. cumq; ad eum locum diluculo perueniſſet: inſtructa acie in Meſſenios fertur. Meſſenij ſimulatq; apparentes hoſtes conſpexere: relictis omnibus, præcipiti fuga ſe in caſtellum receperunt. Lycurgus equis, atq; impedimentis magna ex parte potitus

eſt: militem uiuum neminem cœpit: duntaxat octo equites interfecit. Meſſenij hac clade affecti, per argiuum agrum domum ſunt reuerſi. Lycurgus autem rebus feliciter geſtis elatus, cum Spartam rediiſſet: delectui habendo, parandisq́; rebus, quæ ad bellum opus eſſent: operam dabat: omni ſtudio enitens, ne Philippus per ſpartanum agrum prælij. atq; periculi expers reuerti poſſet. Rex motis Elia caſtris, populabundus per prouinciam graſſari: ac quarto deinde die ad Amyclas omnem exercitum reducere. Lycurgus, facta cum ducibus atq; amicis deliberatione de capeſſendo cum Macedonibus prælio, urbem egreſſus, omnes, qui circa Melelaium locum erant: ſecum accipit: ut eſſent ×Menelaium circiter duo millia hominum. his uero, q in urbe erant: mandat: ut tempus diligenter obſeruent: &, quamprimum erectum à ſe ſignum conſpexerint: ſumma celeritate per diuerſa loca ex urbe copias educant: iterq; uerſus Eurotam teneant: qui fluuius parum ab urbe diſtat. Lacedæmon, etſi in planicie ſita eſſe uideatur: habet tamen particulatim inæquales quoſdam, ac montuoſos locos: nec procul uerſus Orientem defluit flumen: quod Eurotas appellatur: & maiori parte anni propter profunditatem intransfretabile eſt. colles, in quibus eſt Menelaium: trans flumen ſunt, ad eam urbis partem, quæ uergit ad Orientem hibernum. ſunt autem aſperi atq; difficiles, & præter modum alti: imminentq́; ei ſpatio, quod eſt à flumine ad urbem: per quod flumen ipſum iuxta collium radices defluit. Per hunc locum neceſſario tranſire rex cogebatur, à ſiniſtra habens urbem, & Lacedæmonios paratos, atq; inſtructos:

à dextra flumen, & eos, qui in collibus cum Lycurgo erant. Quæ cum ita eſſent: Lacedæmonij tale quiddam machinati ſunt. Rupto aggere in ſupiori parte fluminis, adeo imbribus id ſpacium, quod eſt inter urbem, & colles, impleuere: ut nec equites tranſire, nec pedites poſſent. ſic enim neceſſario futurum uidebant, ut rex exercitum iuxta radices collium ducere cogeretur. quod non ſine periculo facere poterat: cum neceſſarium eſſet exercitum nequaquam confertis ordinibus in longum extendi, paulatimq́; procedere. Quæ cum animaduerteret Philippus: uocatis in conſilium amicis, neceſſarium iudicauit: Lycurgum primo ex his locis, in quibus erat, expellere. Quamobrem exceptis ſecum mercenarijs & ſcutatis, præterea & Illyrijs, graſſari uerſus colles cœpit, flumen traiecturus. Lycurgus, intellecto regis conſilio, milites, quos ſecum habebat, paratos eſſe iuſſit: & ad prælium pro tempore hortatus eſt: urbanis uero ſignum, uti conuenerat, oſtendit. quo facto, repente milites ex urbe egrediuntur, equites in dextro cornu ponentes. Philippus, cum Lycurgo appropinquaſſet: primo mercenarios in eum emittit. quare factum eſt, ut principio melior eſſet Lacedæmoniorum conditio: ut qui & opportunitate loci, & genere armaturæ longe præſtabant. poſtquam uero ſcutatos, atque Illyrios in mercenariorum ſubſidium dimiſit: tanta rerum mutatio facta eſt: ut mercenarij uictoriam habere in manibus uiderentur: Lacedæmonij uero impetu grauis armaturæ deterriti, confeſtim ſe, quaſi deſperata ſalute, fugæ committerent. Cecidere in eo prælio milites circiter centum:

paulo plures ſunt capti: reliqui ſe in urbem recepere. Lycurgus, itinere per ſaltus penè inuios facto, ſequenti nocte cum paucis in urbem peruenit. Philippus, Illyriorum præſidio firmatis collibus, ipſe cum expeditis atque ſcutatis ad exercitum reuerſus eſt.

Sub idem tempus Aratus copias ex Amyclis ducens, haud procul ab urbe aberat. rex igitur transfretato fluuio cum ijs ſe coniungit. in equitum ſubſidium grauis armaturæ milites ſub ipſis collibus ponit. Lacedæmonij equites, cum facto in Macedonas impetu pugnam conſeruiſſent: ſcutatis fortiſſime dimicantibus, & rege ipſo ſtrenue ſe habente, tandem uſque ad portas urbis turpiter ſunt repulſi. Poſthæc rex cum omnibus copijs tuto Europam traiecit. mox nocte ſuperueniente coactus eſt caſtra in exitu anguſtiarum ponere, in loco alioquin tuto, & ſpartano agro imminenti. ubi breui tempore commoratus, paulo poſt Thegeam uerſus exercitum mouit. cumq; ad ea loca uentum eſſet, quibus Antigonus, & Cleomenes memorabile illud prælium fecerunt: ibi caſtrametatus eſt. Poſtridie locis diligenter inſpectis, & factis deo in utroque colle ſacrificijs, quorum alterum Olympum, Euam alterum uocant: iter proſecutus eſt. cum deinde Thegeam appuliſſet: aliquantum ibi ad diuiſionem prædæ commoratus, mox cum copijs Corinthum remeauit. Venerunt eò ad regem legati Rhodiorum, & Chienſium, pro pace inter eum atque Aetolos componenda. Quos rex benigne, atque humaniter allocutus, paratum ſe ad id inquit iandiu fuiſſe: & in præſentia eſſe: ſi id Aeto-

lis libuerit. proinde ad Aetolos proficiſcantur, de pacis conditionibus cum illis acturi. ipſe Lecheum profectus, ſe ad nauigandum parabat, neceſſarias quaſdam rex in Phocide geſturus. Sub idem tempus Leontius, & Megaleas, & Ptolemæus, adhuc terrere ſe poſſe Philippum exiſtimantes, & per eum modum mederi erroribus ſuis, uocatis ad ſe ſcutatis, & quos Macedones Agenia uocant: commemorare eis cœperunt: quomodo ſemper in ſummus periculis uerſantes, nullũ unquam præmium conſequantur: nec prædæ partem ex ueteri, & apud omnes approbata conſuetudine accipiant. Per quæ hortati ſunt iuuentutem: ut impetu facto, domos præcipuorum regis amicorum depopularentur: quin & regiã ipſam aggreſſi, deijcerent portas: & tecta undiq; deuaſtarent. Quæ cum illi feciſſent: ingens ſeditio in ciuitate orta. Philippus, audito tumultu, ex portu in urbem properat: uocatisq; in contionem Macedonibus, partim ut bono animo ſint, hortatur: partim de anteactis rebus increpat. Incrudeſcente deinde ira, & alijs exiſtimantibus expellendos eſſe de ciuitate, qui eius ſeditionis cauſa fuerant: alijs mulcenda eſſe multitudinis pectora, nec ſæuum quicquam in aliquem iudicandum putantibus, rex diſſimulato in præſentia conſilio, ueluti ab illis perſuaſus, poſt multas adhortationes ad portum reuerſus eſt, aperte quidem principes eius facinoris intelligens: ſed rem in aliud tempus differendã ratus. Leontius, & ſocij, deſperatis rebus, quod nullum ſibi ẽ tot cõſilijs proſpere ſuccederet: ad Appellem confugẽre: eumq; ex Chalcide aduocarunt: nihil ſe abſq; eo facere poſſe ſignificantes: ꝙ rex à ſe in omnibus diſſentiret. Appelles

liberius forte, q̃ officium eius decebat, in Chalade ſe habuerat. ſiquidem regem adhuc adoleſcentem eẽ, & ſibi ſubiectum, ac nullius rei dominum oſtendebat: dominium atq; adminiſtrationem omnium rerum duntaxat ſibi attribuebat. Quamobrem Macedoniæ, atq; Theſſaliæ principes omnia iam ad hunc unum referebant. & omnes Græciæ ciuitates in ſuffragijs, honoribus, ac muneribus breui tempore obliti regis erant. ſolus Apelles omnia adminiſtrabat. Quæ cum iam diu rex intellexiſſet: grauiter & iniquo animo ferebat: præſertim Arato eum ad hoc continue ſtimulante. adeo tamen prudenter factum diſſimulabat: ut mentem eius nemo prorſus intelligeret. Appelles regiæ intentionis ignarus, putanſq; quamprimum ante regis conſpectum ueniret, omnia ſe ex ſententia conſecuturum, ex Chalade Corinthum uenit. Cum urbi appropinquaſſet: Leontius, & Ptolemæus, & Megaleas, qui ſcutatis, & cæteris grauioris armaturæ militibus præerant: magno ſtudio eum accepere: hortati iuuentutem, ut redeunti obuiam procederent. Magna igitur ſtipantium ducum, & militum pompa commitatus recto itinere in regiam uenit. Cum autem ingredi ſtatim, uti conſueuerat, uellet: ianitor quidam expectare eum iuſſit: occupatum eſſe in præſentia regem dicens. Appelles nouitatem rei admiratus, hæſitabundus aliquandiu conſtitit. mox mœſtus, atq; inops conſilij, inde profectus eſt. reliqui omnes repente ab eo diſceſſerunt: ut tandem ſolus cum proprijs pueris domum ſit reuerſus. Quam parua temporis interualla homines in excelſo faſtigio collocant? & eoſdem rurſus ad extremam miſeriam ac calamitatem

redigunt? atq; eos maxime, qui in aulis principum uitam agunt? Hi enim ſimiles ſunt ſuffragijs, quæ in publicis conſilijs dari ſolent. nam ut illic pro eorum, qui conſulunt, uoluntate, quæ modo ænea fuerunt, mox aurea dantur: ita qui regias principum ſequuntur: pro regis uoluntate nunc beati, mox miſeri fiunt. Megaleas, cum fruſtra ſe Appellis opem quæſiſſe intelligeret: timore plenus, ad fugam ſe parabat. Appelles poſt eum diem ad contiones, & alios huiuſmodi honores uocabatur: in conſilia uero, & quotidianas rerum deliberationes admittebatur nunquam. Paucis poſt diebus rex in Phocidem ducto ſecum Appelle reuerſus eſt: ubi uoti compos repente factus, iterum ex Elatia reuertebatur. Inter hæc Megaleas Athenas fugit: relicto Leontio uiginti talentorum fideiuſſore. Inde ducibus, qui Athenis erant, recipere eũ nolentibus, Thebas reuerſus eſt. Rex circa cum claſſe profectus, in Sicyoniorum portum nauigauit. ex quo mox in urbem ueniens, principes hortatus eſt ut bono animo eſſent: ipſe apud Aratum diuertit: continueq; poſthac moram cum eo traxit. Appellem nauigare Corinthum iuſſit. Cum interea de fuga Megaleæ nuntiatum eſſet. ſcutatos, quibus Leontius præerat: in Triphaliam cum Taurione miſit: tanquam re aliqua graui, ut id faceret, urgente. mox cum diſceſſiſſent: duci Leontium in uincula iuſſit. Quod cum ſcutati per nuntios cognouiſſent: miſère ad regem legatos precatum: ut ſi ob aliam cauſam captus Leontius fuiſſet: non prius iudicium de eo ferret: q̃ ipſi ueniſſent: aliter exiſtimaturos ſe contẽni à rege, ac pro nihilo haberi. ſi uero propter fideiuſſionem, qua pro Megalea ſe aſtrinxerat: ex publico ſti-

pendio ſeſe regi ſatisfacturos. Rex importunitate militum ſtimulatus celerius, quàm ſtatuerat, Leontium interfecit. Inter hæc Rhodiorum, & Chienſium legati ex Aetolia redierunt, triginta dierum inducias pacti: & paratos eſſe illos dicentes ad pacem cum rege componendam: conſtituto præterea die, quo rex occurrere eis iuxta Rhium deberet: pollicitiq́; Aetolos omnia libenter facturos: ut pax ſequeretur. Rex acceptis inducijs, literas ad ſocios dedit, hortatus ut Patras legatos mitterent: qui ſecum agerent de conditionibus pacis. ipſe ex Lecheo profectus, perendie Patras appulit. Sub idem tempus allatæ ad eum ſunt ex Phocide literæ: quas Megaleas Aetolis ſcripſerat. in quibus hortabatur eos: ut bono animo eſſent: acriterq́; in bello perſiſterent. regem enim propter inopiam commeatus, ac rerum neceſſariarum, non poſſe diutius bellum tolerare. multa præterea in regem maledicta, & contumeliæ in ijſdem literis continebantur. His lectis rex cum ſibi perſuaſiſſet, omnem iſtarum rerum cauſam atque initium eſſe Appellem: capi eum ſtatim iuſſit: ac Corinthum duci unà cum filio, & Exoleto, quem in delitijs habebat. ad Megaleam uero Thebas Alexandrum miſit, iuſſum, ut eum ad ſe duceret: quo fideiuſſor eius liberaretur. Cum Alexander mandata regis exequi uellet: non expectauit id Megaleas: ſed ſtatim ſibi ipſi manus intulit. Iiſdem ferè diebus Appelles, & filius, & Exoletus extincti ſunt: dignam tandem factis eorum pœnam impio ſanguine luentes. Aetoli, etſi pacẽ cupiebant, diuturno bello ue-

xati, rebuſq́; omnibus longe aliter, quam ſperarant, eue nientibus: (ſiquidem cum puero atq; infante pugnaturos ſe exiſtimantes ob ætatem, atq; inexperientiam regis, uirum & conſilio & opere præſtantiſſimum experti fuerant) cognito tamen ſcutatorum tumultu, & Leontij, atq; Appellis caſu audito, ſperantes magnum aliquem rerum motum in regis aula futurum, Rhium, uti ſtatuerant, præſtituta die non uenêre. Philippus hac occaſione proſequendi belli libenter accepta, legatos ſociorum, qui eò conuenerant: non ad pacem, quam ob rem fuerant uocati: ſed ad bellum hortatus eſt. deinde cum claſſe diſcedens, Corinthum appulit: & Macedones quidem omnes per Theſſaliam hyemandi gratia domum remiſit. ipſe è Corintho profectus, per Euripum in Demetriadem nauigauit. Illic Ptolemæum, qui ſolus ex coniuratione Appellis, & Leontij ſupererat: cum Macedonum conſilio interfecit. Per idem tempus Annibal, ſuperatis Alpibus Italiam ingreſſus, caſtra iuxta Padum amnem non longe à Romanorum caſtris poſuerat.

Antiochus, multis locis Syriæ ſubiugatis, in hiberna copias reduxerat. Lycurgus Lacedæmoniorum rex timore magiſtratuum in Aetoliam fugerat. magiſtratus enim, cum falſus quidam rumor increbuiſſet: Lycurgum nouis rebus ſtudere: congregata iuuentute ad domum eius noctu uenerunt. Quod cum ille præſenſiſſet: cum proprijs familiaribus fugam arripuit. Hyeme inualeſcente, cum Philippus rex in Macedoniam reuerſus eſſet: Eperatus uero Achæorum dux ſimul & à iuuentute urbana, & à mercenarijs militibus contemneretur: nec iuſſis quiſpiam obtemperabat: nec aliquid

ad patriæ defenſionem perabatur. Quod cum animaduerteret Pyrreas, dux Elienſibus ab Aetolis miſſus, habens ſecum Aetolos circiter mille & trecentos, præterea mercenarios Elienſium, & cum his urbanos pedites mille, equites ducentos: ut eſſent omnes ad tria millia hominum: non ſolum Dymenſium, ac Pharenſium, uerū etiam Patrenſium agrum deuaſtabat. poſitisq; ad extremum caſtris iuxta Panachaicum montem, qui Patris imminet: omnes circunſtantes regiones depopulabatur. Ciuitates afflictæ, & omnis auxilij inopes tributa pendere cogebantur. Cum in hoc ſtatu res achæicæ forent: iamq; comitiorum tempus adeſſet: Eperatus principatū depoſuit. Achæi ineunte iam uere ducem elegerunt Aratum ſeniorem. Hæc igitur ea tempeſtate in Europa gerebantur. Nos uero, poſtquam diſtinctionem temporū, & rerum geſtarum ordinem ſecuti, conuenientem huic rei locum nacti ſumus: ad res in Aſia ſub eadem olympiade geſtas tranſeamus: & primo quidem, ſicuti in initio operis ſumus polliciti: ſyriacum bellum referamus: quod Antiochus, & Ptolemæus inuicem geſſere. Cum primum Ptolemæus, cui ex facinoris crimine cognomentum Philopater fuit: extincto patre, & fratre, ac ſequacibus illius interfectis, Aegypti imperium ſuſcepit: ratus nullum amplius domi timorem eſſe, ob prædictū facinus, foriſq; omnia ſibi fortunam tutiſſima præparaſſe, Antigono, & Seleuco uita functis, receptisq; in regna Antiocho, & Philippo, qui uix adhuc pubertatis annos exceſſerant: uelut rebus omnibus ſibi feliciſſime ſuccedentibus, luxuriæ ſe tradidit: regisq; morem omnis ſecuta eſt regia. quamobrem nulla eius inter ſuos autho-

ritas erat. externi reges contẽnebant eum: ac pro nihilo habebant: de quibus ueteres non minorem ſemper ſolicitudinem habuerant, quàm de ijs, qui in Aegypto dominabantur. enimuero Syriæ regibus & à mari, & à terra inferioris Syriæ, & Cypri principes imminebāt. ijs uero, qui in Aſia, atq; inſulis dominabantur: adiacebant ij, qui nobiliores ciuitates & loca, & portus tenebant per uniuerſum littus à Pamphilia uſq; ad Helleſpontum, & Lyſimachiæ loca. Thraciæ uero, & Macedoniæ rebus incumbebant, qui Aeno, & Maroniæ, ac remotioribus etiam ciuitatibus præerant. Et per hunc modum extenſis manibus procul à regno ſuo externos principes aggreſſi, nunquam de Aegypti imperio ſoliciti erant. propter quod non immerito præcipuam ſemper curam de externis rebus habebant. Hic uero, de quo loquimur, rex negligentius in his rebus ob turpes amores, & maximas ac frequentiſſimas ebrietates uerſatus, multos breui tempore uitæ ſimul, ac regno ſuo inſidiantes inuenit. Quorũ primus fuit Cleomenes Lacedæmonius. Hic enim, quādiu is uixit, cui cognomentum benefactor fuit: nihil noui tentauit: ut q ſibi perſuaſerat, uiuente illo non defuturam ſibi in recuperando paterno regno libertatem. mortuo uero illo, cum interiecto tempore Græci duntaxat Cleomenem uocarent: Antigono quidem defuncto: Achæis autem bellum gerentibus: & Lacedæmonijs ſecundum Cleomenis ab initio ſententiam aduerſus Achæos, atq; Macedones cum Aetolis ſentiētibus: hoc maxime tēpore de diſceſſu ſuo ex Alexandria ſolicitus eſſe cogebatur. Quamobrem primo regem hortari: ut ſe cum decenti commeatu, & copijs emitteret: deinde ob=

audiente rege, rogare eum, atq; precari: ut ſe duntaxat cũ domeſticis dimitteret. tempus enim maximas in præſentia præ ſe ferre opportunitates ad paternũ regnũ recuperandum. Rex igitur nec præſentia cogitans, nec futura propter ſupradictas causas præuidens, temere ſane atq; imprudenter Cleomenẽ ſemper contempſit. Soſibius autem cum ſuis (hic enim potiſſimum ea tempeſtate negotia regni adminiſtrabat) talia quædam inter conſultandũ de eo cogitabant: Dimittendũ quidem cum claſſe, et commeatu Cleomenem non cenſebant: ueriti externa: ne ſcilicet defuncto pauloante Antigono facilis ad moliendas res nouas uia foret. Timebant præterea: ne, cum mortuo Antigono nemo amplius Cleomeni obſtaret: ciuitatibus Græciæ extemplo potiretur: ac mox ſibi formidinẽ incuteret, præſentes res ſibi ante oculos ponens: & uitã, ac mores regios expertus: uidens præterea diuiſas, lõgéq; iter ſe diſtantes regni partes, et multas moliendarũ nouarum rerũ opportunitates habentes. erant enim circa Samum nõ paucæ naues: & militum iuxta Epheſum ingẽs multitudo. quamobrẽ cũ claſſe, et cõmeatu mittendũ Cleomenẽ ob ſupradictas cãs nõ putabãt. Solũ uero, aut cum paucis, nõ ſine cõtumelia talẽ uirũ dimittendũ haud tutũ rebus ſuis arbitrabantur: ut q ſibi repente manifeſtus hoſtis eſſet futurus. Reliquũ erat: ut inuitus retineretur. hoc itidem omnes damnabant: piculoſum exiſtimantes intra eoſdẽ caules Leonẽ, atq; oues continere. Huius præcipue ſententiæ erat Soſibius, ob talem quandã cãm. Quo tempore de Magna, atq; Beronicæ capiendis agitabatur: * timentes ne cœptis fruſtarentur, maxime ob audatiã Beronicæ: coacti ſunt uniuerſos, qui regiam ſequebantur: in

unum conuocare: omnibusq; ingentem ſpem proponere: ſi res ex ſententia ſuccederet. Tunc Soſibius, intelligens Cleomenem in recuperando paterno regno fauore regis indigere, eundemq; prudentem atq; aſtutum ſummis in rebus expertus, ſpe maximarum rerum propoſita, totius conſilij ſui participem fecit. Cleomenes, quia ſubtriſtem illum, & aduenas ac mercœnarios milites timentem uidebat: bono animo eſſe iuſſit. mercœnarios enim non ſolum impedimenti nihil allaturos: ſed potius ad perficiendam rem plurimum auxilij præſtituros pollicebatur. Quod cum ille magis admiraretur: non'ne uides, inquit, ꝙ circiter tria millia ſunt pelloponneſiorum militum? Cretenſes ferè mille? quos omnes uno nutu, quocunq; libuerit, nos ſoli trahemus? his propitijs, quos times amplius? an à Syria, inquit, & Caria commilitones? Quæ cum Soſibius libenter audiſſet: longe audacius id factum aggreſſus eſt. Poſthæc uero, cum ſæpius ignauiam atq; ſegnitiem regis animaduerteret: continue dictum illud memoria repetebat: & audaciam Cleomenis, ſummaq; mercœnariorum erga illum beneuolentiam ante oculos tenebat. Quamobrem & hoc tempore id maxime conſiderans, de capiendo, tenendoq; in uinculis Cleomene regem cæterosq; amicos hortatus eſt. In qua re peragenda hoc adminiculo uſus fuit. Erat Nicagoras quidam Meſſenius Archidami Lacedæmoniorum regis paternus hoſpes. inter hos ſuperiori tempore parua quædam amicitia fuerat. quo uero tempore Archidamus Sparta eiectus timore Cleomenis Meſſenem fugit: non ſolum domi, & cum amicis primo congreſſu Nicagoras eum ſuſcepi: ſed poſtea durante exilio ita cum co uerſatus

uerſatus eſt: ut ſumma quædam amicitia, ac familiaritas ſit inter eos orta. Quapropter & poſt hæc, cũ Cleomenes fidem reconciliationis cum Archidamo perſeueraret: Nicagoras de conditionibus pacis agere cœpit. firmato itaq; fœdere, et fide à Cleomene per Nicagoram accepta, Archidamus Spartam remigrabat. cui factus in itinere obuius Cleomenes, Archidamum quidem interfecit: Nicagorã autem, cæterosq́;, qui eum comitabantur: dimiſit. Nicagoras extrinſecus quidem habere ſe Cleomeni gratias ſimulabat: quod ſaluti ſuæ peperciſſet: intrinſecus autem grauiter & iniquo animo id factum ferebat: ꝙ ipſe cauſam huic rei præbuiſſe uideretur. Hic igitur Nicagoras breui ante tẽpore equos uehens in Alexandriam nauigarat. ubi cum è naui egrederetur: inuenit Cleomenem, & Pantrem, & unà Hippitam iuxta portum deambulantes. quem conſpicatus Cleomenes, amice ac familiariter ſalutauit. percunctatus deinde quid eò ueniſſet? uexiſſe ſe equos reſpondit. Cui Cleomenes, mallem, inquit, cinædos, ſambucasq́; uexiſſes. his enim magis in præſentia rex delectatur. tunc ſubridens Nicagoras tacuit. Paucis uero interiectis diebus, cum forte equorum gratia in ſermonem cum Soſibio incidiſſet: rettulit id, quod Cleomenes petulanter de rege fuerat locutus. quod cum libenter audire Soſibium intellexiſſet: omnẽ deinde cauſam ſimultatis, quæ ſibi cum Cleomene fuerat: commemorauit. Soſibius, poſtquam eum cognouit Cleomeni præter modum infenſum: partim ei in præſentia gratificatus, partim ſpe futuri propoſita, tandem Nicagoræ perſuaſit: ut conſcriptam ad ſe de Cleomene epiſtolam inde nauigans relinqueret: quam poſt

diſceſſum eius puer ad ſe afferret, tanquam à Nicagora miſſam. Qua re à Nicagora diligenter peracta, literisq; per puerum Soſibio allatis, poſtridie quàm Nicagoras ex Alexandria diſceſſerat: Soſibius puerum, atque epiſtolam ſecum habens, ad regem properat: aſſerente puero, Nicagoram ſibi eas literas tradidiſſe, quas ad Soſibium perferret. Continebatur in literis: Cleomenem, niſi ſtatim cum claſſe & commeatu dimitteretur: ſtatum regis in periculo poſiturum. Qua occaſione ſumpta Soſibius, regi, atque amicis perſuaſit: haud contemnendam eſſe hanc rem: ſed Cleomenem capiendum, in uinculisq; ſeruandum. Quo facto, ampliſſima domus ei tradita eſt: in qua cuſtodiens diuerſabatur, hoc à cæteris captiuis differens: quod in ampliori carcere degebat uitam. Quæ animaduertens Cleomenes, & perexiguam de futuro ſpem habens, omnia experiri decreuit: nihil tamen ut in ſumma deſperatione perficere ſe poſſe exiſtimans: ſed potius honeſtiſſimam mortem cupiens mori, nihilq; perpeti, quod magnitudine animi ſui indignum uideretur. Obſeruata igitur regis ad urbem Canobum profectione, famam inter cuſtodes ſparſit: ſe à rege propediem liberatum iri. quare ſuis quidem epulum parauit. cuſtodibus autem uictimas, & coronas, & cum his ſimul uinum miſit. Quibus id affatim aſſumentibus, cum tandem omnes ebrietas cœpiſſet: acceptis ſecum amicis, ſeruisq;, qui ei miniſtrabant: medio die nihil ſentientibus cuſtodibus cum ſtrictis enſibus domum exiuit. Procedentes itaq;, cum in platea Ptolemæum, qui tum relictus in urbe fuerat: offendiſſent:

omnibus, qui unà erant, magnitudine rei perterritus, Ptolemæum quidẽ quadriga deiectum interfecere: multitudinem uero ad libertatem hortati ſunt. uerum nemine ob magnitudinem facinoris ſe mouente, referentes greſſum, impetum in arcem fecere: tanquam deiecta porta proditione eorum, qui eam cuſtodiebant, hoc loco confeſtim potituri. Sed hac quoque ſpe ad extremum fruſtrati, ꝙ hi, qui arci præerant, præuidentes periculum, portam diligenter muniuerant: adhibitis ſibi manibus honeſtiſſimam mortem, & ſpartanis animis dignam oppetiuere. Cleomenes igitur hunc exitum habuit: uir & eloquio apud multitudinem potens, & in gerendis rebus ſtrenuus: cui nihil nunquam regum præter regnum deeſſe uiſum fuit. Poſthunc non longe poſtea Theodotus, qui inferioris Syriæ rebus præerat: natione Aetolus, partim regem ob incuriam, atq; ſegnitiem uitæ contemnens, partim ijs, qui regiam ſequebantur, diffidens, ꝙ non multo ante tempore, cum rem perquam utilem regi propoſuiſſet, cum ad alia, tum ad obſiſtendum Antigono Syriæ regnum perturbare uolenti: nonmodo nihil gratiæ conſecutus erat: ſed contra uocatus in Alexandriam, de uita fuerat periclitatus: conuenire Antiochum decreuit: eique inferioris Syriæ urbes tradere. Hoc igitur oblationem læto animo ſuſcipiente, res quamprimum finem ſortita eſt. Enimuero Antiochus iunior filius erat Seleuci: cui cognomentum Callinicus fuit. Hic mortuo patre, cum regnum ad fratrem eius Seleucum, qui natu maior erat, perueniſſet: principio quidem in ſuperiori parte regni priuatam uitam egit: mox fra-

ſre, qui Taurum montem cum copijs tranſcenderat, per dolum, ut ſupra memorauimus, interfecto, imperium ipſe adeptus, regnauit: omni, quam citra Taurum tenebat, prouincia Achæo commendata: ſuperioribus uero regni partibus præpoſito Molone, & fratre Molonis Alexandro: ut Molo quidem Mediæ, at frater uero Perſidi præeſſet. hi regem ob ætatem contemnentes (uix enim quintumdecimum ætatis annum exceſſerat) & conſpiraturum ſecum Achæum exiſtimantes timentes prætere a ſæuitiam & crudelitatem Hermiæ, qui tum ſummam regni tenebat: deficere à rege, & ſtatum prouinciæ, cui præerant, mutare decreuerunt. Hermias quidem è Caria erat. hunc regno præfecerat Seleucus frater: fide eius fretus, quo tempore cum exercitu Taurum pertranſiuerat. Quamobrem in ſummo faſtigio cõſtitutus omnibus, qui in regia aliquid poterant: inuidebat: homo natura ſæuus atq; crudelis. inſontes, prout libido ferebat, acerrime damnabat: nocentes, ac facinoroſos homines non ſolum patiebatur: uerumetiam fouebat: deniq; in iudicijs immanis, atq; aſper erat. Præcipue uero inſidiabatur uitæ Epigenis: qui Seleuci copijs præerat: ꝙ eum uirum cernebat & oratione, & operibus plurimum pollere: maximamq; habere in exercitu gratiam, & authoritatem. & quanquam hoc continue uerſaret animo: continebat ſe tamen, aliquam ad patrandũ facinus occaſionem quærens. Cæterum congregato concilio de defectione Molonis, & rege iubente, ut quiſq; quomodo his rebus prouidendum uideretur, diceret: cum primus Epigenes ſententiam dixiſſet: haud contemnendam ſibi eam rem uideri: ſed appropinquare regem ijs locis

oportere: paratum'q; in tempore eſſe: ita enim uel omnino deſtiturum ab incœpto Molonem, præſente rege, & non mediocri exercitu ante oculos poſito: uel, ſi omnino perficere incœptum auderet: multitudinem ipſam coniuratores omnes in manibus regis poſituram: tunc indignatus Hermias, cum longo iam tempore, inquit, proditor regni latueris ó Epigenes: tandem perfidia tua detecta hoc concilio eſt: ꝙ corpus regium cum paucis in manibus conſpiratorum ponere ſtudueris. Quæ cum dixiſſet: perſtitit in ſententia ſua: ut copias aduerſus Molonem ducere ob inexperientiam militum, periculoſum cenſeret: in Ptolemæum autem ſumma celeritate ducendum putaret exercitum: tutiſſimum eſſe hoc bellum exiſtimans ob ſegnitiem, atq; ignauiam regis. Tunc igitur perterritis omnibus, qui in concilio aderant, aduerſus Molonem duces cum copijs miſit Xconẽ, & Theodotum Hemiolium. Antiochum autem hortatus eſt: ut mox rex ſyriacis aggrederetur: ratus duntaxat hoc modo, ſi adoleſcens undiq; bello circumueniretur: neq; ſe præteritorum maleſactorum luere pœnas poſſe: neque præſentem authoritatem amittere ob aſſiduos belli uſus, continueq; inſtantia regi pericula. Quamobrem conſcriptam & ad extremum epiſtolam, & ueluti ab Achæo miſſam regi attulit. in qua ſignificabatur: Ptolemæum hunc ad contentionem de principatu hortari: pecuniam'q;, & commeatum in omnes uſus offerre: ſi diadema aſſumeret: & manifeſte omnibus appareret de regno uelle contendere. Rex igitur ſcriptis fidem habens, paratus erat exercitum in Syriam ducere. Interea, dum in Seleucia moraretur: aduenit Diognetus dux

claſſis ex partibus Cappadociæ, quæ ſunt iuxta Euxinum: uehens Laodicē Mithridatis regis filiam uirginem regi deſponſam. Qua magnifico apparatu, & regia pompa ſuſcepta, Antiochus repente nuptias pegit. dehinc ſubito in Antiochiam profectus, adminiſtratione regni uxori relicta, omni ſtudio ad apparatum belli intentus erat. Sub idem tempus Molon, cum paratam ad quodcunq; facinus multitudinem cerneret, partim magnarum rerum ſpe illis propoſita, partim fictis & adulterinis à rege literis perterritis ducibus: haberet præterea concertatorem Alexandrum fratrem: & propinquas omnes ciuitates ob beneuolentiam præfectorum tutas reddidiſſet: educto ingenti exercitu, caſtra nō longe à caſtris ducum regis poſuit. Xenon, & Theodotus aduentu eius perterriti, mox ſe in propinquas ciuitates receperunt. Molon totius agri Apolloniæ dominus factus, ac libere iam per omnem prouintiam diſcurrens, affatim omni genere commeatus potiebatur. omnes enim regiorum equorum greges in media erant: præterea frumenti, ac pecudum ingens ac penè innumerabilis multitudo. Rex audita Molonis profectione, & fuga ducum ſuorum cognita, paratus quidem erat relicto Ptolemæo exercitum aduerſus Molonem ducere. ſed Hermeas haud immemor propoſiti ſui, ad Molonem quidē Xencetam Achæum ducem cum copijs miſit: dicens aduerſus eos, qui defecerant, pugnare duces oportere: aduerſus uero reges regem ipſum decertare. ipſe igitur regem propter ætatem in manibus habens Apamiam proficiſcitur: ubi coactis copijs, mox inde Laodiceam contendit. Hinc rex cum omnibus copijs profectus, tranſacta

heremo in locum uenit, quem Marſiam incolæ uocant: inter Libanum, & Antilibanum promontoria ſitum: qui locus & natura anguſtiſſimus eſt: & in anguſtiore ſui parte uadoſus, atq; paluſtris. immunet autem prædictis anguſtijs ex una quidem parte oppidum, quod Brochos appellant: ex altera uero Gerra. arduiſſimus inter utrunq; oppidum callis eſt. Rex aliquot diebus per anguſtias profectus, tandem Gerra peruenit. Vbi cum Theodotum Aetolum iam Gerris, & Brochijs poſitum compeririſſet: quicquid uero penès paludem erat anguſtiarum, uallo ac foſſa diligenter munitum: præterea & ſufficientes cuſtodias adhibitas: primo quidem uim inferre conatus eſt. poſthæc uero cum plus pati malorum, q̃ facere uideretur, ob difficultatem loci: & ꝙ Theodotus adhuc permanere in fide cum Ptolemæo uidebatur: ab incœpto deſtitit. Allato deinde de Xenœte conflictu, & Molonis uictoria nuntio, relictis ſupradictis locis, proprijs rebus ſuccurrendum putauit. Xenœtas dux aduerſus Molonem, ut ſupradiximus, miſſus, & maiorem opinione orationum licentiam conſecutus, amicis quidem inſolentius utebatur: aduerſus uero hoſtes audacius ſe gerebat. enimuero Seleuciam cum copijs profectus, Diogene, & Pythiade acceſitis, quorum alter Suſianæ regionis, alter Rubri maris præfectus erat: exercitum aduerſus hoſtes eduxit: caſtráq; non longe ab eorum caſtris poſuit: *Tigri flumine in medio fluente. Hic multis ad eum ex caſtris Molonis tranſnatantibus, ſignificantibusq;, ſi flumen traijceret, magnam partem copiarum Molonis ad eum tranſituram: ꝙ omnis ferè

multitudo huic quidem inuideret: regi uero amica, atq; beniuola eſſet: perſuaſus eorum uerbis Xenœtas, ſe ad traijciendum Tigrim accinxit. oſtendens autem ſe per locum quendam, ubi diuiſa aqua inſulam faciebat, tranſiturum, nihil prorſus ad eam rem neceſſarium parabat. ex quo accidit: ut Molo quidē inceptum eius contemneret: multitudo uero dedita opera id fieri exiſtimans, pararet ſe, atq; inſtrueret. Xenœtas aptiſſimo quoque equite, ac pedite ex omni exercitu delecto, Zeuxiq;, & Pythiade ad cuſtodiam caſtrorum relictis, per noctem circiter octuaginta ſtadia infra caſtra Molonis profectus nauibus incolumē exercitum traiecit: & adhuc durante nocte in loco peropportuno caſtrametatus eſt: quippe qui magna ex parte flumine claudebatur: quod ſuperat: contiguæ paludes, ac ſtagna tutum faciebant. Molon, cum id nuntiatum interea foret: equites obuiam miſit, tanquam illis tranſitum impedituros: aut, ſi qui iam pertranſiſſent, eos facile profligaturos. Hi, cum Xenœtæ appropinquaſſent: ob locorum ignorantiam plus ipſi à ſe ipſis, q̃ ab hoſtibus detrimenti ſunt paſſi. ſiquidem in ſtagna delati, omnes ad rem gerendam inutiles facti ſunt. multi & in ipſis ſtagnis periere. Xenœtas ratus, ſi hoſtibus appropinquaret, multos ad ſe ex ijs, qui cum Molone erant, tranſituros, paulatim per ripam fluminis progreſſus, caſtra in conſpectu hoſtium poſuit. Sub idem tempus Molon, ſeu militari aſtu, ſiue ꝙ copijs diffideret: relictis in caſtris impedimentis, noctu inde diſceſſit: itinere uerſus Mediam facto. Xenœtas terrore aduentus ſui, & ꝙ non ſatis militibus fideret, fugiſſe hoſtem ratus, primo quidem occupatis hoſtium caſtris, equites

ſuos, omnemq; apparatum, quem cum Zeuxi reliquerat: auerſiuit. deinde conuocata multitudine, uniuerſos, ut bono animo eſſent, optimamq; de futuris ſpẽ haberent, hortatus eſt: utpote conuerſo iam in fugam, & in ſumma deſperatione rerum conſtituto Molone. Quæ cum dixiſſet: curare ſingulos corpora iuſſit. paratosq; in poſterum diem ad inſequendos hoſtes eſſe. Multitudo auctis huiuſmodi rebus animis, & omni genere prædæ referta, ad crapulam ſe, ebrietatemq; conuertit: & eá, quæ ex huiuſmodi rebus conſequi ſolet: ſegnitiem, atq; ignauiam. Molon, cum oportunum quendam locum nactus cœna militem refeciſſet: conuerſo mox itinere in hoſtes redit. quos cum ſomno uinoq; ſepultos comperiſſet: ſummis uiribus caſtra eorum ſub auroram inuadit. Xenœtas nouitate, ac magnitudine rei perterritus, nec ſuos propter ebrietatem excitare ualens, cum paucis impetu in hoſtes facto profligatur. Dormientium magna pars in ipſis caſtris ceciderunt. reliq; ſe in flumen proijcientes natare in ulteriorem ripam conati. uerum hi quoq; ad extremum magna ex parte periere. Miſerabilis erat trepidantium aſpectus. omnes enim ſe nullo reſpectu in undas proijcientes tranſnatare in ulteriorem partem nitebãtur: iumenta, ſarcinasq; in flumen agebant: tanquam tuto ferri in ulteriora caſtra aquis ſecundantibus poſſent. Ex quo accidit, ut uno tempore unà cum uictis equi, iumenta, arma, cadauera per flumen ferrentur: res ut uiſu horribilis, ita etiam dictu ſtupenda. Molon repente caſtris hoſtium potitus, & tuto deinde tranſportatis copijs, cum nemo impedire ei tranſitum poſſet: Zeuxi uix iam appropinquantibus hoſti-

bus in fugam conuerſo: ea quoq;, quæ ultra flumen erāt, caſtra occupat. His rebus feliciter geſtis, Seleuciam cum exercitu uenit. qua mox potitus, ꝙ ij, qui cum Zeuxi erant, aduentu eius perterriti unà cum Diomedonte Seleuciæ præfecto urbem dereliquerant: peragrata prouincia, ſuperiores omnes ciuitates nemine reſiſtente in fidem accepit. Poſthæc totius Babyloniæ, & locorum omnium, qui ſunt circa mare Rubrum, imperium conſecutus, Suſa uenit: & urbem quidem è ueſtigio debellauit. arcem uero, cum crebris certaminibus tentaſſet: ꝙ Diogenes dux in eam ſe receperat: expugnare non ualens, ab incœpto deſtitit: ſolutaq; obſidione rurſus Seleuciam cum copijs remeauit. Vbi refecto aliquot diebus exercitu, & hortatis ad bellum militibus, exteras deinde res magno animo aggreſſus eſt: omnemq; citra & ultra Tigrim prouinciam uſq; ad Europem, & Duræ ciuitates intra breue tempus ſubegit. Antiochus, cum hæc, ut ſupra diximus, nuntiata forent: relictis Syriacis rebus, ſumma celeritate huic parti prouidendum arbitrabatur. Congregato igitur rurſus concilio cum dicere ſingulos ſententiam ſuam de Molonis bello iuſſiſſet: inſurgente Epigene, ac oportuiſſe olim huic rei prouideri dicente, antequam hoſtes tantis rerum ſucceſſibus audaciores fierent: & nihilominus in præſentia quoque huiuſmodi rebus totis uiribus incumbendum: indignatus rurſum Hermeas ad iurgia, & contumelias ſe conuertere: temerarieq;, atq; inſolenter nimium ſe efferens, falſas in Epigenem calumnias fingere. obteſtari regem: ne tam imprudēter contemneret, ne'ue deſereret Syriacum bellum. deniq; ita excandeſcere: ut

facile odium, quod in Epigenem conceperat: uniuerſis oſtenderet. Cum uero ad extremum melior omnibus Epigenis ſententia uideretur: decretum in concilio fuit: ut copiæ aduerſus Molonem ducerentur: omniſq; furor belli eò conuerteretur. Hermeas mutaſſe ſe ſtatim ſen tentiam ſimulans, & oportere inquiens decretum ab omnibus ſeruari, quæcunq; neceſſaria ad bellum uidebantur, ſtrenue parabat. Congregatis tandem Epamiæ copijs, cum forte ſeditio quædam de diuiſione frumenti orta inter milites fuiſſet: perculſum animo regem, & finem tumultus formidantem nactus, pacificaturum ſe militum animos, frumentumq; inter omnes concorditer diuiſurum promiſit: ſi rex data fide aſtringeretur nunquam ſe poſthac Epigenem ſecum in expeditionem ducturum. nihil enim in exercitu dignum fieri poſſe, ipſis ita inter ſe diſſidentibus atq; infeſtis. Rex, etſi id grauiter, & iniquo animo ferebat: quòd Epigenem conſilio atq; induſtria plurimum in rebus bellicis pollere experientia didicerat: circumuentus tamen Hermeæ promiſſionibus ſuæ ſpontis non erat. quamobrem præſentibus rebus medendum ratus, confeſtim Epigenem dimiſit. Quo facto ingens repente omnes, qui de conſilio regis erant, pauor cepit. copiæ autem id, quod concupiuerant, in diuiſione frumenti adeptæ, mutata mox ſententia Hermeæ adhæſerunt: exceptis Cytraſtis. hi enim numero circiter ſex millia hominum facta ſeditione à rege defecerunt: nec paruum diuerſis temporibus impedimentum rebus eius præbuere. tandem uero à quodam è ducibus regis bello ſuperati, magna ex parte perierunt: reliqui ſe fidei regis commiſere. Hermeas

amicis quidem terrore, copijs uero beneficio ſibi conci-liatis, motis caſtris cum rege proficiſcitur. aduerſus uero Epigenem tale quiddam machinatus eſt: conſcio, atq; adiutore Allexi: qui tum arci Epamiæ præerat. Conſcriptis enim literis, quæ tanquam à Molone Epigeni mitterentur: puerum quendam Allexis ſubornauit, maximarum rerum ſpe propoſita: qui ad Epigenem profectus huiuſmodi literas clàm cum cæteris literis illius miſceret. quo facto, repente Allexis ad Epigenem uenit: & an aliquas literas à Molone accepiſſet, percunctatus, cum ille pertinacius negaret: inuenturum ſe affirmauit. mox igitur ueſtigabundus domum ingreſſus, literas reperit. Qua occaſione ſumpta, ſtatim Epigenem interficit. Hæc cum accidiſſent: rex quidē merito hunc luiſſe pœnas arbitrabatur. cæteri uero, qui in aula regis erant: etſi graui animo ferebant id facinus: timore tamen langorem animi diſſimulabant. Antiochus, cum uſq; ad Euphratem ueniſſet: motis denuo caſtris, in Antiochiam profectus in Michdonia conſtitit: ubi circiter quadraginta dies commoratus mox Libam contendit. Illic congregato concilio, cum forte, quà iter eſſet aduerſus Molonem faciendum, diſputaretur: item quo modo, aut unde quærendi commeatus: (quippe ea tempeſtate Molon in Babylonia morabatur) Hermeæ quidem uiſum eſt iter citra Tigrim per ripam eius fluminis tenendum eſſe. Zeuxis uero ſentētiæ erat planè diuerſæ: ſed mortem Epigenis ante oculos habens, aperire iudicium ſuum formidabat. Tamen cum manifeſta omnibus Hermeæ ignorantia uideretur: uix ad extremum conſulere auſus eſt: traijciendum eſſe Tigrim, cum pro-

pter reliquas difficultates uiæ, quæ eſt citra amnem: tum quod neceſſe erat, poſtquam certa loca pertranſiſſent: ſex dierum itinere per deſertam regionem facto, ad regionẽ, quæ Diorex dicitur: peruenire: quam cum iam hoſtes præoccupaſſet: tuto pertranſiri non poſſe. quinetiam reditum per deſerta non ſine diſcrimine futurum, maxime ob inopiam commeatus. traiecto uero Tigri omnes Apolloniæ populos pœnitentia ductos regem aduocaturos eſſe: quippe qui in præſentia non ſponte, ſed neceſſitate atque formidine Moloni parerent. copiam præterea commeatus ob fertilitatẽ regionis maximam futuram: & quod maioris momenti erat: reditum Moloni in Mediam interclusum iri. ex quo neceſſario erat futurum: ut, uel Molon in prælium deſcenderet: uel hoc detrectante periculum, copiæ eius ſtatim ſe fidei regis commendarent. Approbata igitur in concilio Zeuxidis ſententia, mox copias tribus locis traijcientes multitudinem omnem, atque impedimenta transfretarũt. Poſt hæc uerſus Dura cum copijs profecti, repente obſidionem eius urbis diſſoluerunt. ſiquidem unus ex Molonis ducibus paucis ante diebus obſidere illam cœperat. continuato deinde itinere, & monte, quem Oricum incolæ uocant, ſuperato, Apolloniam deſcendêre. Sub idem tempus Molon, cognito regis aduentu, & populis ſuſiani, ac babylonij agri diffidens, quippe quos recenter, inopinatéq; ſubegerat: timens præterea ne reditus ſibi in Mediam intercluderetur: ingenti celeritate Tigrim cum omnibus copijs transfretandum cenſuit, feſtinans, ſi poſſet, ſaltus, qui in apolloniatem agrum ducunt, præoccupare: q maximam in funditoribus, quos cyrtias uocant: ſpem habe-

ret. cum igitur iis locis appropinquaſſet: & rex interea cum omni exercitu Apollonia profectus non longe abeſſet: accidit, ut leuioris armaturæ milites, qui præmiſſi ab utroq; fuerant: in quodam iugo una con-currerint. Hi primo quidem tentare inter ſe fortunam belli cœperunt. poſtea appropinquantibus utrinq; copiis reuocarunt greſſum: & ad ſuos utriq; reuerſi, caſtrametati ſunt, circiter quadraginta ſtadia inuicem diſtantes. Adueniente nocte Molon, q̃ periculoſum putaret pugnam interdiu cum rege conſerere: ut pote non ſatis fide ſuorum fretus, intempeſta nocte aggredi Antiochũ decreuit. quamobrem optimo quoq; milite ex omni exercitu delecto, per inuia quædam loca proficiſcitur, ex ſuperiori parte facere in hoſtes impetum cogitans. ſed cum in itinere intellexiſſet: decem iuuenes ex ſuis clàm noctu ad Antiochum iuiſſe: ab incœpto deſtitit: ſtatimq; mutato itinere, in caſtra reuerſus, cum ſurgente aurora eò perueniſſet: ingenti tumultu exercitum compleuit. experrecti enim ſubitario aduentu ſuorum qui in caſtris erant, tanto terrore correpti omnes fuere: ut parũ abfuerit, quin turpi fuga è caſtris diſceſſerint. at Molon patefacta re inualeſcentem in exercitu tumultum pro uiribus ſedauit. Rex autem, cum inſtructus paratusq; eſſet ad prælium capeſcendum: cum prima luce omnis copias è caſtris educit. equites lanceas ferentes in dextro cornu locat. his præficit Ardym, uirum bellicarum rerum expertiſſimum: quibus addit ſocios Cretenſes: poſt quos deinde Gallos: poſtea mercenarios milites: poſtremo equitum phalangem conſtituit. ſiniſtrum uero cornu dat ſociis. Hi omnes equites erant. ele-

phantos in fronte ponit, inter utrunq; cornu conſtitutos. hi numero decem tantummodo erant. Auxilia peditum equitumq; in utroq; cornu diſtributa circundare hoſtes iubet, ſimulatq; in prælium deſcenderetur. Poſt hæc hortatur milites, percurrens breuiter quæcunq; ei tempori conuenientia uidebantur. & Læuo quidem cornu Hermeam, & Zeuxim præficit: dextrum ipſe tenet. Molon contra nec libenter educit copias: temereq; ob tumultum, qui nocte in exercitu fuerat: milites diſponit. Veruntamen equites in utroq; cornu diuidit, ratus hoſtes eo ordine, quo fecerant, exercitum diſtribuiſſe. clipeatos uero, & Gallos, & reliquos grauioris armaturæ milites in medio equitum ponit. ſagittarios, et funditores, cæterosq; id genus, ab utroq; latere extra equitum ordines, falcarios, carpentariosq; ante omnes collocat. Et læuum quidem cornu Neolao fratri commendat: dextro ipſe præeſt. Poſt hæc paulatim procedente utroq; exercitu, dextrum quidem Molonis cornu fidem ſeruauit: magnoque ac forti animo impetum in Zeuxim fecit. Læuum uero cornu, ſimulatque in conſpectum regis uentum eſt: ad hoſtes tranſiuit. quo facto, repente qui cum Molone erant, animus cecidere: regiæ uero copiæ duplo audaciores factæ. Molon, poſtquam proditum ſe à ſuis, & circunclusum ab hoſtibus intellexit: agitans animo quas pœnas luere eum oporteret, ſi uiuus in manus hoſtium perueniret: mortem ſibi conſciuit. Itidem cæteri quoque, qui à rege defecerant, fecere. ad ſuos enim ſinguli quiq; miniſtros conuerſi mortem exorarunt. Neolaus, cum è prælio incolumis fugiſſet: in Perſidem ad Alexan-

drum Molonis fratrem profectus, matrem Molonis, & pignora interfecit. poſt quorum mortem idem factitaſſe. Rex caſtra hoſtium depopulatus, corpus Molonis in cele briori Mediæ loco crucifigi iuſſit. Poſt hæc copias longa oratione hortatus, & uenia data, miſit, qui eos in Mediá reducerent, resq́; eius prouinciæ componerent. ipſe Seleuciam profectus, circunſtantium ciuitatum res compo ſuit: manſuete, ac prudenter in omnibus ſe gerens. Hermeas propoſiti ſui memor, è ueſtigio Seleucenſibus, q̀ à fide defeciſſent: mille talentorum mulctam irrogauit: opti mates quamplures in exilium miſit: multos carcere, uin culis, gladio interfecit. Rex tamen mitigato ad extremum animo humanius ſe in ciues egit: & duntaxat centum quinquaginta talenta patrati facinoris pœnam à Seleu cenſibus exegit. His rebus moderatis, Diogenem quidem Mediæ, Apollodorum uero Suſianæ prouinciæ duces reliquit. Tychonem ſcribarum principem copijs præfectũ ad Rubri maris loca tranſmiſit. Defectio igitur Molonis, & bellica motus, qui exinde ſunt ſecuti: hunc finẽ habuere. Rex felici rerum ſucceſſu elatus animo, & propinquos barbaros principes deterrere cupiens, ne in poſterũ auxilijs aut commeatu adiuuare à ſe deficientes auderent: caſtra aduerſus eos mouit: & primo aduerſus Artabazanem: qui & principatu, ac uiribus maior cæteris, & ciuitatibus ſuis propinquior erat. Sub idem tem pus Hermeas aſcendere quidẽ in ſuperiora loca ob imminens periculum formidabat: cupiebat autem, uti à principio ſtatuerat, exercitum aduerſus Ptolemæum du cere. Veruntamen cum nunciatum interea eſſet, ortum regi eſſe filium: cogitans ſecum, ſi forte Antiocho accide

ret, ut à

ret,ut à barbaris opprimeretur,ſe filio tutorem relictum facile totius regni dominum fore,utilem ſibi tandem eſſe eam profectionem exiſtimauit. Paratis igitur ad hoc omnium animis,profecti ſuperato Zagro,Artabazanis prouinciam inuadunt. Artabazanes aduentu regis perterritus,maxime propter ætatem,ut qui iam ferè ſenio confectus erat:tempori cedendum ratus, cum rege fœdus inijt:pactis conditionibus,quæ uiſæ Antiocho fuerunt. Firmato fœdere,Apollophanes medicus, quem tum rex uehementer amabat: uidens Hermeam authoritate,quam habebat,nimis inſolenter utentem,et de rege timere cogebatur:ſed longe magis de his,q cum rege erant. Quamobrem expectata temporis opportunitate,regem adit. hunc precatur:ne Hermeæ audaciā contemnat:ne'ue illam tandiu ferat:quoad in fratris calamitates incidat.certe id periculū iam non longe abeſſe.proinde debere eum celeriter ſuæ,amicorumq; ſaluti conſulere. Antiocho conſilium eius probante:quod & grauiter ferret,& formidaret Hermeam:magnas autem illi gratias agente,ꝙ de rebus,quæ ad ſalutem ſuam pertinerent,ſecum loqui non dubitaſſet: Apollophanes quidem audacior in poſterū factus eſt,uidens haud fraudatum ſe opinione,quam de rege conceperat. Antiochus autem Apollophanem hortatus eſt:ut non modo uerbis, uerumetiam operibus ſuæ,amicorumq; ſaluti prouideret. Illo paratum ſe ad omnia aſſerente,tale quiddam machinati ſunt. Diſſimulantes regem morbo oculorum grauiter afflictum,curam eius in aliquot dies protendunt:quo ſpatium haberent rē interea componendi. Poteſtatem quoq; à rege accipiunt priuatim quibus uidere

tur, exhibendi pecuniam: ut facilius ad patrandum faci nus accederent. ſubornatis igitur, qui apti ad eam rem uidebantur: ut pote nemine id propter odium in Hermeã non libenter faciente, tanto perficiendo opere incumbũt. Aſſerentibus igitur medicis oportere Antiochum cum prima luce ad captandum frigus deambulare, Hermeas conſtituto tempore ad eum uenit unà cum amicis, qui participes huius conſilij erant. reliqui uero in caſtris remanſere: ut qui nihil de profectione regis audiuerant. Illi igitur extractum è caſtris Antiochum in deſertum quendam locum deduxere: ubi mox, rege id nutu ſignificante, Hermeam interfecerunt. Per hunc igitur modum Hermeas occiditur: haud ſatis digna rebus à ſe geſtis pœna affectus. Rex non paruo mœrore, ac formidine liberatus, domum deinde reuertitur: omnibus per uniuerſam prouinciam conſilia, & res geſtas eius in cœlũ extollẽtibus: maxime poſtquam de Hermeæ morte cognouerunt. Eodem tempore Apamiæ mulieres uxorem, pueri filios Hermeæ interfecerunt. Cũ domũ perueniſſet Antiochus: dimiſſis in hiberna copijs, legatos ad Achæũ mittit, queſtum primo quidẽ, ꝙ diadema aſſumere, & ſe regem appellare auſus fuiſſet: deinde ꝙ palàm Ptolemæi partes ſequeretur. Enimuero Achæus quo tempore rex aduerſus Artabazanem exercitum duxit, ratus aut periturum in ea prouincia regem, aut, ſi non periret, ſe ante reditum eius propter longitudinem itineris impetum libere in Syriam facturum, & Cyrraſtarum, qui nuper à rege defecerant, auxilio repente id regnũ occupaturũ; cũ maximis uiribus è Lydia profectus eſt. cumq; Laodiceam in Phrygiam ueniſſet: diadema aſſumpſit: et tũc

primum ſe regem appellare, ac ad ciuitates ſcribere auſus eſt: Syniride exule eum ad hoc maxime hortante. Cum deinde cœptum iter continuaret: & iam non lõge à Lycaonia abeſſet: diſſidere ab eo milites cœperũt, moleſte ferentes aduerſus primum eorum regem exercitum duci. Quamobrẽ Achæus uoluntatem illorũ cernens, à cœpto itinere deflexit: & uolens militibus pſuadere, ſe ab initio quidem habuiſſe animum dicendi in Syriam exercitum, conuerſo greſſũ Piſidicam omnem regionem depopulatus eſt: diſtributaq; inter milites innumebili præda, omnium ſibi beneuolentiam concilians domũ remeauit. Rex igitur optime omnia hæc edoctus, legatos, ut ſupra diximus, ad Achæum miſit: omnia interea prouidens, quæ ad bellum aduerſus Ptolemæum gerendum neceſſaria uidebantur. Congregatis tandem Apamiæ copiis, & iam ineunte uere, amicos in conſilium uocat: et quomodo rebus bellicis utendum uideatur, dicere ſingulos iubet. Tunc multis uaria diſſerentibus, & de locis, & de apparatu, & de claſſe conficienda, inſurgens tandem Apollophanes, de quo ſupra memorauimus: qui genere Seleucenſis erat: omnes eorum, qui ante ſe dixerãt, ſententias damnauit: ſtultum eſſe inquiens, in inferiorẽ Syriam exercitum ducere: Seleuciam autẽ pati à Ptolemæo teneri: quippe quæ origo, & cauſa eſſet principatus eorũ: quam præter dedecus, quod regno ſuo afferebat: regum Aegyptiorũ præſidio cuſtoditam, maximas atq; optimas ad res gerendas cõmoditates habere. etenim poſſidentibus hanc hoſtibus, maximum ſibi ad omnes conatus impedimentum eſſe: cum non minorem curam adhiberi oporteat ad defendenda ſua ob formidi-

nem eius urbis: quàm ad loca hoſtium offendenda: ipſis uero eam tenentibus, non ſolum tuto poſſe tueri ſua: uerumetiam maximum quodq; facinus mari terráq; aggredi ob ſummam loci opportunitatem. Omnibus Apollophanis ſententiam approbantibus, hanc primum urbẽ recipere decreuerunt. nam tum quoq; Seleucia regum Aegypti præſidio cuſtodiebatur à tempore, quo regnauerat Ptolemæus, cui Benefactor cognomentũ fuit. Hic enim quo tempore propter caſum Beronices, & iram, q̃ ex ea re animo conceperat, in Syriam exercitum duxit: hac urbe potitus eſt. Antiochus igitur firmata Apollophanis ſententia, Diogneto præfecto claſſis iubet: ut amputata mora Seleuciam nauiget. ipſe Apamia cum exercitu profectus, circiter quinq; ſtadia diſtans ab urbe caſtra iuxta Hippodrorum ponit. Theodotum Hemiolium cum ſufficienti exercitu in Syriam mittit: qui loca anguſtias præoccupet: & omni conatu rebus eius prouinciæ incumbat. Seleuciæ, & circunſtantium locorũ ſitum huiuſmodi eſſe contingit. Vrbs quidem, cum in littore maris poſita ſit, inter Cilitiam, & Phœnicem: altiſſimus mons eis ſubiacet: quem Corypheum uocant. cuius latus, q̃d ad Occidentem uergit: abluit extremitas pelagi, quod eſt inter Cyprum, & Phœnicem: quod uero Orientem ſpectat: Antiochenorum, & Seleucenſium regionibus imminet. Ad Meridiem Seleucia ſita eſt, diuiſa quadam ualle profundiſſima, & prorſus inacceſſa. hæc ad mare uſq; protenditur, compluribus in locis ſcopulis, ac præcipitijs circundata. Sub latere, quod mare aſpicit: ſunt emporia, & ſuburbia, altiſſimis munita mœnibus. Similiter omnis urbs tutiſſimo muro ſepta eſt. præ

terea nauibus, & omni genere apparatus ampliſſime ornata. Aggreſſum unum duntaxat habet à latere maris, & eum quidem difficilem, ac manufactum. ſiquidem per ſcalas conſcendere oportet. Non longo ab hac Orontes fluuius in mare delabitur: qui à Libano, & Antilibano ortum habens in Antiochiam fertur: per quam iugiter defluens, & morbos ob multitudinem aquarum humanis corporibus deferens, tandem non longe ab urbe Seleucia in mare diffunditur. Antiochus igitur principio ad eos, qui urbi præerant: miſit pecuniam: & ſpes in futurum ampliſſimas pollicitus: ſi Seleuciam ſibi ſine prælio traderent. Cum autem principes urbis corrumpere non ualeret: quoſdam è mediocribus ducibus ſubornauit: cum quibus re compoſita inſtruit acies: tanquam naualibus copijs urbem à mari, terreſtribus uero ab ea parte, quæ Epyrum aſpicit, aggreſſurus. Diuiſo itaq; in tres partes exercitu, & animis militum oratione accenſis, ampliſſimis præterea unicuiq; propoſitis præmijs, Zeuxidi quidem, & his, qui cum eo erant, eum locum dedit: in quo eſt porta urbis in Antiochiam ferens: Hermogeni uero locum, per quem Dioſcurium itur: Ardyi autem, & Diogneto ſuburbium, & maritimas partes. quippe ita cum proditoribus conuenerat: ut quamprimum ui ſuburbanum cepiſſent: urbs quoq; eis traderetur. Dato igitur à rege ſigno, omnes undecunq; maximis uiribus urbem aggrediuntur: audaciſſime uero, qui cum Ardye, & Diogneto erant. nam cætera loca neq; inuadere quiſquam poterat: neq; ſcalas mœnibus admouere: emporia uero, & ſuburbium facile & aggreſſionem hoſtium & ſcalas

recipiebāt. Quamobrem naualibus quidē copiis empo-ria, qui uero cum Ardye erant, ſuburbium aggredientibus, & frequentes mœnibus ſcalas admouentibus, cum iî, qui intra urbem erant, ferre ſuppetias non poſſent: q̄ urbs undiq; ab hoſtibus claudebatur: accidit ut ſuburbium repente in poteſtatem hoſtium peruenerit. Quo facto. mox priuati duces à rege corrupti ad Leontium, qui tum in urbe principatum tenebat: concurrentes, mittendos ad Antiochum legatos de conditionibus tradendæ urbis iudicarunt: antequam ui ab hoſtibus expugnaretur. Leontius, etſi proditionis ignarus erat: trepidatione tamen ſuorum perterritus, repente ad Antiochum miſit: qui pacta omnium, qui in ciuitate erant ſalute, urbem regi traderent. Rex acceptis conditionibus, daturum ſe liberis ſalutem pollicitus eſt. hi circiter ſex millia hominum erant. ingreſſus autem ciuitatem nonmodo liberis pepercit: uerum & reuocatis in urbem Seleucenſium exulibus, & remp. & proprias fortunas omnibus reſtituit. portum, atq; arcem urbis ſufficienti præſidio muniuit. Cum deinde adhuc Seleuciæ moraretur: literæ à Theodoto afferuntur. in q̄bus eum hortabatur: ut quamprimum in Syriam maturaret. Rex diu anceps conſilii fuit: & quomodo his rebus utendum foret, anxius, atq; ſolicitus. Enimuero Theodotus, cum genere Aetolus eſſet: & maximos uſus regno Ptolemæi, ſicuti ſupra memorauimus, præſtitiſſet: ac ſæpenumero illius gratia de uita periclitatus fuiſſet: quo tempore Antiochus aduerſus Molonem exercitum duxit: comtempto rege, & iis, qui in aula erant, diffidens, per ſe quidem capta Ptolemaide, per Panetolum uero Ty-

ro, Antiochum confeſtim acceſsiuit. Rex omni conatu aduerſus Achæum intentus, ac cætera omnia poſthabenda exiſtimans, eodem, quod prius fecerat, itinere copias mouit. cumq; ad eum locum perueniſſet, quem Marſyam incolæ uocant: caſtra circa anguſtias, quæ ſunt iuxta Gerra, poſuit, non longe à palude, quæ in medio eius loci ſita eſt. Hic cum per nuntios cognouiſſet. Nicolaum ducem Ptolemæi urbem Ptolemaidem, in qua Theodotus erat, obſideret: relictis grauioris armaturæ militibus, & iuſſis ducibus, ut Brochos oppidum ſupra paludem ſitum obſiderent: ipſe cum expeditis ad diſſoluendam obſidionem maturat. Nicolaus aduentu regis per exploratores cognito, ipſe quidem diſſoluta obſidione mox inde abijt. Lagoram autem Cretenſem, & Dorymenem Aetolum ad præoccupandas, quæ circa Berytum ſunt, anguſtias miſit. Cum quibus rex congreſſus, cum ſtatim eos in fugam uertiſſet: in ipſis anguſtijs caſtrametatus eſt. dehinc coactis eodem in loco reliquis copijs, multitudinem pro tempore hortatus, cum omni exercitu magno ac forti animo iter proſequitur. Accedentibus deinde obuiam Theodoto, & Panetolo cum eorum amicis, rex benigne atq; humaniter illos ſuſcipiens, Tyrum, ac Ptolemaidem, omnemq; , qui in his erat, belli apparatum accepit. Erant autem in his ciuitatibus quadraginta naues: quarum XX erant cataphractæ, omniq; apparatu neceſſario diligentiſſime inſtructæ, quinqueremes omnes, aut quadriremes: reliquæ uero triremes, aut biremes, aut actuariæ. Has Diogneto præfecto claſſis tradidit. Cum interea nuntiaretur: Pto-

lemæum latenter Memphim confugiſſe: omnes uero copias eius iuxta Peluſium congregari: & aquarum aditum ex omni parte intercludere: à propoſito inuadendi Peluſium deſtitit: & per prouinciam graſſatus, ciuitates partim ui, partim perſuaſionibus conciliare ſibi nititur. Ciuitatum quidem aliæ præſidio uacuæ, in timore regiæ potentiæ confeſtim ſe hoſtibus dedidere: aliæ uel apparatu rerum neceſſariarum, uel ſitu locorum fretæ, impetum eorum tolerarunt. quas rex obſidere compulſus, non parum temporis terere cogebatur. Ptolemæus de ferendo ſuis ſubſidio ob impotentiam mentionem nullam faciebat. ita ſemper res omnes ad bellum pertinentes contempſerat. Agathocles, & Soſibius, qui tum ſummam regni in manibus habebant: non tam quid deceret, quàm quid fieri poſſet, conſiderandum in præſentia exiſtimantes, legatos ad Antiochum de pacis conditionibus miſère: miſſis etiam ad Rhodios, & Byzantios, & Cyzicenos, & Aetolos nuntijs, qui eos hortarentur de mittendis ad eundem pro componenda pace legationibus. Quæ cum è ueſtigio ad utrunq; regem miſſæ fuiſſent: maximam eis opportunitatem præbuerunt parandi interim, quæ ad bellum neceſſaria forent. Ptolemæus enim ſuſceptis humanitir cum cæterorum, tum præcipue Antiochi legatis, mercenarium interea militem, qui ſparſus per exteras ciuitates erat: Alexandriæ congregare: alios, qui nouum militum delectum haberent, extra prouinciam mittere: commeatum abunde omnibus parare: deniq; dies noctesq; intentus ad bellicos apparatus eſſe: Alexandriam continue aliquos, ne qua res ad bellum neceſſaria deeſſet: tranſmittere. Præ-

parandorum armorum, & conſcribendi exercitus curam Echecrati Theſſalo, & Phoridæ Melitenſi dederat: item Eurylocho Magneti, & Socrati Bœotio: cum quibus etiam erat Cnopias Alorites. aptiſſimos quippe eſſe ad hanc rem huiuſmodi uiros putabat: qui, quoniã cum Demetrio etiam, atq; Antigono militauerant: bellicarum rerum peritiſſimi habebantur. Hi ingenti exercitu contracto, omnia prudenter ac ſtrenue prouidebant. primo enim pro generis, atq; ætatis cuiuſq; differentia armaturas inter milites diuidebant, ſingulis aptiſſimas quoq; diſtribuentes, & eas, quibus prius utebantur, improbantes, poſthæc peculiariter unumquenq; ad futuros uſus ordinabant: milites continue exercebant: non ſolum præceptis, uerum & fictis certaminibus eos aſſuefacientes. deinde conciones armatorum aduocabant: & ad futurum bellum milites hortabantur: in quibus maximam uim habebant Andromachus Aſpondius, & Polycrates Argiuus: qui nuper è Græcia aduenerant: homines rebus bellicis aſſueti, & patriæ ac morum ſplendore clariſſimi: Polycrates etiam antiquitate familiæ, & Mnaſiadæ patris gloria. Hi copias publice ac priuatim hortantes ad futura certamina animos militum inflammabant. Singuli præterea proprios ducatus in exercitu habebant: prout quiſq; maxime in ea re expertus erat. Eurylochus Magnes tribus millibus hominum præerat: quos reges Agnema uocant. Socrates Bœotius circiter duo millia ſcutatorum ſub ſe habebat. Phoxidas autẽ Achæus, ac Ptolemæus Thraſenſis, & cum his Andromachus Aſpondius phalangem, & mercenarios milites exercebant. Præerant

autem phalangi Andromachus, & Ptolemæus: mercenarijs Phoxidas. Phalanx circiter uigintiquinque millia hominum continebat: mercenarij haud pauciores erant octo millibus. equites regios, qui ferè ſeptingenti erant: Policrates inſtruxerat: item eos, qui acciti ex Libya fuerant: item qui ex prouincia delecti. horum omnium ipſe dux erat, numero trium millium. græcos uero, ac mercenarios equites Echecrates Theſſalus aſſue faciebat: hi erant circiter duo millia hominum: quibus ipſe præfectus non parum momenti rebus bellicis afferebat. Nullo autem in gerenda militum cura ſegnior erat Cnopias Allorites. Hic cretenſes omnes ſub ſe habebat, numero ad tria millia hominum: in quibus erant tyrones mille: quibus Philonem Gnoſium præfecerat, Armata præterea erant inſtar Macedonum tria millia Afrorum: quibus Ammonius Barcæus præerat. Ad hæc Aegyptiorum circiter duo millia ſub Soſibio duce erant. Deniq; Thracum, & Gallorum multitudo ex his quidem, qui iamdiu militauerāt: ad quatuor millia: ex his uero, qui nuper fuerant congregati: duo millia, Dionyſium Thracem habebant ducem. Hæ tum Ptolemæi copiæ erant. Antiochus autem, cum Duram urbem obſidione cinxiſſet: nihilq; ad extremum efficere ſe poſſe intelligeret, partim munitione urbis, partim Nicolai ſubſidio impeditus: adueniente hyeme legatis ptolemæi inducias conceſſit: & deceſſurum ſe à prouincia, omniáq;, quibus illi gratificari poſſet: ſponte, libenterq; facturum promiſit. quanquam longe hic animus à rege aberat. feſtinabat enim copias in hyberna Seleuciam ducere: ꝙ Achæus eſſe quidem in ſocietate

ſecum uideretur: ſed proculdubio Ptolemæo faueret. Factis igitur inducijs Antiochus repente legatos emiſit. iuſſos, ut quid Ptolemæo uideretur, ſtatim nuntiarent: ſibiq; Seleuciæ occurrerent. ipſe relicto in locis, quibus erat opus, ſufficienti præſidio, & cura omnium rerum Theodoto tradita, exercitum uerſus Seleuciam mouit. Cum eò perueniſſet: copias in hiberna dimiſit. curam exercendorum militum iam inde ab eo die negligere incœpit: ratus haud neceſſarium ſibi poſthac prælium fore: quod iam pleraq; loca Syriæ, & Phœnicis occupaſſet: reliqua partim ſponte, partim hortatu uentura in poteſtatem ſuam ſperaret: præſertim non audente Ptolemæo ſecum in prælium deſcendere. Accidit forte, ut legati eundem animi conceptum haberent: quod Soſibius benigne, atque humaniter eos Memphi allocutus eſſet: apparatum uero, qui Alexandriæ fiebat: nemo unquam eorum, qui ad Antiochum mittebantur: cernere potuiſſet. Verum enim uero dimiſſis tunc legatis Soſibius quidem cum ſuis ad omnia gerenda paratiſſimus erat: Antiochus uero maximum adhibebat ſtudium ut non tam armis, quàm iure ciuitates ſibi aſciſcere uideretur. Cum tandem legati Seleuciam ueniſſent: & in particularem ſermonem de pace ſecundum Soſibij mandata deſcendiſſent: rex quidem manifeſtam iniuriam, quam fecerat in occupandis Syriæ locis: minime grauem, aut iniuſtam exiſtimabat: nihilque à ſe non iure factum affirmabat eſſe. Antigonum enim Monoculum, & Seleucum, qui primi ea loca occupauerant: ueriſſimos, ac iuſtiſſimos dominos

fuiſſe aiebat. quamobrem ad ſe, non ad Ptolemæum Syriæ regnum quaſi hæreditario iure pertinere. quippe Ptolemæum aduerſus Antigonum pugnaſſe, non ſibi, ſed Seleuco eorum locorum imperium quærentem. Præterea communem omnium regum conceſſionem in medium afferebat. nam quo tempore ſuperato Antigono diuidere inter ſe regna Caſſander, & Lyſimachus, & Seleucus uoluerunt: Seleuci eſſe omnem Syriam iudicauere. Hæc, atq; alia huiuſmodi rex Antiochus. At legati Ptolemæi his contraria afferre conabantur. ſiquidem & præſentem iniuriam augebant: & rem longe, q̃ fuerat, grauiorem faciebant: uiolatum eſſe fœdus dicentes & in proditione Theodoti, & in hoſtili profectione Antiochi in Syriam. Addebant præterea Ptolemæi Lagi poſſeſſionem: dicentes iccirco Ptolemæum unà cum Seleuco aduerſus Antigonum geſſiſſe bellum: ut totius Aſiæ imperium Seleuco uendicaret: Syriam uero, & Phœnicem ſibi aſciſceret. Hæc, atq; alia huiuſmodi ſæpius ab utriſq; dicebãtur: tandem'q; nihil prorſus concludi poterat: quan quam res per communes amicos tractarentur. maximã quippe difficultatem utriſq; afferebant Achæi partes. nam Ptolemæus quidem includere eum in fœdere ſummopere ſtudebat. Antiochus uero ne uerbum quidem ullum de eo poterat audire: graue exiſtimans, audere Ptolemæum de iis facere mentionem, qui per proditionem à rege defeciſſent. Ad extremum igitur re infecta legati diſceſſere. Appetente deinde uere, Antiochus omni ſtudio copias cogit, ueluti terra mariq; Syriam aggreſſurus: & cætera eius prouinciæ loca ſubditurus. Ptolemæus uero haud ſegnius augere Nicolai uires co-

natur: commeatumq́; in loca Gazæ propinqua abundā tiſſime mittit: terreſtres naualesq́; copias, & cætera ad bellum neceſſaria ſuppeditat. Quibus rebus Nicolaus audacior factus, forti animo in bellū deſcendit: adiuuā te Perigene claſſis præfecto: quem cum naualibus copijs Ptolemæus miſerat, habentem cathafractas naues triginta, onerarias ultra quadringenta. Nicolaus quidem genere Aetolus erat, uſu atq; audacia in rebus bellicis nemini eorum, qui cum Ptolemæo erant, ſecundus. Hic, præoccupatis cum parte copiarum anguſtijs, quæ ſunt circa Platanum: ipſe cum reliquo exercitu Porphyreonem profectus, ingreſſum regi in prouinciam prohibet: naualibus copijs ad hoc eum adiuuantibus. Antiochus autem, cum Marachum ueniſſet: accedentibus ad eum de conditionibus ineundæ ſocietatis Aradibus, non ſolum ſocietatem eorum libenter, cupideq́; amplexus eſt: uerumetiam omnem, quæ inter illos iamdiu fuerat, diſcordiam ſedauit: reconciliatis Aradibus, qui inſulam colebant: cum ijs, qui habitabant Epirum. Poſt hæc in prouinciam per eum locum, quem incolæ dei Proſopū uocant, ingreſſus, Berytum uenit: Botra urbe in itinere capta: Triereq́;, & Calamo incenſis. Hinc Nicarchum, & Theodotū permittit, iuſſos, ut anguſtias, quæ ſunt circa Dycum amnem: præoccuparent. ipſe cum reliquis copijs profectus, iuxta Damurā flumen caſtrametatus eſt: Diogneto præfecto claſſis haud procul nauigante. Hinc rurſus acceptis leuioris armaturæ militibus, quos cum Theodoto, & Nicarcho præmiſerat: ſpeculatum proficiſcitur anguſtias, quæ à Nicolao præoccupatæ fuerant. ubi notato diligenter locorum ſitu, in præſentia quidem

in caſtra reuertitur. poſtridie uero relictis ibi grauioris armaturæ militibus, & Nicarcho eis præpoſito, ipſe cũ reliquis copijs greſſum aduerſus hoſtes maturat. Cum Libanus mons in ijs forte locis littus intra breuem atq; anguſtum locum claudat: accidit ut ipſe quoq; breuis ſit, et difficilis, ac penè inacceſſus: breuẽq; & diffilem iuxta mare relinquat uiam. In qua tunc caſtrametatus Nicolaus, cum loca illa partim multitudine militum præoccupaſſet: partim machinis, ædificijsq; tumultuarie factis muniuiſſet facile arcere ſe poſſe Antiochum exiſtimabat. Rex, diuiſis in tris partes copijs, uni quidẽ Theodotum præficit, iuſſum, ut facto impetu hoſtes, qui callẽ montis tenebant, aggrederetur. aliam Menedemo aſſignat: pluribus eum uerbis hortatus, ut per mediũ montem iter facere conaretur. tertiam partem duce Diocle in littore collocat. ipſe cum calonum multitudine medium locum tenet: quo & cuncta aſpicere, & ſubuenire indigentibus poſſet. Eodem tempore Diognetus, & Perigenes inſtructi nauale prælium ingrediebantur, terræ, quantum fieri poterat, nauigijs appropinquantes: ut quaſi unus aſpectus foret terreſtris, naualisq; certaminis. Cum igitur uno ſigno, & una uoce præconis præliũ omnes eſſent ingreſſi: in mari quidem diu æquis penè uiribus pugnatum eſt: nullam in partem inclinante uictoria: ꝙ & hominum multitudine, & apparatu belli pares utriuſq; claſſis uires erant. In terra uero meliores principio Nicolai partes fuere: ꝙ nõ parũ opis ex ſitu locorum conſequeretur. mox uero prorũpentibus ex ſuperiore parte montis ijs, qui cũ Theodoto erant: & acerrime impetum in hoſtes facientibus: Nicolaus, cæteriq;, q

una erant: turpiſſime ſe in fugam uertuntur. Circiter duo millia eorũ inter fugiendũ ſunt cæſa. reliqui ſe Sidonem receperũt. Perigenes, etſi de nauali bello optima ſpe eſſe uidebatur: conſpecto tamen terreſtriũ copiarũ conflictu, ipſe quoq; eodẽ tuto confugit. Antiochus congregatis copijs profectus, caſtra iuxta Sidonem poſuit. Veruntamẽ tentare in præſentia eã urbẽ inutile putauit, tum ob copiã commeatus, quæ intus maxima erat. tum propter hominum multitudinẽ partim incolentiũ prius hunc locũ, partim eorum, qui nuper accepta clade eò confugerant. Quamobrem motis caſtris ipſe quidẽ uerſus Philoteriã abijt. Diogneto uero præfecto claſſis mandauit: ut Tyrũ nauigaret. Philoteria quidem iuxta paludẽ ſita eſt: in quã Iordanes fluuius defluens rurſus in agrum eius urbis exit: quam Scytharũ uocant. His duabus urbibus è ueſtigio potitus, animum ad res futuras mirũ immodũ auxit: ꝙ ager illarum ſatis ſuperq; eſſet ad præbendũ uniuerſo exercitui commeatum, ac cætera bello neceſſaria ſuppeditanda. Impoſito igitur his urbibus ſufficienti præſidio, ſuperatis mõtibus, Atabyrũ uenit: quæ urbs in Maſtodie colle ſita ferè XV ſtadiorũ aſcenſum habet. hic collocatis propè urbẽ inſidijs, urbanos in certamẽ prouocat. quos cũ pugnando ſui quaſi cedentes longius protraxiſſent: rurſus in eos conuerſus, inſurgentibus à tergo alijs, magna ex parte cæcidit: ac reliquos deinde perſecutus, eos et unà eorum urbem cepit. Sub idem tempus Cereas, unus ex Ptolemæi præfectis, ab eo defecit. cuius opera uſus Antiochus, pleroſque ex illius ducibus ſibi aſciuit. quippe Hippolochus Theſſalus non longe poſt cum trecentis equis ad eum uenit. Impoſito Ata-

byrij quoq; præſidio, iter cœptum proſequitur: & in itinere Pella, & Camum, & Geprum occupat. Inter hæc Arabiæ populi in unum conuenientes unanimiter regi adhæſere. qua ſpe Antiocho addita, accepto ab ijs commeatu, in interiora loca progreditur: & mox Galatem capit, unà cum Abilitarum præſidio: quibus dux præerat Nicias Nemnei neceſſarius, atq; affinis. Cum adhuc Gadara ſupereſſent: quæ tum uidebantur natura loci inexpugnabilia eſſe: caſtris iuxta ea poſitis, & erectis machinis, hanc quoq; è ueſtigio ciuitatem occupat. Poſt hæc cum ei nunciatum eſſet, in urbē Arabiæ Rabbatamaſſanam magnam multitudine hoſtes conueniſſe: omnemq; agrum Arabum, qui ei adhæſerant, depopulari, atq; uaſtare: eductis repente copijs eò uenit: caſtraq; iuxta eos colles, in quibus ea urbs ſita eſt, poſuit. deinde circum collem profectus, cum animaduertiſſet, è duobus tantummodo locis impetum in urbem fieri poſſe: in his machinas, cæteraq; ad expugnationē eius neceſſaria parauit: operum cura Nicarcho, & Theodoto data. ipſe cætera exequitur. Nicarchus, & Theodorus expugnationi urbis intenti, uter prius partem aliquam murorum in terram deijceret, contendebant. ex quo accidit, ut celerius omni expectatione ingens pars muri corruerit. quo facto, aſſidua noctu & interdiu certamina committebantur: omnibus adhibitis uiribus, ne quid temporis uacuum permitteretur. Sed quanquam continuata diu urbis obſidio fuiſſet: nihil tamen ob multitudinem propugnãtium militum perfici potuit: donec oſtenſo per unum ex captiuis riuo, per quem aquatum obſeſſi proficiſcebantur: eum clauſerunt: lignisq;, & lapidibus, & alijs huiuſmodi rebus ſepſere.

bus ſepſere. tunc enim nulla amplius aquationis ſpe re-
licta, confeſtim ſe hoſtibus dediderunt. Per hunc tandē
modum rex urbe potitus, Nicarchum cum ſufficienti præ
ſidio in ea collocat. Hippolochum autem, & Ceream,
quos defeciſſe à rege diximus: cum quinq; millibus pe-
ditum Samariam mittit, iuſſos, ut ibi conſiſterent: ac o-
mnis ſibi ſubiectos populos tutos ab omni periculo ſerua
rent. poſt hæc cum exercitu profectus, Ptolemaidem ue
nit, ueluti in ea urbe copias hyematurus. Eadem æſta
te Pedneliſſenſes, cum à Selgenſibus obſiderentur: ſum-
moq; in diſcrimine res eorum eſſent: legatos ad Achæū
de petendo ſubſidio miſerunt. Quos cum Achæus liben
ter audiſſet: ſeq; omnia facturum eſſet pollicitus: hi qui
dem magno, ac forti animo obſidinem tolerabant, ſpe
futuri præſidij audaciores facti. Achæus uero Garſyeri
ducem cum ſex millibus peditum & quingentis equiti-
bus miſit, iuſſos, ut amputata omni mora Pedneliſſenſi-
bus ſuppetias ferrent. Selgenſes, aduentu illorum per ex
ploratores cognito, anguſtias, quæ ſunt circa locum, quem
Scalam incolæ uocant: cum maiori parte copiarum præ-
occupant: uias, aditus omnes deſtruunt. Garſyeris facto
impetu Milyadem ingreſſus, & caſtris circa urbē, quæ
Cretenſium dicitur, poſitis, quia ob præoccupatos à Sel-
genſibus locos non poſſe ſe ulterius procedere animaduer
tebat: huiuſmodi dolum machinatus eſt. Motis caſtris re
ferre geſſum cœpit, ſimulans ſe ablatam ſibi omnino fe
rendi ſubſidij poteſtatem exiſtimare: ꝙ præoccupatæ ab
hoſtibus locorum anguſtiæ forent. Selgenſes ueluti deſpe
rata ferendæ opis facultate abijſſe eum rati, alij in ca-
ſtra redierunt: alij in urbem commeatus gratia migra-

nere. Garſyeris conuerſo mox itinere ad anguſtias re-
uerſus, cum locum hominibus uacuum reperiſſet: præſi-
dium ſuorum impoſuit: Phaylo duce illis præfecto: ipſe
cum exercitu Pergem uenit. Vbi aliquandiu cómora-
tus, legatos Pamphiliam, & ad alias ciuitates miſit: qui
inſolentiam Selgenſium oſtenderent: & ad ſocietatem
Achæi, ac Pednelißenſium ſubſidium hortarentur. Sel-
genſes ſub idem tempus duce cum copijs miſſo ſperabant
eijcere ſe ex anguſtijs Phaylum poſſe. cum autem id lon-
ge præter opinionem ſuccederet: multosq́; ex ſuis inter
certandum amitterent: à propoſito deſtiterunt: nihilomi-
nus tamen, immo longe magis, quàm prius, obſidioni, et
erigendis machinis intenti. Garſyeri Etennenſes, qui
montanam regionem ſupra Siden incolunt: octo millia
armatorum miſêre: Aſpendij quatuor. Sidetæ, tum quia
in amicitia cum Antiocho erant: tum propter odium
Aſpendiorum, nullam de mittendis auxilijs mentionem
fecerunt. Garſyeris ſuis, & ſociorum copijs acceptis, Ped
nelißum uenit: ratus ſe primo aſpectu obſidionem diſſo
luturum. uerum cum Selgenſes aduentu ſuo nequaquam
perterritos animaduertiſſet: caſtra non longe ab illorum
poſuit. Pednelißenſes ob longam obſidionem adeo penu-
ria commeatus affligebantur: ut diutius iam tolerare fa-
mem non poſſent. Quamobrem Garſyeris ſumma ce-
leritate opus eſſe uidens, inſtructis duobus millibus ho-
minum, & modio frumenti ſingulis dato, noctu eos in
ciuitatem mittebat. Quod cum Selgenſes intellexiſſent:
repente illos aggreſſi, milites quidem magna ex parte in
terfecere: frumenti quantitatem omnem abſtulerunt. q
bus rebus animo præter modum elati, iam nonmodo ci

uitatem, uerumetiam caſtra hoſtium obſidere nitebantur. ita ſemper nimia audacia Selgenſes efferri conſueuere. Relicta itaq; in caſtris neceſſaria cuſtodia, cum reliquis copijs ex diuerſis locis uno tempore in hoſtes impetum faciunt. Cum undiq; periculum immineret: & iam quibuſdam in locis labefactari caſtra cœpiſſent: Garſyeris magnitudine rei obſtupefactus, & perexiguam ſalutis ſpem habens, per quendam locum incuſtoditum equites emittit. quos Selgenſes timore futuræ cladis arripuiſſe fugam rati, non ſolum non ſunt perſecuti: ſed rem penitus contempſerunt. At illi in circuitu parumper equitantes, mox'q; à tergo hoſtes aggreſſi, acerrimo prælio eos inuadunt. Tum congregati Garſyeridis pedites, quanquam iam fugere uidebantur: conuerſo rurſus itinere in hoſtes feruntur. Ita undiq; circumuenti Selgenſes tandẽ ſe in fugam uerterunt. Pedneliſſenſes uero ob hanc rem animis aucti, eruptione facta eos, qui ad cuſtodiam caſtrorum relicti fuerãt: expulere. Quos omnes Garſyeris longo itinere perſecutus, non mediocri clade afficit. quippe ultra decem millia hominum deſyderati. ex reliqs ſocij qdẽ omnes ad ſuã qſq; domũ remearunt. Selgenſes, itinere per montes facto, in patriã refugêre. Garſyeris poſtridie eius diei cũ exercitu profectus, tranſcendere montes feſtinat: et, anteq̃ Selgenſes recenti adhuc fuga ſoliciti aliqd prouiderent: urbi appropinquare. Selgenſes tum parũ in auxilijs ſociorũ ob cõmunem cladem ſpem habentes, tum recenti caſu deterriti, formidine & anxietate pleni de ſua, patriæ'q; ſalute dubitabant. Quamobrem aduocata concione de mittendo legato conſultabãt uno ex ciuibus ſuis, nomine Logbaſi: cui maxima

amicitia, ac familiaritas fuerat cum Antiocho: qui mortem in Thracia obierat: præterea Laodicem Achæi uxorem ſibi in adoleſcentia traditam, tanquam filiam educauerat: & uirginem egregie iſtituerat. Hunc igitur propterea ad obeundum id officium aptiſſimum exiſtimantes, legatum misêre. At is ad Garſyerim profectus, tantum abfuit ut commiſſum munus, ſicuti bonum uirum decebat, exequeretur: ut è contrario Garſyerim hortatus ſit: uti ad Achæum mitteret, dediturum ſe eis urbem pollicitus. Garſyeris ſpe conſequendæ urbis erectus, confeſtim ad Achæum miſit: qui eum prouocarent: ac de præſentibus rebus certiorem facerent. Cum Selgenſibus uero factis inducijs, percutiendi fœderis tempus ſub prætextu longioris conſiderationis continue differebat: quo interea expectaret Achæum: & Logbaſi perficiendæ rei opportunitatem præberet. Inter hæc cum in ſermonem frequenter inuicem conuenirent: paulatim quaſi cõſuetudine quadã factum eſt, ut milites cõmeatus gratia libere in urbem proficiſcerentur. quæ res multis ſæpenumero internitionis cauſa fuit. Quo fit, ut mihi quidem uideatur ex omnibus animalibus nullum ſtolidius, aut magis expers rationis eſſe: quàm hominem, q̃ plerisq; callidiſſimus omniũ iudicari ſolet. Quod enim caſtra? quot munimenta? quot arces? quot, et quales ciuitates per hunc modũ in manus hoſtiũ deuenêre? Quæ cũ quotidie accidant: cernanturq; ab omnibus: ſemper tamen neſcio quomodo noui, ac rudes in huiuſmodi rebus uidemur eſſe. quod ideo fit: quia ea, quæ ſuperioribus ſæculis maioribus noſtris acciderunt: non conſideramus: ſed ad apparatum frumenti, & pecuniarum, & murorũ,

& ſagittarum intenti, cum labore, & ſumptu hæc dun taxat cóquirimus. quod uero facillimum eſt: maximosq; in periculoſiſſimis temporibus uſus affert: id omnes contemnimus: ac pro nihilo habemus: cum nobis alioquin liceat cum quiete, & tranquillitate in hiſtorijs, & commentarijs rerum geſtarum ediſcere, & quaſi experiri. Sed ut eò reuertamur, unde diſceſſimus: Achæus ad cóſtitutam diem uenit. Selgenſes unà congreſſi maximam de regis erga ſe humanitate ſpem habebant. Logbaſis, congregato interea domi ſuæ ex ijs, qui commeatus gratia in urbem ueniebant, haud exiguo militum numero, hortari ciues cœpit: ne tempus per negligentiam contererent: ſed præſentẽ Achæi erga ſe humanitatẽ animaduertentes rebus ſuis conſulerent: conuocatoq; in concionem populo de fœderis conditionibus agerent. Quæ cũ dixiſſet: congregata mox concione, conſultare de rebus præſentibus cœperunt: conuocatis etiam ijs, qui deputati ad locorum cuſtodiam fuerant. Logbaſis dato hoſtibus, uti conuenerat, ſigno, repente quoſcunq; domi habebat, inſtruit: ſeq; unà cum filijs armatum ad periculum parat. Ex hoſtibus Achæus quidem cum medietate copiarum ad urbem uenit: cum reliquis uero Garſyeris Ceſbedium uerſus proficiſcitur. Id eſt templum Iouis adeo ſupra urbem opportune poſitum: ut quaſi arcis locum tenere uideatur. Cum quidam forte fortuna appropinquantes urbi hoſtes proſpexiſſet: idq; præcipiti curſu multitudini, quæ in concione erat, nuntiaſſet: tanta repente animorum commotio facta eſt: ut diſſoluta concione alij ad Ceſbedium, alij in loca, ad quorum cuſtodiam poſiti fuerant: multitudo ad Logbaſis domum

concurrerint. ubi detecta mox proditione, quidam tumultuario impetu tecta conſcendentes, alij ui per portas ingreſſi, Logbaſim, filioſq;, & cæteros facinoris conſcios crudeliſſime trucidarunt. Poſthæc, proclamata per præconem ſeruis libertate, ſe mutuo hortati in ſubſidiũ urbis, ad loca neceſſaria concurrere. Garſyeris, cum præoccupatum iam à ciuibus Ceſbedium conſpicaretur: à propoſito deſtitit. Achæo autem facere in portam impetum uolente, egreſſi Selgenſes ſeptingentos eorum ceperunt: reliquos maximis uiribus à mœnibus repulere. Poſthæc Achæus quidem, & Garſyeris non ſine dedecore in caſtra remearunt. Selgenſes autem & ſeditionem ciuitatis, & præſentiam hoſtium ueriti, ſeniores urbis ſupplicatum pacem miſerunt. Hi, cum ad Achæũ ueniſſent: fœdus his conditionibus percuſſere: ut pax Achæo, & Selgenſibus foret: Selgenſes ſubito trecenta talenta Achæo ſoluerent: Pedneliſſenſium captiuos reſtituerent: poſt certum tempus alia quadraginta talenta perſoluerent. Ita Selgenſes, qui ob impietatem Logbaſis de patria ac libertate periclitati fuerant: ob ſingularem animi magnitudinem & patriam tutati ſunt: & neq; libertatem, neq; coniunctionem, quam cum Lacedæmonijs habebant: labefactarunt. Achæus, Myliade, & magna Pamphiliæ parte ſubacta, cum Sardes exercitum duxiſſet: bellum aduerſus Attalum gerebat. omnibus autem citra Taurum habitantibus grauis, ac formidabilis erat. Per id tempus, quo Achæus exercitum aduerſus Selgenſes ducebat: Attalus Egoſagas, & Galatas ſecum habens, omnem Aeolidem, & urbes ei regioni propinquas, quæ prius timore ad achæum de-

fecerant: peragrauit. quarum magna pars ſponte, libenterq́; ſe ei dedidere: pars uiribus expugnatæ ſunt. Dediderunt ſe ei primo Cyme, Smyrna, Phocæa. Poſt has Egenſes, & Lemnitæ timore obſidionis ad eum defecerunt. Venerunt præterea à Teijs, & Colophonijs legati, ſeq́; & ciuitates ſuas dedentes. quibus in eodem, quo prius erant, fœdere ſuſceptis, & acceptis obſidibus, Smyrnenſium legatis perhumaniter uſus eſt: ꝙ hi magis erga ſe fidem ſeruaſſent. Continuato deinde itinere, Lycum flumen tranſgreſſus, primo ad Myſios, poſtea ad Carſeas uenit: quibus perterrefactis, & una ijs, qui Dydima mœnia cuſtodiebant: hæc quoq; loca occupauit: tradente ea per proditionem Themiſtocle: qui in ijs locis dux ab Achæo relictus fuerat. Hinc mox profectus, deuaſtato agro, quem Apias incolæ uocant: Pelecantem montem tranſcendit: & iuxta Maximum flumen caſtrametatus eſt. Vbi cum defectus lunæ accidiſſet: Galatæ labores uiarum grauiter, & iniquo animo ferentes, ut qui ſequentes in curribus uxores, ac paruos filios habebant: notato hoc ſigno, minime proceſſuros ſe ultra affirmabant. Rex Attalus, etſi nullam omnino ex ea gente utilitatem habebat: ueritus tamen, ne, ſi à ſe ueluti contemptim relinquerentur: ad Achæum ſe conuerterent: & ipſe non bonam ex hac re famam conſequeretur: quaſi per ingratitudinem dimitteret eos: qui ob egregiam erga ſe fidem tranſiſſe in Aſiam uidebantur: hortatus eſt illos: ut paululum adhuc laborem itineris tolerarent. Daturum ſe mox per opportunum locum, in quo quieſcerent; & omnia, quæ illi uel-

lent: quæq; ipſe poſſet: & deceret: prompto animo effe- cturum. Attalus igitur, conſtitutis ad habitandū Helle- ſpontum Egoſagis, & Lampſacenis, Alexandrinis atq; Ilienſibus, ꝙ in fide erga ſe permanſiſſent: benigne atq; humaniter tractatis, Pergamum cum exercitu eſt profe- ctus. Antiochus, & Ptolemæus ineunte uere, & ne ceſſarijs ad bellum paratis, educere uterq; exercitum maturabant. Ptolemæus igitur Alexandria proficiſci- tur, ultra ſeptuaginta millia peditum ſecum habens, equitum quinq; millia, tris & ſeptuaginta elephantos. Antiochus, cognito eorum acceſſu, è ueſtigio copias co- git. Hæ autem copiæ eius fuere. Daæ quidem, & Car manij, & Cilices in expeditorum modum armati, cir- citer quinq; millia. horum dux erat Byttacus Macedo. Sub Theodoto uero Aetolo proditionis authore erant ex omni regno delecti, & in Macedonum morem ar mati decem millia hominum: quorum magna pars Argyraſpides erant. Phalangis multitudo ultra uigin ti hominum millia continebat. huic Nicarchus, & Theodotus cognomento Hemiolius præerant. Præter hos Agriânes, & Perſæ ſagittarij & funditores cir- citer duo millia hominum erant: cum quibus Thra- ces mille: quorum dux erat Menedemus Alabandeus. dehinc Medi, Ciſſij, Cadyſij, Carmani, ad quinq; mil- lia: quorum curam habebat Aeuis Aſpaſiani Medi fi- lius. Abares autem, & alij ijs finitimi ultra decem millia Zabdibellum ducem ſequebantur. Mercenarios præterea è Græcia milites ducebat Hippulocus Theſſa lus numero quinq; millia hominum. Cretenſes mille & quingentos Eurylochus habebat: Neocretenſes mil-

le zelyſgorgynius: cum quibus unà conuenerant fun- ditores Lydij quingenti: Cardaces ſub Lyſimacho Gallo mille. Equitum omnis multitudo erat ad ſex millia ho- minum: quorum quatuor millibus præerat Antipater regij fratris filius: reliquis uero Themiſon. Ita Antio- chi omnes copiæ erant duo & ſexaginta millia pedi- tum: equitum ſex millia: elephanti centum & duo. Ptolemæus iter per Peluſium faciens, hanc primum urbem in poteſtatem recepit. ubi diſtributo affatim in- ter milites frumento, paulopoſt inde profectus, per Caſ- ſium, & Bathragazam uenit. Hic receptis copijs, mox inde abiens paulatim procedit: ac quinto poſt die quin quaginta ſtadia diſtans ab urbe Rhaphia caſtrameta- tus eſt. quæ urbs poſt Rhinocolura ſita eſt: prima ciuita- tum Syriæ, quæ Aegyptum aſpiciunt. Eodem tempore Antiochus cum exercitu uenit: & hanc urbem præte- riens noctu, caſtra locat circiter decem ſtadia à caſtris hoſtium remota. Principio igitur hoc inter ſe ſpatio diſtantes utriq; morabantur. paucis uero interiectis die- bus, Antiochus opportuniorem locum occupare uolens, & animum militibus ſuis augere, caſtra propius ho- ſtibus admouit: ut uix quinq; ſtadia inuicem diſtarent. ubi, dum aquatum ac pabulatum quotidie proficiſcun- tur: crebra inter ſe certamina committunt. Similiter etiam inter utraq; caſtra modo pedites, nonnunquam equites ſe mutuo aggreſſi, fortunam belli experiun- tur. Sub idem tempus Theodotus magna, ac planè æto- lica audacia uſus eſt. cum enim longa experientia ui- tam ac mores regios didiciſſet: ſub auroram caſtra ho- ſtium ingreditur: & aſpectu quidem propter tenebras

incognitus erat: genere uero ueſtimenti, & reliquo ornatu haud multum à cæteris differens. quippe uarijs illi ueſtibus utebantur. Notato autem præcedentibus diebus loco, in quo tentorium regis erat: q́ ante ipſa ferè caſtra ſæpe inuicem fuerant congreſſi: recta ad illud contendit: cumq́; incognitus omnes pertranſiſſet: clàm in tentoriū uenit: in quo rex uerſari, ac cœnare conſueuerat. Vbi cum omnia diligenter luſtratus, regem minime comperiſſet: (nam in ſecretiori quodam loco quieſcebat) duobus, qui ibi cubabant, uulneratis, & Andrea medico regis interfecto, tuto in propria caſtra reuerſus eſt, audacia quidem propoſitum ſuum conſecutus, ſed deceptus prouidentia: q́ non recte locum, in quo cubare Ptolemæus conſueuerat: inueſtigarat. Reges, cum quinq; diebus aduerſus ſe inuicem caſtra tenuiſſent: deſcendere tandem in prælium ambo decreuere. Cum igitur Ptolemæus mouere è caſtris exercitum cœpiſſet: extemplo Antiochus quoq; idem fecit. Phalanges uterq; rex, & delectos in macedonicum morem armatos aduerſus ſe inuicem collocauit. Ptolemæus utrunq; cornu hunc in modum inſtituit. Polycrates cum equitibus ſibi ſubiectis læuum cornu tenebat. inter hoc & phalangem cretenſem erant iuxta ipſius equites collocati. Poſt hoc regium agema: deinde ſcutati, qui ſub Socrate erant: poſtremo Lybici in macedonicum morem inſtructi. in dextro cornu erat Echecrates Theſſalus, ſubiectos ſibi equites ſecum habēs: poſt quos erant Galatæ, & Thraces: poſt eos Phoxidas cum mercenarijs è Græcia militibus: deinde phalanx Aegyptiorum. Elephantorum in læuo cornu quadraginta poſuerat: in quo Ptolemæus ipſe pugnaturus erat:

tris & triginta ante dextrum cornu iuxta mercenarios equites collocarat. Antiochus uero ſexaginta elephantos, qbus præerat Philippus ſodalis eius: ante dextrum cornu ponit: in quo certare ipſe aduerſus Ptolemæum decreuerat. poſt hos duo millia eqtum, q ſub duce Antipatro erant: collocat. penes eqtes à fronte Cretenſes conſtituit. poſt quos mercenariũ è Græcia militẽ: deinde qnq; millia peditum: q in macedonicum morẽ armati Byttacum ducẽ habebant. In ſiniſtro uero cornu ante oẽs duo millia eqtum ponit: qbus dux præerat Themiſon: penès quos Cardaces, & Lydos ſagittarios collocat: poſtea tria millia expeditorũ: q ſub Menedemo erãt: deinde Ciſſios, Medos, & Carmanios: poſt quos Arabas phalangi iunctos. Reliquos deinde elephantos læuo cornu præponit: Myiſco uno ex pueris regis illis præfecto. Hunc in modũ inſtructis utrinq; copijs, reges ordines ſuos unà cũ ducibus, atq; amicis hortari: publice, priuatim'q; fortitudinẽ militũ extollere: maximã in phalangibus ſpẽ habere. quæ ſint uictoriã ſubſecutura premia, uterq; proponere. Hortabãtur autẽ unà cũ Ptolemæo copias Andromachus, & Soſibius, & ſoror eius Laodice. cũ Antiocho uero Theodotus, et Nicarchus: quod hi apud eos phalãgibus præerant. Poſt hæc uterq; rex paulatim aduerſus alterũ procedit. Ptolemæus qdẽ, cũ ſorore Laodice læuũ cornu tenens, Antiochus cum phalange regia dextrũ. Hic igitur bellicum canentes, primum cum elephantis ſe mutuo inuadunt. Pauci ex ijs, quos Ptolemæus habebat: in aduerſos feruntur. Ex quibus optimam certe faciebant milites pugnam, iacentes haſtas, & ſe inuicem crebris uulneribus afficientes. longe tamen melio-

rem feræ ipſæ faciebant ingenti impetu ſe inuicem impetentes, & faciẽ facie uerberantes. eſt enim hic elephantorum mos: ut inter ſe congreſſi, & mutuis ſe dentibus impetẽs, acerrime pugnent: ſimulatq; uero uulnus aliquod acceperint: non ſecus in omnes dentibus ſæuiant: quàm tauri cornibus. Verum maxima pars elephantorum Ptolemæi prælium formidabat: quod plerũq; accidere lybicis elephantis conſueuit, odorẽ enim & uocem non patiuntur: præterea magnitudinem ac uires, ut mihi uidetur, timentes, indicos ſtatim fugiunt: uti eo tempore accidit. ſubito enim in fugam conuerſi, & ordines ſuorum perturbantes, maximam in phalange Ptolemæi ſtragem fecere. Quod cernens Antiochus: extemplo cũ elephantis equites, qui ſub Polycrate duce erant: aggreditur. ſimiliter mercenarij milites, qui circa phalangem erant: in ſcutatos Ptolemæi feruntur. Quamobrem hos quoq; ordines diſſipantibus feris, læuum cornu Ptolemæi declinauit. Echecrates uero, q dextro cornu præerat: principio quidem ut prædicta cornua congrederentur, expectabat. ubi uero ſurgentem in aëra puluerem, & elephantos ſuos nequaquam ferri in aduerſos audentes animaduertit: mandat Phoxide mercenarium militem habenti, ut à fronte oppoſitos hoſtes aggrediatur. ipſe equites, elephantosq; paulatim educens idem faciat. paribus igitur animis utrinq; congrediuntur. prælium diu atrox fuit. Ad extremum tamen, cum Echecrates ipſe quidem extra periculum elephantorum eſſet: maximam uero ſtragem in hoſtiles equites faceret: Phoxide quoq;, & cæteris, qui cum eo erant, Arabes & Medos præter modum prementibus, læuum cornu Antiochi

in fugam uertitur. Ita cuius dextrum cornu ſuperius erat: læuum fugabatur. Phalanges utriuſq; integræ per manebant, dubiam de futuro ſpem habentes. Inter hæc Ptolemæus fuga ad phalangem facta, cum in medium ueniſſet: ſeq; militibus oſtendiſſet: tantum ſuis animi, hoſtibus uero terroris addidit: ut qui cum Andromacho, & Soſibio erant: abiectis repente armis fugæ ſe commiſerint. At rex Antiochus ut iuuenis, & bellicarum rerum expers, ex ſua uictoria reliquorum quoq; coniecturam faciens, fugientes ſumma celeritate inſequebatur. Quodam uero è ſenioribus eum reuocante, & ſurgentem à Phalange ad eius caſtra puluerem oſtendente, tunc demũ rem intelligens, conuerſo itinere in caſtra conatur reuerti. Cum uero ſuos omnes fugæ expoſitos cõ periſſet: conſilij inops ipſe quoq; Raphiam fugit, putans non ſtetiſſe per ſe, quin pulcherrima atq; honeſtiſſima uictoria potitus eſſet: totiuſq; cladis ſuæ cauſam tarditatem, atq; ignauiam militum fuiſſe. Ptolemæus in phalange quidem uictoria potitus, in dextro uero cornu compluribus equitibus ac mercenarijs ammiſſis, in præſentiarum in caſtra reuertitur: & curandorum corporum poteſtatem militibus facit. Poſtridie eius diei electa ſuorum cadauera tradi ſepulturæ iubet. deinde hoſtium cor poribus ſpoliatis Raphiam cum exercitu contendit. Antiochus, etſi ſtatim ex fuga reuocatis ſuis caſtrametari extra urbes cupiebat: tamen quia milites eius magna ex parte in urbem confugerant: ipſe quoq; idem facere eſt coactus. Sequenti autem die eductis ſub auroram, quæ ex tanta clade ſuperfuerant, copijs, Gazam proficiſcitur: ubi caſtris poſitis, miſſiſq;, qui ſuorum cadauera re-

poſcerent: mortuis parentauit. Deſiderati autem fuerũt ex militibus Antiochi ultra decem millia peditum: equites pluſquam trecenti. uiui circiter quatuor millia in poteſtatem hoſtium peruenerunt. elephantorũ tres in ipſo prælio, duo poſtea ex uulneribus periere: complures eorum uiui capti. Hunc igitur finem habuit memorabile prælium: quo duo maximi reges propè Raphiam de imperio Syriæ certauere. Sepultis cadaueribus Antiochus, cum uniuerſo exercitu domum remigrauit. Ptolemæus Raphia, & reliquis ciuitatibus repente potitus eſt: uniuerſis populis inter ſe certantibus ut in dedendo ſe regi uicinum præuenirent. Antiochus, cum ad ciuitatem eius Eponymum perueniſſet: ſubito Antipatrum fratris filium, & Theodotum Hemiolium legatos ad Ptolemæum miſit: qui pacem à rege precarentur. timebat enim Ptolemæi uires: & perexiguam ſpem ob acceptam nuper cladem militibus habebat. formidabat præterea Achæum: ne opportunitate temporis motus, bello eum infeſtaret. Ptolemæus autem nihil horum cogitans, ſed felici atque inſperato ſucceſſu rerum lætus, benéq; ſecum actum exiſtimans, ꝙ iam omnem Syriam poſſideret: haud alienus à conditionibus pacis erat: ſed plus etiã, quàm ſatis eſſet, pronum ad hoc animum habebat: allectus deſidia uitæ: qua ſemper fuerat uſus. Cum igitur ante eius conſpectum legati ueniſſent: paululũ in Antiochum inuectus, pacem in annum conceſſit: ac Soſibium unà cum eis, qui fœdus firmaret, ad Antiochum miſit. ipſe in Syria, & Phœnice circiter tris menſes commoratus, ordinatis mox ciuitatibus, & cura eorum omnium locorum Andromacho Aſpendio tradita, Ale-

xandriam cum ſorore, & amicis reuerſus eſt. Antiochus firmato cum Soſibio fœdere, & rebus omnibus ex ſententia compoſitis, ad apparatum belli aduerſus Achæum, ſicuti à principio ſtatuerat: ſe conuertit. Hic igitur erat ea tempeſtate aſiaticarum rerum ſtatus. Eodem tempore Rhodij, ſumpta occaſione ex terræmotu, qui paucis ante diebus apud eos fuerat: in quo & coloſſus magnus, & incalia, ac naualia quamplurima deciderant: ita prudenter, atque induſtrie ſe geſſerunt: ut non detrimenti, ſed potius ſummæ utilitatis cauſa hic caſus fuiſſe uideretur. tantum apud homines ignorantia, atq; ſegnities à prudentia atque induſtria differt, non ſolum in priuata uita, uerumetiam in publicis rebus: ut in his ſecundæ res detrimentum, in illis aduerſæ emendationem quandam errorum afferre uideantur. Rhodij enim eam rem magnam ac grauem facientes, et in mittendis quotidie legationibus ſoliciti, in id ciuitates, & maxime reges inducebant: ut nõ ſolum ab ijs maxima munera conſequerẽtur: uerũ ita cõſequerẽtur: ut dantes ipſi, accipere ab ijs gratiã ſe putareẽt. Hieron enim, & Gelon non ſolũ quinq; & LXX talenta ad gymnaſij inſtaurationem eis dederunt, partim ſubito, partim breuiſſimo poſt tempore: uerumetiam lebetes argenteos, & eorum tripodes, & urnas: præterea ad ſacrificia peragenda X talenta: ad ciuiũ uſum alia X: ut omnia C talentorum munus facerent. poſt hæc omnibus, qui Rhodum nauigarent: immunitatem conceſſere. Catapultas trium brachiorum L, & ad extremum, tanquam à Rhodijs beneficium accepiſſent: ſtatuas in celeberrimo totius urbis loco ere-

xerunt: coronatum Rhodium populum à populo Syracuſano. Ptolemæus uero eiſdem promiſit talenta argenti CCC: frumenti artabas (ea eſt menſura medica) ultra decies centena millia: ligna ad faciendas quinqueremes ſex, triremes X: buxi quadranguli brachia circiter XXXX millia: funium tria millia: uela item, atq; arbores ad tria millia: ad inſtaurationem Coloſſi talentorum tria millia: ædificatores C: operarios CCCL: & ad horum uictum ſingulis annis XIIII talenta: præter hæc ad certamina, & ſacrificia artabas frumenti circiter XII millia: item ad commeatum X triremium artabarum XX millia. Quarum omnium re rerum magnam partem in præſentia dedit: argenti totius partem tertiam. Eodem modo Antigonus ligna à XV uſq; ad octo brachia ultra decem millia: tabulas ſeptem brachiorum ad V millia: ferri talenta tria millia: picis talenta mille: alterius picis mille modios. poſt hæc omnia centum argenti talenta pollicitus eſt. Chriſeys autem mulier frumenti centena millia: plumbi talentorum tria millia. Seleucus Antiochi pater, præterquam ꝙ immunitatem nauigantibus Rhodum conceſſit: miſit etiam quinqueremes inſtructas decem: frumenti biſcentena millia, lignorum, retinæ, & capillorũ decem millia, brachiorum, & mille talenta. Similia his Pruſias, & Mithridates fecerunt. Principes præterea omnes, qui in Aſia ſunt: ut Lyſannias, Olympicus, Limneus, ac cæteri. Ciuitates uero, quæ Rhodijs pro ſuis quæq; uiribus gratificatæ ſunt: nemo enumerare facile poſſet. Hæc in præſentia quidem recenſenda exiſtimauimus, primo Rhodiorum gratia: ut eorum induſtria ac uigilantia in rebus publicis

bus publicis

bus publicis manifeſta omnibus foret: (ſunt enim profecto & laude, & æmulatione digni) ſecundo auaritiæ regum noſtri temporis cauſa: & puſillanimitate gentium, ac ciuitatum: ne uel illi quatuor, aut quinque talenta largientes credant ſe grande aliquid atq; amplum facere: ac proinde eandem beneuolentiam, eoſdemq; honores à Græcis quærant, quos priſtini reges habuere: uel ciuitates magnitudinem ueterũ munerum memoria repetẽtes, exiſtiment ſe exiguis noſtri temporis muneribus maximos illis, atq; optimos honores debere: ſed ſeruare dignitatem ſuam conentur: ut Græciæ populi longe à cæteris hominibus differant. Ineunte iam æſtate, cum dux Aetolorum eſſet Agetas: Aratus autem Achæorum dux imperium depoſuiſſet: (nam hoc loco ſuperius à ſociali bello digreſſi ſumus) Lycurgus Lacedæmonius ex Aetolia rediјt. magiſtratus enim, cum falſò iniectam ei calumniam, propter quam diſceſſerat, comperiſſent: confeſtim eum in patriam reuocarunt. Hic igitur miſſus eſt ad Pyrriam Aetolum: qui tum Elienſium dux aduerſus Meſſenios erat. Aratus & mercenarium militem Achæorum male inſtructum accepit: & ciuitates negligenter ad bellum diſpoſitas: ꝙ Eperatus, qui ante eum dux fuerat: male, ut ſupradiximus, ac ſegniter omnia adminiſtraſſet. Veruntamen hortatus Achæos, & decreto eorum accepto, ad belli apparatum omni ſtudio erat intentus. Decretum autem ab Achæis hoc fuerat: ut mercenarij pedites cogerentur non pauciores octo millibus: equites quingenti: ex Achæis uero deligerentur tria millia peditum, & trecenti equites: ex quibus Megalopolitani æneum ſcu-

tum habentes eſſent pedites quidem quingenti, equites L: totidem etiam Argiui eſſent. præterea ut naues quoque pararentur, in litore, & argolico ſinu tres, circa Patras, & Dymen totidem. Aratus igitur in delectu habendo, & huiuſmodi rebus parandis occupatus erat. Lycurgus autem, & Pyrrias, conſtituto inter ſe tempore, quo egredi uterque deberet: uerſus Meſſenem proficiſcebantur. Dux Achæorum, cognita eorum profectione, cum mercenarijs, & quibuſdam delectorum Megalopolim uenit, opem Meſſenijs laturus. Lycurgus Meſſeniorum agrum ingreſſus, mox Calamas oppidum per proditionem accepit. deinde iter proſecutus, miſcere ſe cum Aetolis maturabat. Pyrrias, cum fermè nudus ex Elide aduenißet: ſtatim à Cyparenſibus reiectus iter conuertit. Quamobrem Lycurgus, cum neque iungere ſe cum Pyrria poſſet: neque ipſe ſatis per ſe potens ad res gerendas foret: nulla re memorabili facta, Spartam reuerſus eſt. Aratus, fruſtratis opinione ſua hoſtibus, quod futurum erat, auguratus, iuſſit ut à Taurione pararentur equites quinquaginta, & quingenti pedites: Meſſenij totidem pedites, atque equites mitterent: uolens ijs copijs ab incurſionibus hoſtium ſeruare Meſſeniorum, & Megalopolitanorum, & Tegeatarum, & Arguorum agros: (quippe omnes hæ regiones ſpartano agro finitimæ plus cæteris Lacedæmoniorum bello ſunt expoſitæ) Achæicas uero, ac mercenarijs militibus ab Elienſium, atque Aetolorum periculo Achæiam cuſtodire. His peractis, diſſenſionem, quæ orta inter Megalopolitanos fuerat: iuxta Achæorum decretum compoſuit. Megalopolitani enim, cum

paulo ante à Cleomene patrio ſolo eiecti fuiſſent: egebant quidem multis: ſed rebus omnibus carebant. ſiquidem in dignitate ſua permanentes, commeatum & ſumptus neceſſarios nec publice, nec priuatim habebant. quamobrem ſeditione, ira, ſimultatibus omnia apud eos plena erant. hoc enim & in rebus publicis, & in priuata hominum uita accidere conſueuit: quando neceſſarij ſumptus deſunt. Primo igitur inter ſe de mœnibus urbis diſſidebant: dicentibus alijs, tantum facere eius circuitum oportere: quantum & præſentes eorum fortunæ paterentur: & cuſtodire in tanta paucitate hominum poſſent: alijs autem planè contrarium aſſerentibus. Maxime autem de legibus à Pritanide ſcriptis inuicem contendebant: quem legum latorem eis Antigonus dederat: eratq; inter Peripateticos celeberrimus. Cum hæc in ciuitate diſſenſio eſſet: Aratus ciuiles omnes diſcordias ſedauit: & exardeſcentem iam mutuo Megalopolitanorum iram publice, priuatim'q; reſtinxit. Reconciliatis inuicem Megalopolitanis, repente Aratus inde profectus, ad Achæorum concilium uenit: mercenarijs Seleuco Phario duci relictis. Elienſes Pyrriæ, qꝫ negligenter ſe geſſiſſe uideretur, infenſi, Euripidem ducem ex urbe Aetolia accerſiuerunt. Qui obſeruato Achæorum concilio, & acceptis ſexcentis equitibus, ac duobus millibus peditum, copias extemplo eduxit: omnem'que regionem uſque ad Egiadem depopulatus eſt: & capta ingenti præda, mox Leontium reuertebatur. Lycus ea re cognita obuiã eis profectus, è ueſtigio hoſtibus occurrit: & collatis uiribus circiter quadringentos corũ

interfecit: ducentos uiuos cœpit. in quibus clariores erãt, Phyſſias, Antanor, Clearchus, Euanorides, Ariſtogiton, Nicaſippus, Aſpaſius. armis uero, atque impedimentis omnibus potitus eſt. Sub idem tempus præfectus claſſis Achæorum Molicriã uenit. unde mox profectus, conuerſo itinere Chalœam nauigauit. ubi cum oppidani obuiam exiuiſſent: duas longas naues remigibus, & cæteris neceſſarijs rebus inſtructas cœpit. prætere a nauigia quamplurima parua abduxit. collecta præterea eodem tempore terra marique ingenti præda, & commeatu ac rebus ad uictum neceſſarijs inde acceptis, milites quidem audaciores in poſterum ſunt facti: ciuitates uero meliorem ſpem animo conceperunt: quod neceſſaria ad uictum non cogerentur copijs ſuppeditare. Inter hæc Scerdilaidas iniuria ſe affectum à rege exiſtimans, quod integere ſibi ſtipendium, ſicuti ex fœdere cum Philippo conuenerat: ſolutum non fuiſſet: quindecim lembos cum dolo emiſit. qui cum Leucadem appuliſſent: omnibus eos propter factam cum rege ſocietatem tanquam amicos accipientibus, cum nihil aliud efficere mali poſſent: Agatinum, & Caſſandrum Corinthios, qui tanquam amici eundem portum cum quatuor nauibus ingreſſi fuerant: uiolato fœderis iure, ipſoſq́; & naues eorum cœperunt: ac ad Scerdilaidam ſubito miſere. poſt hæc Leucade profecti, & curſu uerſus Maleam directo, mercatores depopulabantur. Inſtante iam æſtate, & his, qui cum Taurione erant, cuſtodiam prædictarum urbium ſpernentibus, Aratus delectos milites ſecum habens, commeatus gratia in argiuum agrum uenit. Euripides autem cum

multitudine Aetolorum egreſſus, populabundus per Tritenſium regionem graſſabatur. Lycus, & Demodocus priuati Achæorum duces, ubi de aduentu Aetolorum intellexere: congregatis Dymenſibus, & Patrenſibus, ac Pharenſibus, præterea etiam mercenarios ſecum habentes, in elienſem agrum impetum fecerunt. cumq; ad locum ueniſſent, quem incolæ Phyxium uocant: leuioris armaturæ milites una cum equitibus diſcurrere per agrum iuſſerunt: grauiorem uero armaturam circa eum locum in inſidijs poſuere. Concurſantibus mox paſſim, temereq; in ſubſidium ſuorum Elienſibus, cum inſidiarum locum pertranſiſſent: inſurgentes, qui cum Lyco erant: magno impetu in Elienſes irruêre. qui cum reſiſtere eorum uiribus non poſſent: repente in fugam conuerſi. ducenti fere deſiderati ſunt: octuaginta uiui capti. Illi prædam omnem integram abegerunt. Per idem tempus præfectus quoq; claſſis Achæorum, cum ſæpenumero Calidonem, & Naupactum nauigaſſet: regionem omnem depopulatus eſt: & hoſtes bis in fugam uertit. cæpit etiam Cleonicum Naupacticum. qui, quoniam hoſpes Achæorum erat: in præſentia quidem nihil mali paſſus eſt: paucis uero interiectis diebus ſine precio liberatus fuit. Sub idem tempus Agetas Aetolorum dux, congregata multitudine Aetolorum, omnem Acarnânum regionem ferro igniq; uaſtauit. ſimiliter uniuerſam Epirum depopulatus eſt. quæ cum feciſſet: in patriam reuerſus: ſuam cuiq; domum abeundi poteſtatem fecit. Acarnânes deinde in ſtratenſem agrum profecti ſtatimq; ab hoſtibus repulſi, tur-

pem quidem, ſed tamen incolumem fugam fecere: quod Stratenſes inſidias ueriti, perſequi illos non ſunt auſi.

Apud Phanotenſes eodem tempore rurſus proditio facta eſt in hunc modum. Alexander Phocidi à Philippo præfectus, ordinauit proditionem aduerſus Aetolos per Iaſonem quendam: qui à ſe Phanotenſium urbi præpoſitus fuerat. Hic ad Agetam Aetolorum ducem miſſus, pollicitus eſt: ſe Phanotenſium arcem illi traditurum. qua de re & pactum inter ſe firmarunt: & iuſiurandum præſtitere. Cum conſtitutus dies adueniſſet: Agetas noctu eò cum Aetolis uenit: collocatisq; in occulto quodam loco iuxta urbem copijs, centum ex omni multitudine delectos in arcem mittit. Iaſon Alexandrum in urbe cum ſufficienti numero militum paratum habens, iuuentutem ex pacto intra arcem recipit. Alexander repente impetu in arcem cum ſuis facto, Aetolos omnes cepit. Exorta deinde luce Agetas, cum id factum cognouiſſet: exercitum domum reduxit: hac clade, ut alijs ſæpenumero, turpiter ab hoſtibus affectus. Per eoſdem dies Philippus rex Bylazonem cepit, urbem in Pœonia maximam, & peropportune ſitam ad ingreſſum Macedoniæ ex Dardania: in qua ſufficienti præſidio collocato, Chryſogonum ſumma celeritate in ſuperiores Macedoniæ partes miſit: qui nouum militum delectum haberet. ipſe acceptis ex Bœotia, & Amphaxitide copijs, Edeſam uenit. ubi expectato cum Macedonibus Chryſogono mox inde cum omni exercitu diſceſſit: & ſexto poſt die Lariſſam uenit. continuato deinde per noctem itinere, Meliteam appulit: & admotis mœnibus ſcalis capere urbem conatus

eſt:tantóq; terrore ob repentinum & inopinatum aduentum Melitenſes affecit:ut parum abfuerit,quin urbe ſit potitus:& niſi ſcalæ aliquanto, quàm erat opus, breuiores extitiſſent: profecto compos deſiderij fuiſſet. Verùtamen hac ſpe fraudatus,& caſtris iuxta Enipem flumen poſitis,copias ex Lariſſa,& cæteris ciuitatibus coegit: quas per hyemem obſidionis gratia parauerat. omnis enim intentio eius erat Thebas capere. Hæc urbs non longe à mari ſita eſt:diſtatq; ab urbe Lariſſa circiter trecenta ſtadia. adiacet autem peropportune Magneſiæ,& Theſſaliæ:& maxime ei parti Magneſiæ, quam Demetriadem uocant: Theſſaliæ uero ei parti, quam Pharſalij, & Pherenſes incolunt. Ex qua,cum eam per id tempus Aetoli tenerent : maximum detrimentum Pharſalienſibus, ac Demetrienſibus inferebatur : nec minus etiam Lariſſæis . quippe Aetoli crebras in eum agrum incurſiones faciebant:quem Namyricum incolæ appellant . Quamobrem Philippus haud parui hanc rem faciendam exiſtimans, omni ſtudio ad urbis expugnationem incumbebat. Paratis igitur centum & quinquaginta catapultis, baliſtis uero quinq; & uiginti, Thebis cum copijs appropinquauit:diuiſóq; in tris partes exercitu, urbem à tribus lateribus cinxit. unam quidem partem circa Scopium poſuit:aliam circa Heliotropium: tertiam ipſe iuxta montem,qui urbi imminet,tenuit. quod uero inter caſtra locorum ſupererat:foſſa,ac duplici uallo diligentiſſime muniuit. addidit præterea ligneas turres in ſingulis iugeribus ſufficienti præſidio refertas. poſthæc omni bellico apparatu ſimul congregato, adijcere arca ma-

chinas cœpit. Verum per tres primos dies nullam partem operum admouere potuit. tanta audacia, ac fortitudine milites è mœnibus propugnabant. poſtquam uero propter continuationem certaminis, & multitudinem telorum alij ex ciuibus interfecti ſunt: alij uulneribus affecti: tunc parua mora à propugnantibus facta. Macedones uix nono die ſubſtentacula, ac cæteras machinas mœnibus admouerunt. poſthæc continue expugnationi urbis intenti, ita ut nec noctu, nec interdiu catapultæ, & baliſtæ ceſſarent: intra trium dierum ſpatium ad duo iugera muri confregerunt. uerum cum adhibita mœnibus ſubſtentacula magnitudinem ponderis ſuſtinere non ualerent: in terram decidentes, murum quoq;, antequam ignis à Macedonibus inijceretur: ſecum traxerunt. quo facto cum animi omnium creuiſſent: ſeq; ad ingreſſum urbis pararent: ac iam incœpturi prælium uiderentur: perterriti Thebani, ſeq;, & urbem dediderunt. Philippus cum per hunc modum Magneſiæ, & Theſſaliæ loca tuta reddidiſſet: precioſiſſima quæq; Aetolorum bona abſtulit. Vrbem uero, eiectis antiquis cultoribus, ac Macedonibus ad eius habitationem conſtitutis, mutato nomine pro Thebis Philippolim appellauit. Cum adhuc in ea urbe moraretur: rurſus legati de pace à Chijs, & Rhodijs, & Byzantijs, & rege Ptolemæo uenêre. Quibus cum idem, quod ante, reſponſum dediſſet: ſeq; haud alienum à pace animum habere reſpondiſſet: eos remiſit: & ut Aetolorum quoq; animos tentarent, iuſſit. ipſe contempta pace toto animo exteris rebus

incumbebat. Quamobrem cum ei nuntiatum fuiſſet, Scerdilaidæ lembos omnia circa Maleam depopulari: & mercatoribus omnibus non ſecus, q̃ hoſtibus uti: præterea quaſdam naues ex ſuis in Leucade præter fœdus cepiſſe: armatis duodecim cataphractis nauibus, & octo aphractis, præterea onerarijs triginta, per Euripum nauigat, ſimul ſperans Illyriorum lembis potiri: ſimul omnibus uiribus ad bellum aduerſus Aetolos intentus: q nondum res in Italia geſtas cognitas haberet. Nam quo tempore Philippus Thebas obſidebat: Romani ab Annibale profligati in Tuſcia fuerant: ſed nondum fama earum rerum in Græciam peruenerat. Philippus igitur parata claſſe, cum Cenchreas appuliſſet: cataphractas quidem nauigare circa Maleam uerſus Egium, & Patras mandauit. reliquas uero in Lechæo poſitas, commorari in eo portu iuſſit: quamcelerrime ad Nemæos ludos profectus, Argos uenit. Hic cum ſpectaculo intereſſet: literæ ei ex Macedonia afferuntur, ſignificantes, Romanos ingenti clade ab Annibale ſuperatos fuiſſe: Annibalem ipſum campis potiri. Subito igitur Demetrio Phario duntaxat literas oſtendit, iuſſo, ne quicquam alicui loqueretur: hic, ea occaſione ſumpta, hortari regem cœpit: ut expedito mox Aetolorum bello, illyricas res aggrederetur. omnem enim Græciam & in præſentia parere regi, & poſthac idem facturam eſſe: cum præſertim Achæi ſponte ſua regi beneuoli forent: Aetoli uero tot cladibus præſenti bello affecti, potentiam eius formidarent. Italiam autem, inquit, transfre-

tationem in eam initium eſſe totius orbis principatum aſſequendi: quem nemini meliori iure, q̃ illi conuenire. tempus præterea in præſentiarum ad id peropportunum eſſe: Romanis ingenti clade ab Annibale profligatis. Huiuſmodi rationibus uſus Demetrius, ſtatim id regi perſuaſit: ut pote adhuc & adoleſcenti, & natura audaci, ac præter modum imperij auido. Poſthæc Philippus congregato amicorum concilio agere de pace Aetolorum cœpit. ad quod cum Aratus quoque libenter ueniret: rex haud expectatis legatis, qui publice de conditionibus pacis referrent: ſubito Cleonicum Naupactium ad Aetolos miſit. hunc enim reperit adhuc ex captiuitate concilium Achæorum expectantem. ipſe nauibus Corinthi cum pedeſtribus copijs acceptis, Egium uenit. deinde Laſſionem profectus, & occupata in Perippijs turri, irrupturum ſe in elienſem agrum ſimulabat: ne forte nimis appetere pacem iudicaretur. Poſthæc bis, aut ter reuerſo Cleonico, & precantibus Aetolis ut rex ipſe ad eos proficiſceretur: libenter conceſſit. datisq; repente ad omnes ſocias ciuitates literis, ac bellico feruore reſtincto, ſingulos hortatus eſt ad mittendas pro componendis rebus, & pace cum Aetolis firmanda legationes. ipſe tranſportatis copijs, & caſtris circa Panormum poſitis, qui Peloponneſi portus eſt è conſpectu Naupacti ſitus: legatos ſociorum præſtolabatur. Inter hæc, dum illi congregarentur, in Zacynthum profectus, ſolus res eius inſulæ compoſuit: ac mox inde ad eundem locum reuerſus eſt. Congretatis tandem legatis, Aratum, & Taurionem cum quibuſdam alijs ad Aetolos miſit.

Qui cum ad eos ueniſſent: (erant enim in concilio Naupacti congregati) pauca quædam locuti, & intellecto eorum deſiderio de pace facienda, è ueſtigio ad Philippum reuerſi, omnia regi nunciarunt. Aetoli deſiderio pacis flagrantes, unà cum iis legatos ad regem miſêre oratum: ut ad ſe cum copiis ueniret: quo res melius ac celerius componerentur. Rex precibus eorum pellectus, in locum circiter uiginti ſtadia à Naupacto diſtantem cum copiis nauigauit. ubi educta multitudine, & caſtris nauibusq; uallo ac foſſa circundatis, aduentum Aetolorum præſtolabatur. Aetoli inermes uerſus regem profecti duo ſtadia procul à caſtris regiis conſtitere: ſtatimq; ad regem miſerunt, qui de rebus præſentibus diſſererent. Rex igitur primo omnes qui à ſociis ciuitatibus conuenerant: ad eos transmiſit, iuſſos, hac conditione pacem cum Aetolis firmarent: ut ea quiſq; in poſterum teneret: quæ in præſentia tenebat. quam conditionem cum libenter Aetoli acceptaſſent: pro particularibus deinde rebus frequentes hinc inde nuncii mittebantur. Quarum rerum maximam partem conſulto prætermiſimus: ꝙ nihil in iis memoratu dignum eſſe uidebatur. libuit autem adhortationem, qua apud regem, & ſocios principio uſus eſt Agelaus Naupactius: paucis referre. Hic enim, cum facta eſſet dicendi copia: omneſq; ad audiendum parati forent: Oportere, inquit, maxime Græcos nunquam aduerſus ſe inuicem bellum gerere: ſed maximas diis habere gratias: ſi omnes unius ſententiæ, &, inſtar eorum, qui flumina traiiciunt, mutuo nexu manuum colliga-

ti barbarorum impetum repellere, ſeq; , & ciuitates ſuas tutari queant. quod ſi fieri continue non poſſit: hoc ſaltem tempore omni ſtudio ſeruandum: q̃ nunquam in maiori periculo Græcia fuerit. proſpicere enim ſe multitudinem copiarum, & magnitudinem inſtantis belli: neq; dubitare, ſeu Carthaginenſes Romanos, ſiue Romani Carthaginenſes in Italia ſuperarint: neutros Siciliæ, atq; Italiæ imperio contentos fore. Cæterum ſtatim uictores plus, quàm ſatis ſit, manus extenſuros: tranſitum'q; in Orientem facturos. proinde omnes prouidere huic rei opportere: & præſertim Philippum. prouidere autem hoc duntaxat modo poſſe: ſi reſtincto præſenti bello non ſolum Græciæ ciuitates ceſſet affligere: ſed è contario omnium ipſe quaſi unius corporis curam habeat: & uniuerſæ Græciæ ſaluti tanquam propriæ, & ditioni ſuæ ſubiectæ conſulat. hoc enim ſi fecerit: & Græcos ſibi beneuolos, ac ad futura bella optimos concertatores futuros eſſe: & barbaros fidem Græcorum erga regem timentes, minus imperio eius inſidiaturos. Quod ſi ad propagandum imperium animum habeat: aſpicere eum in Occidentem oportere: & quo in ſtatu res Italiæ ſint, conſiderare. eſſe enim in præſentia tempus: quo facile totius orbis principatum ſperare poſſit, minus negocij habiturus: q̃ Romani apud Thraſimenum lacum uicti ab Annibale fuiſſent. In ſumma regem hortatur: ut bella, atq; diſcordias totius Græciæ in pacem concordiam'q; conuertat: enitatur'q; omni ſtudio conſeruare ſibi in poſterum libertatem pro arbitrio ſuo bellum, aut pacem in pro-

uincia conſtituendi. Quod ſi ſemel nubem illam, quam conſurgentem in occidente uidebant: trucas, & cruenti belli Græciæ locis appropinquare permitteret: uereri ſe, inquit, ac uehementer ſolicitum eſſe. ne huiuſmodi diſſenſiones & concordiæ, & ludi, quos inuicem committebant: ita ab eorum omnium poteſtate exciderentur: ut ne precari quidem deos liceret: hanc ſibi facultatem adeſſe: ut bellari inuicem, ac pacem facere pro eorum arbitrio liceret. Hæc cum dixiſſet Agelaus: animos ſociorum mirumimmodum ad pacem inflammauit. maxime autem permouit Philippum regem: ꝙ non mediocriter iam propter uerba Demetrij ad id mentem inclinauerat. quamobrem unanimi conſenſu pacem cum Aetolis fecere. Firmato igitur fœdere, omnes diſceſſerunt, pacem in patriam pro bello reportantes. Hæc omnia geſta ſunt anno tertio centeſimæ & quadrageſimæ olympiadis. Dico autem id prælium, quod Romani in Tuſcia commiſerunt: & bellum Antiochi in Syria geſtum: & pacem ab Achæo, & Philippo cum Aetolis factam. Græcas igitur, atque italicas res, item etiam africanas hæc primum tempora coniunxere. neque enim poſt eum diem Philippus, nec cæteri Græciæ principes cogitationes ſuas ad Græciam referebant: neque bella, aut pacem inuicem moliebantur: ſed omnes iam mentem, oculoſq; ad Italia conuertebant. Paucis quoque interiectis diebus inſularum, & locorum Aſiæ cultores idem fecere. omnes enim, qui uel Philippo infenſi erant: uel ab Attalo diſſidebant: non iam ad Antiochum, & Ptole-

mæum, neque ad Meridiem, aut Orientem, ſed ad Occaſum omnes conuertebantur: Alij Carthaginenſes, alij Romanos crebris legationibus fatigantes. ſimiliter Romani quoque Philippi uires atque audaciam ueriti, legatos in Græciam mittebant. Nos autem, quoniam, ſicuti à principio ſtatueramus, manifeſte nobis (niſi nos opinio fallit) oſtendimus, quando, & quomodo, & quibus ex cauſis res Græciæ cum italicis, & libycis quaſi in unum corpus coaluerunt: ſupereſt: ut narrationem rerum in Græcia geſtarum proſequamur: quouſq; ad ea tempora uentum ſit: in quibus Romani iuxta Cannas à Carthaginenſibus uicti, ac profligati fuere. hinc enim à rebus Italicis digreſſi ſumus: & de ijs, quæ in Græcia, & Aſia ijſdem temporibus geſta ſunt: hunc, & ſuperiorem librum perſcripſimus. Achæi, cum primum finis bello impoſitus fuit: Timoxeno duce electo ad inſtituta patriæ reuerſi, ſimiliter etiam reliquæ Peloponneſi ciuitates paulatim res publicas componebant: colebant agros: ludos, ac ſacrificia deorum renouabant. quippe aſſiduo bellorum uſu factum erat ut hæc omnia quaſi è memoria excidiſſent. Athenienſes timore Macedonum liberati, optima iam libertate frui uidebantur. uerum cum Euryclidam, & Micionem duces haberent: eorum imprudentiam ſecuti, omnium fere regum, ac præcipue Ptolemæi tributarij erant. Ptolemæo ſtatim poſt hæc tempora bellum aduerſus Aegyptios ſubortum eſt. hic enim, cum Aegyptios in bello aduerſus Antiochum ſecum habuiſſet: Aliquandiu opera eorum uſus, mox ab eis relictus eſt. elati enim rebus circa Rhaphiam ge-

ſtis, haud amplius parere regi uoluerunt: ſed ducem aliquem quærebant: tanquam ipſi iam gerendo bello per ſe ſufficerent. quod etiam tandem non longe poſt tempore factum eſt. Antiochus, ingenti apparatu ad res bellicas per hyemem facto, proxima dehinc æſtate Taurum tranſcendit: & inita cum Attalo rege ſocietate, bellum aduerſus Achæum renouauit. Aetoli, etſi pacem initio gratiſſimam habuere: quod bellum longe aliter quàm ſpes eorum fuerat, ſucceſſiſſet: proinde Agelaum Naupactium ducem elegerunt: cuius præcipua opera pax fuerat ſecuta. procedente tamen tempore grauiter Agelaum accuſare, ac de eo non mediocriter conqueri cœperunt: quod eius cauſa omnes utilitates, quas extrinſecus permultas habebant: amiſiſſent: quando quidem non aliquam prouinciæ partem, ſed uniuerſam planè Græciam pacificaſſet. ueruntamen Agelaus æquo animo huiuſmodi iniuriam ferens, impetum eorum reprimebat. ex quo illi quoque contra eorum naturam temperare iracundiam ſuam ſunt coacti. Philipus rex, cum poſt factam pacem ſoluta claſſe in Macedoniam nauigaret: Scerdilaidæ in itinere obuians, qui ſub prætextu debitæ ſibi pecuniæ, cuius rei gratia naues in Leucade, uti ſupradiximus, ceperat: tunc Pelagoniæ quoq; oppidum, nomine Piſſeum in prædam uerterat: & complures Daretidis ciuitates, Antipatriam, Chriſondionem, Gertontem: præterea etiam non paruam Macedoniæ partem ſibi partim hortatu, partim uiribus aſciuerat: extemplo copias in terram poſuit, omni ſtudio ad prædictas ciuitates recuperandas intentus.

omnino autem bellum aduerſus Scerdilaidam gerere decreuit: pernecœſſarium exiſtimans Illyrium ditioni ſuæ ſubijcere, cum ad alias res gerendas, tum maxime ad transfretationem in Italiam. Quam opinionem Demetrius confirmare regi nitebatur: uidiſſe ſe in ſomnis inquiens, Philippum hæc omnia molientem. quod non tam Philippi gratia faciebat: quàm odio Romanorum: & ꝙ per eum modum recuperaturum ſe loca, quibus circa Pharum ſpoliatus fuerat: arbitrabatur. Philippus itaque admotis copijs prædictas omnes ciuitates occupauit. in Daſſaretide enim cœpit Creonium, & Gerontem: circa Lychnidiam paludem Enchelanas, Ceracem, Sationem, Boios: in Calœcinorum uero prouincia Bantiam: apud Piſantinos Orgyſſum. Quibus peractis, copias in hiberna dimiſit. Erat autem hæc hyems: qua Annibal præcipua Italiæ loca depopulatus in Daunia hyemabat: Romani uero C. Terentium, & L. Aemylium conſules nouis comicijs creauerant. Philippus, dum in hibernis eſſet: ratus naues parare ſibi opus fore, non tam ad naualem pugnam, (quippe impotentem ſe omnino mari eſſe aduerſus Romanos arbitrabatur) quam ad transfretationem copiarum in Italiam, centum lembos parauit. quod ante eum nemo ferè regum Macedoniæ fecerat. adueniente deinde æſtate, & Macedonibus remigio leuiter exercitatis, cum copijs ſoluit. Sub idem tempus Antiochus Taurum tranſcendit. Philippus, facto per Euripum, & Maleam itinere, ad loca, quæ ſunt circa Cephaleniam, & Leucadem: uenit. ubi caſtris in terram poſitis, uallo ac foſſa ea diligenter muniuit. ſi quidem

Romanorum

Romanorum claſſem mirumimmodum formidabat. ubi uero eam iuxta Libybæum eſſe, per exploratores didicit: animo auctus cœptum iter proſequitur, curſu Apolloniam uerſus directo. Cumq; iam ijs locis appropinquaſſet, quæ ſunt circa Loium amnem iuxta Apolloniam præter fluentem: quidam ex lembis, qui ultimo loco ſequebantur: delati in inſulam, quæ Saſon dicitur: eſtq; in ingreſſu Ionici ſinus: noctu ad Philippum uenerunt, dicentes, allocutos ſe quoſdam fuiſſe à Siculo freto nauigantes. hos nunciaſſe: quinqueremes Romanorum à ſe circa Rhegium relictas Apolloniam, & ad Scerdilaidam curſum tenere. Philippus, ratus ob id claſſem iam non longe abeſſe, ſubito terrore correptus, collectis ancoris inhibere remos, ac conuertere iter iuſſit: trepidéq;, & nullo ſeruato ordine retrocedens, poſtridie Cephaleniam appulit: ne nocte quidem curſum dirimente. hic recreatis parumper animis, aliquandiu conſtitit: ſimulans ſe urgentibus certis peloponneſiacis rebus eò reuerſum eſſe. Accidit autem omnem eum timorem eſſe falſum. etenim Scerdilaidas, cum audiuiſſet Philippum per hyemem magnam multitudinem lemborum ædificaſſe: aduentum eius per mare ueritus, auxilium Romanorum per legatos implorauit. Romani decem naues ex claſſe, quæ Lilybæi erat: miſêre. hæ iuxta Rhegium tranſeuntes fuerunt uiſæ. Quarum timore niſi fruſtra correptus rex fugiſſet: & ijs potiri facile poterat: & peropportunum ad res illyricas tempus habere: Romanis rurſus ingenti clade iuxta Canna

ab Annibale affectis, & ferè ad internitionem uſq; profligatis. nunc autem inani timore perculſus, tutam quidem, ueruntamen turpiſſimam fugam in Macedoniam fecit. Sub idem tempus Pruſias quoque rem memoria digniſſimam geſſit. Galli, quos ex Europa rex Attalus bello aduerſus Achæum in Aſiam transfretauerat: cum ob memoratas à nobis ſuperius ſuſpitiones à prædicto rege diſceſſiſſent: uniuerſas Helleſponti ciuitates cupide nimium, ac crudeliter depopulabantur. Hi, cum ad extremum Elienſium quoq; urbem obſidione cinxiſſent: egregium ſanè facinus commiſſum fuit ab his, qui Alexandriam colebant. ſiquidem Themiſte duce cum quatuor millibus hominum aduerſus illos miſſo, non ſolum Elienſium obſidionem diſſoluerunt: uerumetiam Gallos ex omni Troade expulere: partim prohibentes eis commeatum: partim omnis eorum conatus impedientes. Galli, Ariſba oppido in Abydenorum regione capto, reliquum iam uicinis ciuitatibus inſidiabantur: bellumq; aduerſus omnes gerebant. Contra quos Pruſias cum copijs profectus, inito mox prælio exercitum eorum profligauit: filios ferè omnes, atque uxores paſſim, nulla ſexus aut ætatis ratione habita, interfecit: caſtra diripi à militibus paſſus eſt. Quibus peractis maximo timore ac periculo Helleſpontum liberauit: optimumq; poſteris exemplum reliquit: ne barbari tam facile ex Europa in Aſiam transfretarent. Hæc igitur ea tempeſtate in Græcia, atque Aſia gerebantur. In Italia uero poſt

profligatum cānnēſi prælio Romanorū exercitum quam plurimæ ciuitates ad Carthaginenſes defecere:ſicuti ſuperioribus libris memorauimus. Verum nos quidem narrationem eorum temporum hoc loco terminabimus. quandoquidē ſatis oſtenſum eſt:quo in ſtatu res aſiaticæ, & græcæ forent centeſima & quadrageſima olympiade. Quibus in ſequenti libro breuiter, ac ſummatim repetitis, orationem deinceps ad Romanorum rem publicam, ſicuti ab initio ſtatuimus: conuertemus.

FINIS.

AA BB CC DD EE FF GG aaaa bbbb cccc dddd eeee ffff gggg hhhh iiii kkkk llll mmmm nnnn oooo pppp qqqq rrrr ſſſſ tttt uuuu xxxx yyyy zzzz Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Omnes Quaterniones præter iiii. Rr duerniones.

VENETIIS IN AEDIBVS
ALDI, ET ANDREAE
SOCERI, MENSE
MARTIO. M.
D. XXI.

0 96 91

Quid intersit inter pnc^m et cāz Polybius dili-
gentissime docet carta 163 pagina 2ª.
De nominibus qdā pulchra dissent c. 178. p. 2ª

1778. le 24 juin

la meme eclipse
a commencé à
Gottingue à
4 heures 29
minutes 36
secondes.

L'eclipse du soleil
a commencé à Paris
à 3 heures 53 minu
17 secondes a duré
en 6 ..m 23 secondes

la revolution du soleil
sur lui-meme se fait
en 25 jours 10 heures

C
Aldine
518
L788e
v. 4